BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LV
A
16
NAPOLI

HISTORIA PALATINA.

In qua

Inclytæ Familiæ COMITVM PALATINORVM RHENI, S. Rom. Imperii Electorum primariorum, *& Vtriusque Bauariæ Ducum, Vitæ ac res geſtæ, ſuccinctè & fideliter per-ſcribuntur.*

AVTHORE

DANIELE PAREO.



FRANCOFVRTI,

In Officina GVLIELMI FITZERI,

Librarii Angli.

ANNO M. DC. XXXIII.



Sereniſs. Illuſtriſsimis, Celſiſsimisq; Principibus ac Dominis,

Dn. FRIDERICO

Diuina prouidentia Bohemorum REGI, Comiti Palatino RHENI, S. Rom. Imperii ARCHIDAPIFERO, & ELECTORI, Duci Bauariæ, Marchioni Morauiæ, Duci Sileſiæ, & Lucemburgi, Marchioni vtriuſq; Luſatiæ, &c.

ET

Dn. LVDOVICO PHILIPPO, Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariæ, &c.

F R R. B. R E I P. N.

Salutem & Proſperitatem æternam.

SOLDANVS olim à Chriſtianiſſimo Rege Franciæ LVDOVICO II. Capuam captiuus abductus, toto

biennio nunquam ridere viſus eſſe ſcribitur. Itaque Rex ei, qui effuſum riſum Soldano excitaſſet, aureum munus promiſit. Cum autem non nemo Regi narraret, vidiſſe ſe Soldanum ridentem, teſtemque rei produxiſſet; Rex captiuum accerſiri iuſſit, cauſam mutationis inquirens. Tum Soldanus: *Currum, inquit, contemplabar, eiuſque rotas, vt earum aliæ partes in imum, aliæ in ſummum obuerterentur: atque hanc ego incertæ, inconſtantiſque hominum felicitatis imaginem ſentiens riſi, cum quod in mentem mihi veniret, quam inſtabili nos de re ſuperbiremus, tum ſimul hoc fieri poſſe iudicans, vt quo modo ex ſummo infimus ſum factus, ita ex humili rurſum loco ad prius attollar faſtigium.* His auditis, Rex Ludouicus Soldanum liberè ſecum verſari permiſit: memor fragilitatis rerum humanarum, quas luna mutabiliores perpetua vertigine alternat inconſtantis Fortunæ rota.

rota. Nam iuxta veterem Mimum: *Cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.* Excætus piſcis, vt refert Athenæus, tranquillo mari ex alto emergit, aurea ridentis cœli ſerenitate illectus; cum ecce ad apricum ſolem quieto, & nihil tale cogitanti Parendiſtæ aues inſidiantur, & ſæpiuſculè inuadunt. Tales ſunt res, ſpeſque humanæ. Quamdiu æquor hoc vitæ nauigamus, tamdiu fluctus; & interdum ſerenum aliquod ſi blanditur, decipit; ac confeſtim repentini malorum turbines ingruunt: omniſquie felicitatis roſa ſuas experitur ſpinas, *ſplendet ſæpe, at idem nimbis interdum nigret*; vt loquitur Accius in Bacchis. Habet enim has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ex aduerſis ſecunda naſcantur. Bonum raro ſincerum eſt, & nullius mali contagione illitum. Caduca nimirum hæc, & fragilia, puerilibuſque conſentanea crepun-

 diis

diis ſunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur: affluunt ſubitò, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona, ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt; ſed incertiſſimo flatu Fortunæ, huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo decurſu deſtitutos, profundo cladium miſerabiliter immergunt; propenſioreque fauore primo delinitos, maiore poſtea malorum cumulo opprimere ſolent. Quid tam circumciſum, tam breue, quam hominis vita longiſſima? Tam anguſtis terminis tantæ multitudinis viuacitas ipſa concluditur, vt mihi non venia ſolum dignæ, verum etiam laude, videantur illæ Regiæ lachrymæ. Nam ferunt, grauem illum, & mari & terræ, Perſarum Regem XERXEM, nec hominibus tantum terribilem, ſed Neptuno quoque compedes, & cœlo tenebras minitantem; cum de ſublimi

loco

loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidiſſet exercitum, illachrymaſſe, quod poſt centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, ſuperfuturus eſſet, totque millibus tam breuis imminerer occaſus. O ſi poſſemus in talem aſcendere ſpeculam, de qua vniuerſam terram ſub pedibus noſtris cerneremus; oſtenderem iam totius orbis ruinas, gentes gentibus, & Regnis Regna colliſa, alios in Ampliſſimorum Regnorum ſolia conſcendere; alios purpuratos de Regni culmine proiici, & in miſerias extremas præcipitari; alios torqueri, alios necari, alios abſorberi fluctibus, alios ad ſeruitutem trahi, illos naſci, iſtos mori, alios affluere diuitiarum delitiis, alios ad incitas, & extremos egeſtatis terminos redigi; & non Xerxis tantum exercitũ, ſed totius mundi homines, qui nunc viuunt, in breui temporis ſpatio defuturos. Re-

gum & Principum talis conditio eſt, feriunt ſummos fulgura montes: Fortuna horum non tantum aurea, ſed & vitrea, cum ſplendet, plerunque frangitur. Quemcunque populum triſtis euentus premit, periclitatur magnitudo Principum, minuta plebes facili præſidio latet. Et iuxta Senecæ effatum: *Minus in paruis Fortuna furit, Leuiuſque ferit leuiora Deus. Seruat placidos obſcura quies, Præbet ſomnos caſa ſecuros. Admota æthereis culmina ſedibus, Duros excipiunt Notos, Inſani Boreæ minas, Imbriferumque Corum.*

Cætera Fortunæ lubrica ſi ſcire quiſquam velit, quam varia ſint & aſſidua, arenarum numerum idem iam deſpiciens, & montium pondera ſcrutari poterit. Sola virtus clara æternaque habetur; quæ aduerſis rebus exercitata feruet, veluti Gagates lapillus in aqua, tepet in proſperis, affuſoque voluptatis oleo paulatim

tim langueſcit, ac tandem obruitur & exſtinguitur. Contraria ſemper virtuti fecere viam, quæ ex aduerſorum conflictu naſcitur ac ſuſtentatur.

Hectora quis noſſet, felix ſi Troia fuiſſet?
Publica Virtutis per mala facta via eſt.

Nec fruſtrà laudatiſſimus Angliæ Rex EDVARDVS II. pingebat in Symbolo araneam in tela ſua elaborantem, quam vehemens ventus perflabat, cum lemmate: ARDENTIOR IBO. Creſcit enim de vulnere Virtus, quæ quondam etiam victis rediit in præcordia. Maris cœlique temperiem turbines, tempeſtateſque commendant. Demetrii itidem vox magnifica celebratur: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduerſi:* quia ſecundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Modum

enim imponere ſecundis rebus, nec nimis credere Serenitati præſentis Fortunæ, (quæ rotam volubili orbe verſat, infimaque ſummis, ſummaque infimis mutare gaudet) prudentis hominis eſſe, & meritò felicis: aiunt amici ad PERSEVM, Regem Macedoniæ, apud Liuium.

Ad omnia iſta Fortunæ ſpicula, Rex & Elector Sereniſſime FRIDERICE, obduruit PATIENTIÆ Tuæ clypeus. Neque enim vllum telum tam mortiferum eſt, quod eius vim pertundere, atque debilitare poſſit. Contigerunt Maieſtati Veſtræ, ſi cuiquam alii mortalium, terra marique, creberrimæ alternantis Fortunæ viciſſitudines. Ad omnem huius incurſum iſto PATIENTIÆ Tuæ Clypeo munitus & intentus, quantumuis ab omnibus ferè deſertus, abiectus, & afflictus, in re Tua crepera: non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor

lor impetum faciat,pedem refers interritus; ſed contra illa is, & inter illa. Arridebat Fortuna, & quaſi iocari tecum videbatur,quando ad capeſſendum inclyti Regni Bohemiæ ſolium,vnanimi Statuum electione, & precibus ex hæreditario Tuo Archi-Palatinatu euocabaris. Illa proſpera animum Maieſtatis Veſtræ flatu ſuo neutiquam efferebant. Sciebas enim, neminem eo Fortunam prouexiſſe, vt non tantum illi minaretur, quantum promiſerat. Poſt annuum ſpatium eadem in Te deſæuiit, quando à Saulitis Regno Bohemiæ exturbatus, & Archipalatinatu Tuo extorris, cum pio Rege DAVIDE, in decennale exilium proiectus es. Hæc vero amara, æqui animi dulcedine, ceu optimo ærumnæ condimento, probè temperare didiciſti. Rex ille Perſarum magnificentiſſimus ARTAXERXES, cum inaugurareretur, antequam Cidarim,

darim, ornamentum capitis Regibus ſingulare, à Maximo Serena impoſitam acciperet, acidi lactis potionem prius ebibebat; innuere volens, per acida viam præparari ad dulcia. Nec ſecus Regia Veſtra Maieſtas calicem triſtitiæ amariſſimum exhauſit, antequam in Archi-Palatinatus dulciſſimo portu rurſus nauigare potuerit. Horret animus temporum noſtrorum ruinas perſequi: ad quas recenſendas, vel Thucydides & Salluſtius muti ſint. Duodecennium eſt, quod florentiſſimas, eheu olim, terras Tuas Palatinas, præter Bauaros, Hiſpani, Itali, Lotharingi, Valones, Croatæ, aliarumque gentium Martiales Harpyiæ, vaſtant, trahunt, rapiunt, incendunt. Quot corpora hoſtilis mucro conſumſit? quot matronæ, quot virgines his belluis fuere ludibrio? Subuerſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, vbique luctus, vbique

gemi-

gemitus, & plurima mortis imago: donec tandem Iehoua, Deus Exercituum, his malis cataſtrophen exoptatam impoſiturus, tempeſtates aliquas iam clementer ſedauit, & turbulentis Eccleſiæ ac Reipublicæ Palatinæ calamitatibus auram lucis ſalutarem attulit. Inter hos æſtus, inquam, ciuiles, & miſeriarum incendia, Maieſtatis veſtræ Pectus, PATIENTIA bene præparatum, inſtar Rorariæ plantæ, diuinæ gratiæ rore affluens, egregie germinauit, & nuſquam gentium contabuit. Iamque rurſus Dei Opt. Max. beneficio, & ſingulari ſubditorum Palatinorum gaudio, afflicta & ſqualida Regiæ Maieſtatis Veſtræ Fortuna, (quæ Regnum Tibi atque opes eripere quiuit, at Virtutem nequiuit,) in altam denuo & excitatam tranſire paulatim videtur; veluti arbor cupreſſus altitudine conſpicua, in Veſpaſiani Imperatoris agro radicitus

euulſa repente procidit; at poſtmodum viridior, & firmior eodem veſtigio reſurrexit.

Inter eaſdem aduerſæ Fortunæ aſperitates, Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps LVDOVICE PHILIPPE, Virtutis Tuæ integrum decus emerſit, quæ inſtar Salamandræ per medias tempeſtates in lucem erupit; quando Avito Tuo Ducatui Simmerenſi, (quem antea rapinæ, cædes, vaſtitates pluſquam barbaricæ inundabant; aliique fœdi miſeriarum turbines totum pene lacerabant) Sereniſſimus & Potentiſſimus Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, GVSTAVVS ADOLPHVS, primus Serenitatem attulit; & aduerſis ventorum flatibus diſſipatis, Zephyrorum lenitatem, Dei Opt. Max. auſpiciis, emiſit in Terras, quibus Hiſpani prius Celſitudinem Veſtram indignis modis ſpoliabant, & nudabant: adeo vt

me-

merito appellari poſſit: MISERIS SIDVS IMPLORABILE NAVTIS.

Quantum vero afflictis Veſtris ſubditis Palatinis, Sereniſſime Rex FRIDERICE, & Illuſtriſſime Princeps LVDOVICE PHILIPPE, Domini mei Clementiſſimi, abſentia Veſtra diuturna, mœroris ac triſtitiæ attulit, quantam periculorum variorum metus ſollicitudinem peperit: tantum eoſdem Veſtros Palatinos ſubditos, poſt decennalem Exilii PATIENTIAM, & tot exantlatas ærumnas, felicis reditus Veſtri in Palatinatum Rhenanum nuncii recrearunt, atque refecerunt; omneſque immenſa quadam animi voluptate perfunduntur, atque etiam non mediocri cupidine efferuntur, publica Voce Principum ſuorum Clementiſſimorum, tot diſcriminibus perfunctorum, exoptatiſſi-

tiſſimum reditum gratulandi, ac fauſtis acclamationibus PATRIÆ PATRES proſequendi. Geſtit ad hoc optimus quiſque; nec equidem linguam, aut calamum meum continere potui, quin Vobis, iuxta cum aliis, de ſaluo & auſpicato Veſtro in Patriam reditu congratularer, & aliquantulum operæ atque olei conferrem, ad Maiorum Veſtrorum gloriam laudemque celebrandam. Quæcunque igitur mihi digna memoria videbantur, ſignis quibuſdam potius, quam longioribus narrationibus, anguſto hoc compendio adornaui: quod ſolent hi facere, qui in breui tabella terrarum & Vrbium ſitus depingunt, latiſſimaſque regiones in modico ſpatio conantur oſtendere, aliquanto detrimento magnitudinis, nullo diſpendio veritatis. THEMISTOCLEM, illum, omnium Graii ſanguinis Virorum clariſſimum, quem

Vir-

Virtus ſua Victorem, iniuria patriæ Imperatorem Perſarum fecerat; cum theatrum petens interrogaretur, cuius vox auditu illi futura eſſet gratiſſima? dixiſſe aiunt: *Eius, à quo ſua Virtus optime prædicaretur.* Eundem ferunt, ſtimulis Virtutum agitatum, & ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus, quid ita eo tempore in publico verſaretur, reſpondiſſe: *Quia me trophæa Miltiadis de ſomno excitant.* Marathon nimirum animum eius, & Artemiſium, & Salamis, naualis gloriæ fertilia nomina illuſtranda, tacitis facibus incitabant. Quemadmodum vero pictor habet exempla ſuorum operum, in quæ ſemper intuetur: ita & Principes Maiorum ſibi atque Anteceſſorum, gloria & prædicatione ſupra cæteros illuſtrium, exempla ad imitandum proponere ſolent. Auguſtus *fortitudinem Scipionis, beneuolentiam Pompeii, & fortunam Cæſaris,*

ſpe-

ſpectauit, ſibique exoptauit. Alii Impp. *felicitatem Auguſti*, & *probitatem Traiani* ſuis Imperiis precati ſunt. Chriſtiani Reges & Principes, *Dauidem, Ioſaphatum, Ezechiam, Ioſiam, Conſtantinum, Theodoſium, Carolum, Magnos*, æmulantur. Author eſt Criſpus, Romana primus in Hiſtoria, Quintum Maximum, Publium Scipionem, præterea ciuitatis Romanæ præclaros Viros, ſolitos ita dicere: *Cum maiorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad Virtutem accendi, ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere; ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis Viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam Virtus eorum famam, atque gloriam adæquauerit.*

At Vos PATRIÆ PATRES, Sereniſſime Rex FRIDERICE, & Illuſtriſſime Princeps LVDOVICE PHILIPPE, pleno gradu

du Virtutis Via ad inclytorum Maiorum Veſtrorum gloriam graſſari nouimus, atque inprimis ad imitandum Vobis propoſuiſſe, FRIDERICI PRIMI VICTORIOSI, Septemuiri Palatini, decantatam Fortitudinem: SECVNDI Sapientiam: TERTII Pietatem: QVARTI Sinceritatem: quorum facta laudando homines prius defeſſi ſunt, quam illi laude digna faciendo. Quocirca hanc HISTORIÆ PALATINÆ Synopſin amabiliſſimæ Nominis Veſtri Tutelæ palam voui; partim vt in anguſto hoc volumine domi iterum iterumque cernatis adumbratas Maiorum Veſtrorum Virtutes, ſuſcipiatiſque à me non vires, ſed voluntatem: partim vt hæc tam Illuſtrium Nominum præſcriptio hinc teſtimonium eſſet humilimi obſequii, ac deuotionis meæ in Sereniſſimam & Celſiſſimam Veſtram Domum Palatinam;

illinc

illinc maligni liuoris, ac Sycophantiæ amuletum; quæ hodie in carpendis aliorum recte dictis & factis plus nimio paſſim ſolet eſſe factioſa.

Quod ſupereſt, Deum Ter Opt. Max. Clypeum & Aſylum ſuorum, omnibus ſupplicibus votis comprecor, vt Vos duas oleas horti ſui, duas pupillas oculorum ſuorum, duo Palatinatus Rhenani columina, omnimoda ſua gratia cumulatiſſime profundat, & ab omni vlteriori perturbatione, hoſtiumque machinationibus, diu tutos, ſaluos, & incolumes conſeruet, vt vitam prolixam, proſapiam vegetam, Domum tutam, conſilia proficua, euentum proſperum, ac tandem in cœlis immarceſſibilem gloriæ CORONAM obtineatis: vt denique ſub vmbra alarum DEI Zebaoth, diu diuque floreat tota celeberrima Electoralis, & Princeps Comitum Palatinorum ad Rhe-

Rhenum familia, floreat Reſpublica, floreat Eccleſia, floreant Scholæ, floreat Orthodoxa Religio, floreat pax aurea, & fraterna concordia; ac quicquid glorioſum Deo, ſalutare PALATINIS! Scribebam Hanouiæ ad Mœnum, Anno Reparatæ Salutis, CIↃ IↃC XXXII. Kalendis Iunii.

Sereniſſ. V.ræ M.ti & Illuſtriſſ. C.ni

Humilimus & ſubiectiſſimus Cliens

Daniel Pareus.

PA-

PALATINATUS RHENI Deſcriptio.

Ex Atlante, ſiue Coſmographicis Meditationib. GERARDI MERCATORIS.

PALATINATUM RHENI, vulgò die Pfaltz / *nobilem Germaniæ partem, nonnulli à Palatio Rheni nomen accepiſſe: alij à Caroli Magni inſtitutione; alij à Palatio Treuirenſi ſic nominatam volunt. Beatus Rhenanus conatur probare ex Ammiano Marcellino, Palatinatus ditionem,*

nem,

nem, & nomen à Palas-regione deſcendiſſe. Scribit enim Ammianus in hunc modum: Conſtituto ponte propè Moguntiacum, cohortes tranſgreſſæ ſunt Rhenum, in regione Cappellatiana, quæ à Palas nomen habet, caſtra ſunt poſita. *Et alibi:* Quum ventum eſſet ad regionem, cui Cappellatii vel Palas nomen eſt, vbi terminales lapides, Romanorum & Burgundionum confinia diſtinguebant, caſtra ſunt poſita. *His ſubiicit Rhenanus:* Hic aduertere licet, Principem Palatinum non à Palatio Cæſaris, vel ædificiolo illo, quod in Rheno oſtenditur, nomenclaturam ſuam poſſidere, ſed vetuſtiſſimam à Regione eſſe natam appellationem. *Hæc ille.*

ille. Sed cum plures, aliorumque locorum Comites Palatini, in Hiſtoriis recenſeantur, hodieque etiamnum ſint; hanc de etymo Palatini ſententiam plerique reiiciunt. Huc accedit, quod ante 400. annos, neque caſtra, neque oppida in hac regione, vbi hodie habitant, habuerunt: ſed intra hos annos, quidquid locorum iuxta Rhenum habent, vel emerũt, vel armis acquiſiverunt. Pleriſque magis adlubeſcit, ſi à Palatio COMES PALATINVS *dicatur: qui dignitatis & claritatis ordo, velut ſenatorius, iam olim ſub Imperatoribus eſſe cœpit. Hinc qui in comitatu Palatii præſto eſſent Principi,* PALATINI *vocabantur. Neque tamen Prouinciis præerant, nec quidquam in Provinciales iuris habebant; ſed ipſis Magiſtra-*

tibus imminere, & eorum obſeruare actus, contra eos audire, & ad Principem referre Prouincialium querelas iubebantur. Si hinc originem Palatinatus dignitas habet, vehementer equidem mutata eſt, & in immenſum eius amplitudo extenſa. Habet hæc Regio ab Occidente Zvveibruccenſem Ducatum; qua Oriens eſt, occurrit Franconia, & VVirtembergenſis Ducatus: qua Septentrio, partim Mæno flumine, partim extrema Sylua, quam Ottonicam vocant, terminatur: Alſatiam attingit à Meridie. Tractus hic vniuerſus amænitate, fertilitate, & vbere omnium rerum copia vix vlli Germaniæ parti cedit. Montes plerique vitiferi ſunt, vinumque præſtantiſſimum proferunt, aliis remotioribus locis expe-

expetitum, iidem ad Boream caſtaneis referti. In agris copioſa frumenti ſeges, tritici, ſiliginis, hordei: nec deſunt pomaria, & horti omnium felicium arborum genere conſiti, qui paſſim in hac regione plurimi viſuntur, magna pomorum vbertate ſcatentes. Inter Heidelbergam, VVormatiam, Neoſtadium, Crucenacum, Oppenheimium, generoſiſſimæ ſunt vites; inprimis Pfettershemii, cuius bonitas cum Setiis, Falernis, Cæcubis certare poſſit. Syluæ etiam & montes referti ſunt feris, potiſsimum ceruis. Quin & incolæ plurimos in Syluis nutriunt hircos, hædos, & capras, eo quod hæc animalia potius ſylueſtribus delectantur ſaltibus, quam pratis. Prope Heidelbergam eſt ma-

gna copia Ardearum, ibique in nemore nidificant. Fuerunt ab initio PALATINI, Palatiorum Præfecti, præſertim in Curiis Imperatorum, quos Franci olim MAIORES DOMVS, vel PALATII vocauerunt. Quando autem ditio Palatinatus Rheni fuerit inſtituta, & vbi locorum Palatini Rheni ante quadringentos & quingentos annos ſe continuerint, non licuit mihi inueſtigare. Variæ enim & diuerſæ hic hominum opiniones, & coniecturæ. Sunt qui aiunt, primos Palatinos ſimplices fuiſſe Nobiles, vſque ad tempora Othonis III. Imper. quando Principes Electores fuerunt conſtituti. Tunc enim illis maior dignitas fuit conſtituta. Primus Palatinus Elector

fuit

fuit HENRICVS, *qui cum cæteris Electoribus Anno* CIↃ III. *Imperatorem conſtituit* D. *Henricum. At vbi ſuam habuerit curiam, cui præſederit regioni, quos audientes habuerit populos ipſe, & aliquot eius ſucceſſores, à nullo inveni ſcriptum; inquit Munſterus: nec Principes ipſi, qui hodie præſident Palatinatui, id ſciunt: niſi quod quidam, ſed ſine certo teſtimonio, putant Principes Palatinos olim VVormaciæ conſediſſe, & magnam in ea Vrbe habuiſſe Iurisdictionem.* Hoc *conſtat, Conradum Ducem Franconiæ, Anno* CCIↃ XLII. *ſuam ſedem VVormaciæ habuiſſe; de Principe Palatino nihil tale inuenitur. Sedes hic olim* Inuergorum, Nemetum *etiam,*

& Vangionum, *ut nonnulli opinantur.* Intuergos, *Germaniæ populos, Peucerus in Palatinatu conſtituit circa Heidelbergam, quæ Regio etiam* Cappellatium, *&* Palas *vocata fuit, ut ſupra ex Marcellino retuli.* Nemetes, *Ptolemæo, & aliis, Germaniæ ad Rhenum fluuium populi finitimi Metenſibus, Argentinenſibus.* Vangiones *itidem Germaniæ populi ad Rhenum,* Wormbſer Biſthums. *Alii affirmant*, Vangiones *eſſe Spirenſes*, Nemetes *vero VVormacienſes. Pagi, arces, municipia in hoc tractu permulta variè diffuſa ſunt. Vrbes memorantur XLVIII. quarum caput eſt HEIDELBERGA, Principis Palatini ſedes. Nomen habet vel à Gentibus.*

bus. Hæ enim Germanis dicuntur **Heyden:** *vel à Myrto, quem iidem vocant* **Heydelbeer** / *atque ob hanc cauſam eruditiſſimus Meliſſus eam vrbem appellauit* Myrtilletum. *Sunt alii, qui contendunt, legendum & ſcribendum,* **Edelberg** / *quod ſonat Nobilem Montem: alii vero* **Eitelberg** / *quod Meros Montes ſignificat. Sita eſt ad Nicrum, ſiue Neccarum flumen, in faucibus montium. Ager circa Heidelbergam omnium rerum ferax, vini boni, frumenti, olei, fructuum arboreorum, & caſtanearum. Celebris fuit iam inde ab anno 1346. inſigni literarum & ſapientiæ Gymnaſio, quod iis temporibus conſtitutum eſt à Ruperto Seniore, Principe Palatino, qui etiam ad eius curam Marſilium quendam Vltraiectinum Pariſiis euocauit. Ex eo*

ſemper inclyta fuit Doctorum & Studioſorum frequentia.

Porro vniuerſus Palatinatus in quatuor Præpoſituras diſtributus eſt, quas illi Aempter *vocant:* Heidelbergenſem, Alzæenſẽ, Neoſtadienſem, & Mosbacenſem; *ab vrbibus, Heidelberga, Alzæa, Neoſtadio, & Mosbaco nũcupatas. Munſtero tractus eſt, qui iter Frãcofordia Heidelbergam,* die Bergſtraß *dictus. Sunt præterea* Bretta, *oppidum mediocre, ad Salzam fluuium, Patria Philippi Melanchthonis.* Ladenburgum, *à caſtris Latinis Peucero dictum, pignori datum eſt Duci Ruperto Seniori, pro media eius parte; anno 1371. Altera medietas obuenit Epiſcopo VVormatienſi. Eidem Principi vendidit Sifridus à Stralinberg, anno 1347. oppidum*

Schrieſ-

Schrieſſen, *&* *caſtrum* Stralinberg. *Et an. 1344. oppidum* Weinheim *per arbitros eſt memorato Principi adiudicatum, quod antea Epiſcopus Moguntinus poſſederat. Sunt item* Cauba: *quod oppidum an. Chriſti 1200. VVernherus Mintzenbergenſis vendidit, cum appendiciis ſuis locis, vt ſcribit Můſterus, Duci Ludouico 1200. marcis argēti, ſupputata vna marca pro octo florenis.* Gelhuſen, *oppidum Imperiale, quod ad Comites Schvvartzenburgenſes peruenit, fuit ab iiſdem Principi Palatino, & Reinhardo ab Hanavv oppignoratum, anno Chriſti 1436.* Mosbach *&* Sintzen, *oppida Imperialia, quæ cum appendiciis ſuis Palatinatui per modum pignoris incorporata ſunt.* Luden, *ſitum ad Tuberum fluuiū, quod emit Ruper-*

tus Princeps, an.1398. à Comitibus Hohenlohenſibus. Oppenheimiũ, Cæſarea Lutra, Ingelheimium, Lovvenſteinum; *& alia; quæ in Tabulis obuia ſunt, vt & arces, & Pagi.*

Flumina præcipua ſunt: Rhenus *&* Neccarus. *Hic medium Palatinatum ſecat irrigatq́ꝫ, ac prope Manhemium Rheno immergitur, veteribus* Nicer *dictus: piſcium, & inprimis mullorum, quos vulgo* Barbones *vocant, fæcundus, ſi quis alius, amnis. Deſcendunt quoque per hunc fluuium continuæ lignorum rates, ex Ottonica Silua, quæ ex Neccaro in Rhenum deferuntur, atq́ꝫ omnibus ciuitatibus Rheni à Spira vſque Bingium ad portas deducuntur. Ignobiliores ſunt:* Tuberus, Lutherus, Iaxtus, *aliique.*

Regio Palatina vniuerſim tum montoſa, tum campeſtris. Montes habet inſignes, in quibus præſtantiſſima vina decoquuntur. Nec deſunt ſyluæ opimas venationes præbentes. Inter ſyluas, eſt ea, quæ dicitur Ottonica, *ſiue* Ottonis, *eſtque pars Hercyniæ Syluæ, etiamſi nullas aut paucas habeat piceas arbores; ſed magis quercus, & fagos. Latitudo eius extenditur à Neccaro vſque ad Mœnum, & longitudo, à Montana via, vulgo* Bergſtraß / *vſque ad Tuberum fluuium, h. e. vſque ad Franconiam. Tres amnes veniunt ex hac ſylua*: Mimlingus, Kocherus, *&* Iaxtus: *etiamſi* Iaxtus *ex Rhetia Norlingenſi originem ſuam ducat.*

Multa deniq; in Palatinatu templa, multa etiam fuere monaſteria; inter quæ Lauriſſēſe, *vulgo* Lorſch /

per

per Carolum Magnum, aut vt alij putant, per Pipinum conſtructum, in quod Taſſilo, Dux Bauariæ, vna cum filio eius Theodone, à Carolo Magno detruſus fuit, quum fœdifragus, & periurus deprehenſus fuiſſet. Atque hæc de Palatinatu Rheni, *Gerardus Mercator.*

DANIELIS PAREI

Hiſtoria PALATINA.

ALEXANDRVM MAGNVM Macedonem, Orientis illum domitorem, cum in Sigaeo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, exclamaſſe ferunt: *O fortunate adoleſcens, qui tuæ virtutis* HOMERVM *præconem inueneris.* Et verè. Nam niſi Ilias exſtitiſſet illa, idem tumulus, qui corpus Achillis contexerat, nomen etiam obruiſſet: ait diſertiſſimus Romuli Nepotum. Quot & quantos arbitraris fuiſſe Boiorum Reges, quot priſcos Palatinos Comites, quot præſtantiſſimos bellorum Duces, quorum res geſtæ iam perpetuis iacent in tenebris, quia Hiſtoriarum lumine caruerunt? Hanc ob cauſam illos

arbitror de Republica optime mereri, qui Magnorum Principum memoriam ab obliuione vindicant, & ad poſteros propagare ſatagũt. Cummaxime autem conſultum iudicant prudẽtiores omnes, ea luci reſtitui, quæ domi noſtræ quondam facta ſunt, ac de propriis rebus erudire nos poſſunt. Etenim præpoſterũ, adeoq; indignum fuerit, inquirere ſolicite curioſeq; in exterorum facta, dicta, monumenta: q̃ vero geſta ſunt ędibus in noſtris, ea floccifacere, ac tenebris obruere. Vnde talis ignorantia cõſequatur neceſſe eſt, in quali maiores noſtri ſæculis anterioribus verſati ſunt, qui cum priſcorum Germanorum præclare geſta non propagarint, in ſummam inſcitiam veri poſteros coniecerunt; cuius negligentię merito à grauiſſimis Hiſtoriographis adhuc hodie accuſantur.

Eundem tamen Alexandrvm Magnvm aiunt ex numero pictorum & ſtatuariorum, licet ætas illa plurimos tuliſſet, non niſi præſtantiſſimis duobus, Apelli & Lysippo, illi pingendum, huic fingendum ſe præbere voluiſſe, nec id gratiæ cauſa, ſed quod illorum artem ſibi gloriæ fore putaret. Magnis enim Principibus magni conueniunt artifices; altæ mentes ea, quæ præclare ac fortiter

uter geſſerunt, nolunt humiliter prædicari, & aut nullam amant laudem, aut factis parem. Itaque velim Sereniſſimis, Illuſtriſſimis, & Celſiſſimis Principibus Palatinis ad Rhenum, Bavariæ Ducibus, (quos ſolos è CAROLI MAGNI proſapia reliquos, & Germanorum Principum eſſe Nobiliſſimos, ſcriptorum grauiſſimorum ſuffragia teſtantur) ſummos Oratores, Poetas, Hiſtoricos, & dignos eorum laudum buccinatores contingere. Et ſane animum meum haud raro ſubiit quædam admiratio, quod cum Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Principes Palatini ad Rhenum, & Sacri Romani Imperii Septemviri primarii, ad vnum fere omnes clementiſſimos literatorum Mæcenates ſeſe præbuerint, ac multos viros doctos, omnium diſciplinarum apprime peritos, ſatis liberaliter habuerint: ex iis tamen perpauci admodum extiterint, qui ſummos illos Principes, Muſarum Patronos benigniſſimos, & res Palatinas, pro meritis celebrare in animum induxerint: cęteris omnibus tanquam ſigalionibus in ingrato ſilentii templo collocatis. Extiterũt quidem olim Geſta Comitum Palatinorum, per quendam Monachũ Laurisheñſis cœnobii deſcripta: quæ cũ aliis id genus ha-

buit & excerpſit IOHANNES TRITHEMIVS, Abbas Spanheimenſis: vt teſtatur in Præfatione Chronici Hirſaugienſis. Sed & ipſe Trithemius ſcripſerat de Origine, Regibus, ac Ducibus Bauarorum, ſimul & Comitum Palatinorum, & Spanheimenſium Libros IV. ad Ducem IOHANNEM, Comitem Palatinum & Spanheimenſem, apud Simmeren reſidentem: ſi verus eſt Catalogus Operum eius Polygraphiæ præfixus. Sed hæc omnia interierunt, nec de eis recuperandis ſpes vlla. Idem Trithemius res geſtas FRIDERICI I. VICTORIOSI, Electoris Palatini, in Chronico Spanheimenſi per annorum ſeriem cum curâ conſignauit. Extat eiuſdem Chronicon ſucceſſionis Ducum Bauariæ, & Comitum Palatinorum, ad PHILIPPVM Palatinum, Principem Electorem; iuſſu illius ſcriptũ, quod cum aliis Trithemii Operibus Hiſtoricis recuſum eſt.

Poſt Trithemium Abbatem, magnam illuſtrationis ſuæ gratiam familia Palatina debet HVBERTO THOMÆ LEODIO, cuius non ita pridem Libri XIV. Annalium, de rebus geſtis FRIDERICI II. Electoris Palatini, publicis typis Francofurti ad Mœnum editi ſunt. Sed & in NICOLAI CISNERI, Mosbacenſis Palatini,

magni nominis Iuriſconſulti, opuſculis, plurima leguntur ſcitu digniſſima, de Palatinis Principibus, & Bauariæ Ducibus. MARQVARDVS autem FREHERVS, Conſiliarius Archi-Palatinus bene merentiſſimus, gentis & dignitatis Palatinæ primordia altiꝰ repetiit, in illis, quas ex imis antiquitatis viſceribus eruit, inq; lucem protulit, familiæ Palatinæ Originibus. Quin etiam aduerſus CHRISTOPHORVM GEVVOLDVM, IC. & Conſiliarium Bauarum, Electorum Palatinorum iura vetuſta, decora, priuilegia, & eiuſmodi alia, grauiter admodũ defendit. Gevvoldus ille librum de S.R. Imperii Septemviratu vulgauerat, in quo inter cætera demonſtrare voluit, Electoratum non Palatinatus, ſed Gentilicium decus eſſe Domus Bauaricæ: neq; enim Electores fuiſſe Heidelbergæ Principes, ob Comitum Palatinorum prærogatiuam, ſed quia genus duxerint a Bauariæ Ducibus. Nec mihi ſilentio prætereundus Illuſtriſſ. & Prudentiſſ. Princeps, IOHANNES I. Palatinus Bipontinus: quem primo loco nominare debebam. Is n. nõ modo multum operæ & ſtudii in illuſtranda genealogia Palatinorũ Principum impendiſſe, ſed in eo quoq; genere præclarum quid præſtitiſſe fertur. Nam cõtinuum illum ordinẽ

inclytorũ maiorum Magnanimi illius Herois OTHONIS I. WITTELSPACHII, ex gente Schirenſi Boiariæ Ducis, iam inde vſq; ex CAROLI M. genere indagauit, & ex ſalebris, in quibus multi hærẽt, euaſit, omniaq; impedimenta, q̃ obſtare videbãtur, remouit. Sed & plures ſpero futuros Homeros, Apelles, Lyſippos, qui nõ quidem corporis lineamenta, & ſimulachra, q̃ cum tabellis & marmorib⁹ ſimul intereunt, ſed Principũ Palatinorum virtutes, literarum monumentis conſecrent, & ad ęternam poſteritatis memoriam propagent. Quorum ego præſtantiam etſi non aſſecutus, at ſtudium æmulatus, HISTORIOLAM hanc PALATINAM, ſoloci filo, abſq; pompoſis verborum phaleris: & præteritis Rhetorum ambagibus, cõſcribere volui, in amorem Electoralis Palatinatus, patriæ meæ deſiderantiſſimæ, quę me extorrem neſcio qua dulcedine ducit, & immemorem non ſinit eſſe ſui.

Inter cæteras igitur Germaniæ Principum familias, PALATINA DOMVS omnium ſemper nobiliſſima pariter, atque laudatiſſima fuit habita. A CAROLO ſiquidem MAGNO, Pipini Regis Francorum filio, Imperii Occidentis inſtauratore preglorioſiſſimo, Palatinos deſcendiſſe, cuiuis notum eſt. Et fuit eorum gu-

berna-

bernatio fere mitiſſima, prorſuſque *ἀναί-μακτος*, patriæ Nationis Germanicæ primum; ſuarum dein prouinciarum conſecrata ſaluti. Neque vero vlla in genere humano familia reliqua dicitur, quæ paternâ origine è CAROLI MAGNI, primi Germanorum Imperatoris, proſapiâ deſcendat, præter hanc modernorum Comitum Palatinorum Rheni, & Ducum Bavariæ gentem. Id vt magis eluceſcat, viſum eſt præmittere Hiſtoriæ Bavaricæ ſynopſin, in quâ eorum Ducum ſeriem, & res geſtas, in breui quaſi tabellâ adumbrabo, qui, poſt Caroli illius Magni Imperium, in Bavariâ ad gubernacula Reip. ſederunt.

De Bavaricis rebus luculenter ſcripſerunt: ANDREAS, presbyter Ratiſponenſis: IOANNES AVENTINVS, Boiorum Liuius, qui peragratâ Germaniâ, Galliâ, Italiâ, Sarmatiâ, Pannoniâ, & vtraque Bavariâ, ſeptem libris Annales Boiorum conſcripſit: adiutus liberalitate Sereniſſimorum Ducum Bauariæ, GVLIELMI, LVDOVICI, & ERNESTI. Hos Annales NICOLAVS CISNERVS, Mosbacenſis, IC. Palatinus celeberrim⁹, Latine & Germanicè ex Manuſcriptis authẽticis Codicib. reſtituit. MARCVS autem VELSERVS, Auguſtanus ille Boicusq; Tacitus, ſcripſit

Annales Boicos libris quinque tantâ perſpicuitate, tantâ fide, tantã prudẽtia, tanto nitore, vt meditanti videantur adſtitiſſe hinc Muſæ & Gratiæ; hinc Confus, Apollo, Suada, Venus. PHILIPPVS etiam APIANVS, celebris Mathematicus, Academiæ Ingolſtadienſis Profeſſor, iuſſu Principis ALBERTI, Bauarię deſcriptionẽ aggreſſus eſt, quam magnis longiſq; laboribus, & itinerib. variis ſuſceptis, anno 1567. abſoluit, ſuiſq; typis elegantiſſimè expreſſit. Opus hoc gratiſſimum fuit Bauariæ Duci Alberto, qui duobus millibus & quingentis aureis authorem donauit; quotannis vero præter ſalarium Academicum duplicatũ, centum quinquaginta florenis ad dies vitę. Sed ego rem omnem compẽdio tantũ delineabo, vt in Synopſi Lector videat, quod per longa ſparſim horũ Bauarorũ ſcriptorum volumina legitur.

BAVARIA, Regnum olim florentiſſimum & ampliſſimũ, Reges antiquitus habuit: ſub Francorum autem Imperio Duces accepit. Agilolfingis imperantibus, ab ortu ad Anaſsũ vſq;, ſiue Aneſum flumen, quod Hũnos à Boiis diuidebat, pertinuit: ſicut ad Occidentem Lyco ab Alemanis ſeu Suevis diſtinguebatur, hodieq; diſtinguitur. Verſus Meridiem ad Tridẽtinum vſq; agrum, & Alpes Italiæ porrigeba-

gebа-

gebatur. A Septentrione Danubio claudebatur, ita vt Paulus Diaconus veterem Boiorum regionem omnē, Suevia, Italia, Pannonia, & Danubio definiat. Verba Diaconi ſunt: *Noricorum Prouincia, quam Baioariorum populus inhabitat, habet ab Oriente Pannoniā, ab Occidente Sueuiā à Meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Adeo populus olim Boicus late fuſus, quatuor tetrarchiis cuſtodiebatur, quibus limitū Præfecti (poſtea Marchiones, ſeu Palatini) prǫerant, omneſq; Principi Maximo Boiorum parebāt, quos ille pro arbitratu ad fines tuendos mittebat, vel inde auocabat. Hanc Boiorum potētiam fregit Frider. Barbaroſſa Imp. cū Auſtriam anno Chriſti 1156. Henrico, Frid. Ænobarbi patruo, in publico Conuentu Principū Reginoburgi aſſignauit, ipſumque Henricum ex præfecto limitis Oriētalis Franciæ, & Marchione Principis titulo inſigniuit, traditis etiam ex Bavariâ quibuſdam Toparchiis. Idem Imperator anno poſt Chriſtum natum 1180. proſcripto Henrico Leone, Boiorum & Saxonum Principe potentiſſimo Bavariam cōmiſit Othoni Wittelspachio, Præfecto prætorio, vnde genus illuſtre trahunt, qui hodie Bavaria & Palatinatu ad Rhenū potiūtur. Ad Chriſtianam autem

fidem ante pleraſq; Germaniæ partes Bavaria conuerſa, ſtatus Imperii primarius ſemper fuit. Duces eius cæteris poſt Electores principibus, quantum potentia & nobilitate maiores, tãtum etiam honore & loci prærogatiua antelati. Ducatus Bauariæ in quaternaria illá diuiſione Ordinum Imperii (ſi qua ei fides) principe loco collocatus. Ex hac deniq; familia non tantum aliæ complures Illuſtres principũ familiæ, quaſi ſurculi annoſiſſimæ arboris, enatę; ſed multi etiam, iique laudatiſſimi Cæſares & Auguſti orbi Chriſtiano dati. Et; (quod rarum ac prope vnicum Dei beneficium) à multis iam ſæculis, primaq; adeo origine ſua, inclytum genus hoc continua ſerie, abſque vlla interruptione, feliciter vſque ad noſtram ætatem propagatum eſt. Hoc olim vt inſigni fœcundia in multos ramos diffuſum, ita Fortuna fauente, finibus iterum late prolatis, multas alias ditiones ſinu ſuo recepit: vt veteres illos Margraviatus, Krayburg ad Oenum, Vohburg, Chambiam; Neomarchiam; & Landgraviatus atque Palatinatus, Wittelſpach, Scheyrn, Dachavv, Andechs, Vallay, Stefling, Stauff ad Regenum, Lengefeld, Kalmuntz, ne & Comitatus enumerem, Grayſpach, Hirſchberg, Am-

bergthal,

bergthal, Sulzbach, & alios.

Reges Bavariæ veteres à THEODONE orti, numerantur XIII. vſque ad TASSILONEM, vltimum Agilolfingorum ſiue Regem (nam & Regium ſibi nomen vſurpauit) ſiue Principem. Natus eſt TASSILO, Patre VTILONE, eodē an. 742. quo CAROLVS MAG. quartodecimo anno rudimentum Martis in Pipini caſtris poſuit, proximo anno ſe, gentemque totam in Pipini clientelam dedit, quem altero & viceſimo deſeruit, neſcio quomodo vel à Pipino, vel officiis aulicis offenſus, & rupto primum fœdere domum ad Vtilonem Patrem refugit, vxorem dein Luitpurgam, Deſiderio vltimo Longobardorum Rege natam, duxit, cum annum ageret octauum ſupra vigeſimum. Suſcepit ex coniuge geminos virilis ſtirpis liberos, GVNTHERVM, ab apro in venatione interemptum, & THEODONEM ſtirpis vltimum, ab Hadriano Pontifice Romæ ſacro fronte luſtratum. Hoc vero offendit TASSILO, quod pactis non ſteterit cum Pipino & Carolo Magno initis: quin & arma contra mouere Luitpurgâ inſtigante, ſæpius conatus, tandem regno Bavariæ, & poteſtate exutus, reuſque Majeſtatis, veniam eâ condi-

tione impetrauit, vt in Monachum attonſus, priuatam cum filio Theodone vitam coleret. Cœnobium igitur Laurisheymenſe S. Nazarii, non procul à Wormatia, Taſſilo intrauit anno Chriſti 788. quo tamen anno ex hac vita emigrauerit, non proditur ab Hiſtoricis. Tumulus eius in nobili illo Cœnobio Laurisheymenſi etiamnum oſtenditur, cum hac inſcriptione:

CONDITUR. HAC. FOVEA. QVEM. PIE. CHRISTE. BEA.
TASSILO. DUX. PRIMUM. POST. REX. MONACHUS. SED. AD. IMUM.
IDIBUS. IN. TERNIS DECESSERAT ISTE. DECEMBRIS.

Exitus Agilolfingorũ Imperii is fuit, anno ducenteſimo octogeſimo, poſtquã Theodo primum pedem in Bavaria poſuit. Stirps inter Germanicas ſine controuerſia vetuſtiſſima & nobiliſſima, in cognomine THEODONE, Taſſilonis filio extincta eſt.

Taſſilone exauctorato, & in Cœnobium cum Theodone filio retruſo, Bauariæ in prouinciæ formam redactæ,

ctæ, præfecit GEROLDVM, virum cum genere natalium, tum virtutis gloria illuſtrem: quem veteres ſcriptores Comitem atque Conſiliarium, atque ſigniferum Caroli promiſcuè dixêre, non nemo conſanguineum. Domo Suevum, Hildegardem ſororem habuiſſe, ampliſſimam præfecturam affinitatis ſuffragatione à Carolo conſequutum, certis Monumentis compertum eſt. M. Velſerus II. Vir Auguſtanus mortem eius ſtylo proſecutus in hæc verba ſcribit: Anno 799. Hunnicum bellum recrudeſcens, veteri verbo fidem aſſeruit, metum non diuturni officii cuſtodem eſſe. Ad primum tumultus nuncium armati accurrêre, ERICVS Foroiulienſium Dux, & Geroldus Boicæ præfectus. Enimuerò vtriuſque virtutem perfidiâ interceptam fortuna deſtituit, vt bellum Francis cætera incruentum propemodum vni funeſtarint. Ericus Tharſaticam, quæ Liburniæ ciuitas ad mare ſita, obſidione cingens, homo militaris, multis victoriis clarus, oppidanorum inſidiis circumventus, ignara morte perimitur. Sigebertus à ſuis cæſum ſcripſit: nos plures, & ſine cõtrouerſiâ grauiores teſtes, principem Eginhardum ſequimur. Geroldus nihil properiore caſu, acie inſtructâ, ma-

nus iam conſerturus inter ordines obequitans, dum aptâ oratione militum animos erigit, certam aduerſus hoſtem eum victoriam ſpondens, qui ſpem adhuc omnem in fugâ poſuerit, incertum cuius virtute an ſcelere improuiſo cecidit. Nam equites eum comitati duo, ſimul interfecti ſunt; facti auctor latuit: corpus in Augiæ Monaſterium conditum, cum Epitaphio.

Mole ſub hâc magni ſeruantur membra GEROLDI,
Huius iura loci cunctis qui viribus auxit,
Pannoniis verâ Eccleſiæ pro pace peremptus,
Oppetiit ſæuo ſeptembribus enſe Kalendis,
Sideribuſq́ animam dedit. Artus Saxo fidelis
Abſtulit, huc retulit; dignoq́ hic clauſit honore.

CAROLVS, (ſtirps Heroici generis, Comitum Palatinorum ad Rhenum, & Bauariæ Ducum modernorum,) propter rerum, quas geſſit, magnitudinem, Alexandri Macedonis, Pompeii, Conſtantini exemplo, ex virtute dictus cognomento MAGNVS, rectius veriuſq; propter ſingularem militaris diſciplinæ ſcientiam, ſummam literarum cognitionem, ardentiſſimum religionis ac pietatis ſtudium, TER MAXIMVS appellandus,

dus, Anno poſt Chriſtum natum 742. Pipino Francorum Rege ex Berthâ ſeu Berthradâ Græcâ Principe natus, genus, multorum quidem animo, à Boiis, non hi ab illo, traxit. Vtilo Agilolfingus, Theodonis I. frater, Carolinorum auctor fuiſſe perhibetur. Plurimi ſanè Carolum hunc Magnum è ſtirpe Agilolfinganâ Theodonum, Boicæ quondam Principum, oriundum tradunt: Patre Pipino breui ſeu Puſillo: Auo Carolo Martello, Proauo Pipino Craſſo: Abauo Anchiſo: Atauo S. Arnulpho, Mediomatricum ſeu Metenſium Epiſcopo: ſed quo loco Carolus Magnus natus, Eginhardo auctore, incertum: ſiue patrium ſolum fuit Ingelhaimium, quod altero milliari Moguntiâ diſtat: ſeu Caroloburgum, quod in Bauariâ tertio lapide ab vrbe Monachio, Regiâ Principum Bauarorum abeſt: ſiue haud procul Leodio, vt Belgæ volunt: ſiue denique Ingelhaimii apud Francos. Nam ferè de Caroli Magni hodie, vt olim de Homeri patriâ, certatur. Nos cum Eginhardo negamus natalem Caroli terram certo ſciri poſſe. CAROLVM MARTELLVM habuit auum, qui primus Franciam ab impotenti Tyrannorum dominatu in libertatem aſſeruit. PIPINVS Pater, co-

gno-

gnomento Pvsillvs, ex Præfecto Palatii Rex Franciæ, poſt quintum decimũ, quàm regnare occeperat, annum, interfuſâ cuti aquâ extinctus, Anno 768. VIII. Kal. Octobr. regni hæredes Carolomannvm, & Carolvm Magnvm, ex ſe natos reliquit. Carolomannus patrium regnum accepit: poſteà ſpretis rebus humanis Monachatui nomen dedit. Obiit, Anno 771. die 4. Decemb. Hoc tranſmittendum ſilentio non eſt, eodem anno geminos in lucem heroas editos: quorum Tassilo Boiorum principatum finiit, Carolvs Magnvs ad Francos translatum inchoauit: cùm Theodo Princeps gentis Bauariam anno receptæ ſalutis 508. Romanam tum prouinciam inuaſiſſet, quam Theodo vltimus & vnicus Taſſilonis hæres, ducenteſimo poſt & octogeſimo anno cum Patre amiſit, vti Auguſtulus imperium Romanum ab Auguſto inchoatum, Cõſtantinus Palæologus Conſtantinopolitanum, quod Conſtantinus Magnus fundarat, finiuit, & Carolus Magnus poſtliminio Occidentis Imperium reſtituit, & Franciæ Germaniæque intulit, primus ex Germanis à Pontifice Leone III. imperatoriâ laureâ inſignitus. Iam per capita Caroli Magni ſtudia, mores,

con-

coniugia, bella, aliaque eius opera compendio exequamur. Quibus exercitationibus creſcentem pueritię florem initiarit, etſi ſcriptores non exponant, & Eginhardus infantiam pueritiamque ſcriptis neget illuſtratam, Grammaticæ tamen tirocinio à Petro Piſáno Diacono imbutum tradit. Elegantiam dicendi, rationem diſputandi, & ratiocinandi, cœleſtium item rerum diſciplinam, aſtrorumque cognitionem ab Albino, cognomẽto Alcuino, hauſiſſe docet. Quin & verſum ſtruere norat, & hodie Hadriani Epitaphios, & Epiſtola ad Paulum Diaconum Hiſtoricum legitur. Sacrarum literarum volumina tam tractata habebat, vt ipſe diſcipulus Magiſtrum ſuum erudiret, & quæſtiones ab eodem ſibi poſitas expediret. Rerum Eccleſiaſticarum ſtudio fuit tanto, vt carmina, hymni, odaria, ipſius potiſſimum iuſſu & auctoritate componerentur, quæ hodieque in Eccleſiâ Romanâ retinentur. Ex quibus omnibus facilè cogas, Carolum primam adoleſcentiam in literarum meditatione, præter regias equitandi venandique, & arma tractandi artes, conſumpſiſſe; nec poſteà, vbi paullatim à bellicis ſtudiis otium erat, intermiſiſſe: vt & hâc in re cum Iuliis, Auguſtis, Germani-

mani-

manicis, Iulianis, Theodoſiis, contendi merito poſſit. Academias geminas inſtituit, Ticinenſem, & Lutetianam, illam, inquam, Academiarum omnium parentem & reginam, ex quâ, velut ex equo Troiano, tanta virorum copia, omni doctrinarum genere cultiſſima profluxit. Bononienſem à Theodorico erectam inſtaurauit. Latinam linguam æquè ac patriam callebat, Græcam intelligere melius, quàm pronunciare poſſe credebatur: adeò diſertus erat, vt eloquentiam ipſam docuiſſe, non ab illâ artem dicendi didiciſſe videretur.

Virtute militari, quà arte & ſcientiâ, quà fortitudine & felicitate, ita præſtabat, vt pares fortaſſe Conſtantinum Magnum, & Theodoſium Magnum habuerit, neminem certè, præſertim ex Chriſtianis, ſuperiorem. Inter paganos cum Alexandro & Cæſare iure componas. Quintodecimo anno à Patre Marti initiatus prælio adfuit, quo Varifarium Aquitaniæ Principem Pipinus bello nouennali perſecutus, tandem fregit, cepit, & defectionis pœnas morte luere coegit. Compoſita videbatur Aquitania, cùm Pipino vitâ & Regno cedente, Hunoldus patratum, vt putabatur, bellum inſtaurat, quem Carolus iam ſuis auſpiciis

præ-

prælio, quod primum commiſit, fugatum, Aquitaniâ exuit, nec apud Vaſcones conſidere paſſus, ipſum Vaſconum Ducem Lupum, cum dedito Hunoldo, in fidem & clientelam accepit, & Aquitaniam, Vaſconiamque omnem in ſuam ditionem redegit. Tertium rogatu Hadriani Pontificis in Longobardos, tum Eccleſiæ, vti ſuperioribus annis, infeſtos ſuſcepit: regem illorum Deſiderium Ticini per totam hyemem arctâ obſidione circumſeſſum, & ſe & regnum dedere, quibus victor voluit conditionibꝰ, coëgit. Interim Carolus relicto ad munitiones milite, Romam contendit, & reuerſus Deſiderium exire compulſum cuſtodię mandauit: Adalgiſus Deſiderii filius, & Regni hæres, Conſtantinopolim profugit, ibique diem vltimum clauſit. Carolus Italiâ potitus, quæ Longobardus Italiæ ſubtraxerat, reſtituit: Regem æterno exilio multauit. Amplius ducentos annos Longobardum in Italiâ dominatum, Carolus vnâ obſidione domitum, regnoque exutum, in Eburones exulatum miſit. Saxonicum indè bellum excepit, quod tres & triginta annos durauit, ſæpe compoſitum, ſæpe inſtauratum. Alterum poſteà Longobardicum, quo Rotgardum Foroiulii regulum regnum

gnum affectantem occidit. Tum Hiſpanicum, Hunnicumque, quod ipſum octennale fuit: Bohemicum, Danicum, Slauonicum, Bauaricum, & alia felici euentu geſta omnia.

Iam ipſius robur vireſque corporis eæ fuerunt, vt propè fidem excedere viderentur. Equitem cataphractum, equumque vno ictu medios diuiſit; militem armatum manu planâ ſublatum, nullo negotio ad verticem vſque capitis tollebat, aliaque inuicti roboris argumenta, velut alter Samſon edebat. Imperii fines longè lateque protulit, vti meritò Occidentis Imperator diceretur, cùm omnem Italiam, Germaniam, Galliam obtineret, diuiſumque orbem cum Nicephoro Orientis Principe poſſideret: quamquam ille Carolum magis timebat, quàm amabat, cùm diceret: τὸν Φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς. *Francum amicum habeas, vicinum caueas.* Francicum Imperium Caroli Magni tàm latè patuit, vt bonam partem Orientis & Occidentis complexum ſit. Inde in Orientalem & Occidentalem Franciam diuiſum eſt. Ad Orientalem quidem Franciam pertinebant Thuringi, Saxones, Friſii, Bauari, Sueui, Lotharingi, & alii. Ad Occidentalem verò Gallia Belgica, Celtica, Lugdu-

gdunenſis, & regna reliqua referebantur. Hodiè Orientalis Francia, quæ & Franconia dicitur, ab ortu terminatur Bohemia, à meridie Bauariâ, & Sueuiâ: ab occaſu Rheno, à ſeptentrione Haſſiâ & Thuringiâ.

Miſſitata etiam Carolo Magno ab Imperatoribus Regibuſq; digna tanto Imperatore munera. Ex Perſide Abdella legatus, papilionem & tentoria è ſerico attulit, mirandæ tum magnitudinis, tum artificii: veſtem item peregrinam, odores, Arabum opes & vnguenta, balſamaque. Sed præ cunctis omnium oculos in ſe conuertit raræ artis, nouique ingenii horologium, quod in Francorum Annalibus deſcriptum leges. Idem per Iſaurum inuſitatæ molis beluam Indicam Abulabazanem tranſmiſit.

Clementiâ in victos quâ fuerit, vel ex hâc Chriſtianum & Chriſtianiſſimum, vt illum Eccleſia Romana honoris cauſa nuncupauit, agnoſcas. Extra aciem quem hoſtium occidit? Deſiderium ſeruauit: Taſſilonem bello ſæpiùs victum, & Maieſtatis conuictum, iuſſit aliis in cœnobio ſubeſſe, qui ſuis domi malè præfuiſſet. Pipinum nothum in coniuratione deprehenſum, vti Taſſilonem, coëgit Monachum induere. Iam verò

ſo-

ſocios exilio multauit, niſi qui dedere ſe recuſabant. Saxoni Witekindo toties rebellanti, toties perduelli, victoque, aliam ferè legem non tulit, quàm vt Chriſtum, eiuratâ idolomaniâ coleret. Vnde diſcas, quantum interſit, inter Chriſtianos Principes, & paganos, qui proſcriptionibus Imperia exhauriebant, quotquot poterant, occidebant, quos non poterant, fugabant. Vti non ſit magnoperè mirandum, pleroſq; ferro, quo tam impotenter abuſi ſunt, cecidiſſe, cum ex Imperatoribus Romanis, per annos amplius quadringentos, nullus gladio occubuerit. Primus Philippus, Ænobarbo natus, quòd Othoni VVittelſpachio, Præfecto prætorio, adulterinas literas pro legitimis dediſſet, filiamque diu deſponſam negaſſet, ferro cæſus, quod nollem factum, occubuit; cæteri omnes ante, facto ſuo, ex naturæ præſcripto, defuncti. Poſt nonnulli interempti.

Vxores Caroli Magni numerantur ab aliis quatuor, ab aliis quinque, ordine ductæ; prima Deſiderio Longobardorum Rege nata, vel, vt alii, Theodorici ſoror: ſecunda Bertha, ſeu Herminga-ria, quam poſt annum, inuitâ matre, repudiauit. Tertia, Hildegardis illa non Boica, vt nonnemo exiſtimauit, ſed Sue-

ua ge-

genus, Geroldi Comitis, & Boicæ
…toris ſoror, ex quâ trigeminos ſtirpis
…ilis, & totidem muliebris ſuſcepit.
…AROLVM, PIPINVM, LVDOVICVM
…IVM, qui proximus à Carolo Magno
…nperauit; Rotrudim, Bertham, & Giſ-
…am. Tertiam duxit à morte Hildegar-
…dis, Faſtradam Francicam fœminam, fe-
…rocis ingenii: & hâc fato ſublatâ, poſtre-
mam Luitgardam, quâ item rebus hu-
manis exemptâ, cum aliis exindè con-
ſueuit, nullo iam nuptiarum fœdere co-
pulatus, quod nemo ſit ab omni parte be-
atus, vt generoſiſſima quæque vina ſuas
alunt fæces, in lætiſſimâ ſegete infelix
lolium ſuccreſcit; vbi mel, ibi fel: vbi v-
ber, ibi iubar: has Carolus animi corpo-
riſque labes multis virtutum laudibus
compenſauit, immò deleuit: tot ædibus
ſacris à fundamentis excitatis, tantis pe-
cuniarum copiis in egentes toto orbe
effuſis, tot ſedibus Epiſcoporum poſitis,
vt taceam alia plena admirationis facta,
quæ Cupidinis non vulnera tantum, ſed
cicatrices etiam potuerunt abolere.

Gentium res memoratu dignas in li-
teras mitti curauit. Rem diuinam in æde
ſacrâ aſſiduè obiuit, neque ſtatas preces
& canonicas ſeu diurnas ſeu nocturnas,
cùm valuit, vnquam neglexit: ſacris o-
peran-

perantes, magnâ religione attendit. Canendi pſallendique artem inprimis callebat, & ipſe exerrantes emendabat, modeſteque canentibus accinebat. Nouas Epiſcopis ſedes nouem poſuit. Monaſterienſem, Mindenſem, Halberſtadianam, Oſnaburgenſem, Bremenſem, Padeburgenſem, Verdenſem, Hamburgenſem, Hildesheimenſem, ſeu Hildemenſem. Duas ad dignitatem Metropolitanorum prouexit, Iuuauienſem & Hamburgenſem. Baſilicam Aquiſgrani condidit, auro argentoque ornatam: cancellos & portas ſolido ære iuſſit rigere, pilas è marmore Româ & Rauennâ aducto ſurrexit. Chriſtiana lex paſſim à Carolo Magno propagata, Saxones, Dani, Hunni, Slaui, aliique, damnato dœmonum cultu, Chriſto ſe dediderunt. Eccleſiam Romanam, Longobardorum immanitate penè oppreſſam, victis barbaris, in libertatem aſſeruit; oppida, agros, prouincias reſtituit, nouiſque beneficiis cumulauit: Regibus Francorum Pontificum Romanorum tutelam commiſit, vti illos ab hoſtium incurſionibus & inſidiis propugnarent. Catholicam Eccleſiæ Romanæ ſententiam à teneris vnguiculis, ad vltimum vſque vitæ punctum, conſtantiſſimè retinuit, coluitq;

eiuſ-

uſque diſciplinam morum, & cæremo-iarum multis pontificum conciliis re-ituit. Felicis infeliciſſimi, Neſtoria-am ſectam iam olim execratam olentis, celebratis pluribus patrum Synodis, eliminauit, funditusque extirpauit. Imaginibus & ſimulachris parùm tribuit, in quorum vſu & cultu plurimi hodie proram & puppim religionis collocant: ita, vt, quemadmodum olim Lactantius dixit, nullam ibi eſſe religionem, vbi ſit ſimulachrum; ita contrà nulla illis religio, vbi nulla eſt imago ſeu ſimulachrum, eſſe videatur. Pontificem prætereà Leonem, à ſuis malè mulctatum, punitis noxiis dignitati reſtituit, ad ſe venientem ſummâ cum veneratione excepit. Temperabat ſummum Imperatoriæ Maieſtatis faſtigium planè Chriſtianâ modeſtiâ, nec auro gemmiſque, niſi ſummis Chriſti celebritatibus cultus apparebat, quotidiana veſtis parum à communi & plebeiâ abhorrebat. Accedebat in quotidianâ victus ratione, temperantia: Oderat ebrioſorum clamores & intemperiem, ipſe inter lautas etiam, quas rarò inſtaurabat, cœnas ter bibere, rarò ſæpiùs conſuerat. Legibus vetuit, ne quiſquam alterum ad pocula & ebrietatem prouocaret: ſub ipſis epulis acroama au-

diebat, aut ex Hiſtoriâ veteri maiorum facta, potiſſimum tamen D. Auguſtini de Ciuitate DEI libris aures præbebat. In omnes egentes benignus, non populares tantum, ſed toto orbe remotos, Syros, Ægyptios, Afros, Palæſtinos, & quoſcunque denique, vbi vbi gentium degerent, ex Chriſtiano cenſu, laborare inopiâ cognoſcebat, donis & pecuniâ ſubmiſſâ fouebat, eoq; nomine ſibi Perſarum, Afrorum, & Syriæ Principes beneficiis deuinciebat, vt Chriſtiani apud Barbaros degentes ſuis Regibus propitiis vterentur. Peregrinos ita complectebatur, vti non ſolum regia ipſius, ſed totum Regnum aduenis, ad inuidiam propè ipſius, inundaretur. Multa & viſenda opera, ædeſque ſacras & palatia, porticus ac pontes, aliaque molitus, partim perfecit, partim inchoauit. Regiam Ingelhaimianam, in natali, vt multi ferunt, ſolo propter Moguntiacũ; alteram Nouiomagi Vahali flumini impoſuit. Longè celeberrimum & auguſtiſſimum eſt templum illius Aquis excitatum, & pons, paſſus quingentos longus, Rheno ad Moguntiam iniectus, qui anno, quàm moreretur Carolus, fœdo nomine conflagrauit. Cœnobia multa à fundamento erexit; alia, vetuſtate colla-

pſa,

a, inſtaurauit: orbem denique terrarum Principum in Oriente improbis imperiis fatigatum, quodammodè recreauit. Teſtamento verò, quod triennio antè mortem confecit, opes, quas poſſedit, vniuerſas, aurum, inquam, omne, argentum tàm ſignatum, quàm rude, gemmaſque, & omnem pretioſam ſuppellectilem, ac regium apparatum, in tres partitus ſortes: Primam integram iuſſit cuſtodiri, duas in vnam & viginti diuiſas partes, Metropolitanis in Imperio ſuo ciuitatibus tribuit, ita ſortiendas, vt Archiepiſcopus quiſque ex acceptâ ſuâ ſorte trientem ſibi retineret, duas reliquas ſubiectis Pontificibus aſſignaret. Sacræ Pontificum maiorum ſedes nuncupatæ ſunt, Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulii, Gradus, Colonia Agrippina, Moguntiacum, Saliſburgum, Rotomagus, Treuiri, Senones, Veſuntium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna, Taratafia, Eborodunum, Burdegala, Turones, Bituriges. Primum autem ac principem ex tribus capitalib⁹ partibus ad vſum vitæ quotidianum adhibuit: quod à morte ex eâ reliquum eſſet, quadrans omnium, viginti illis & vni Metropolitanis adderetur. Ex altero quadrante liberi, ac nepotes, mares iu-

 xta

xta ac fœminæ hæredes eſſent. Tertius egentibus cederet: quartus aulicis officiis, ſeruis, inquam, & ancillis. Subſcripſere tabulis Epiſcopi vndecim, cœnobiarchæ quatuor, Comites quindecim. Tabulas ipſe Pontifex Romanus Leo III. ſuâ manu confirmauit: Ludouicus Pius Imperator filius, ſecundum Patris mortem, ſummâ fide quamprimum executus eſt.

Fatalem illi diem (vti multis aliis ad ſumma Reipublicæ gubernacula ſedentibus vſu venit) multa prodigia portendêre. Crebræ ſiderum duorum Principum defectiones, quibus imminentem Caroli mortem ſentire, lugereque iam tum videbantur. Accedebat lurida ſolem medium inquinans macula, per ſeptiduum ſpectata: porticus intrà regiam & Baſilicam ſubitò collapſa: pontis decennali opere facti propè Moguntiam conflagratio: faces ſereno cœlo ante eius ora emicantes, eodemque tempore equi, cui inſidebat, cadentis, & vectorẽ grauiter affligentis lapſus, iaculumque longè è Caroli manibus excuſſum: Palatii, in quo diuerſabatur, aſſiduus tremor: conclauium crepitus: tactum de cœlo ſummum Aquis templum: malum aureum è tecto deiectum: litteræ coronæ,

CAROLVS PRINCEPS, expunctæ. Ergo quartodecimo anno poſt octingenteſimum à Chriſto nato, correptus febri, quam inediâ, vt ſæpe conſue-, fruſtrà pellere conatus eſt. Nam cum vehemens dolor pleuritidis accederet, ſeptimo poſt die, quàm decubuerat, Aquis Granis, rebus ſacris ritè munitus, ex laborioſo mortaliq; imperio, ad tranquillum & immortale regnum triumphumque emigrauit. Vixit annos duos ſupra ſeptuaginta: Franciam rexit annos ſeptem & quadraginta: Italiam triginta nouem: Imperauit quatuordecim. Obiit V. Calend. Febr. horâ tertiâ ante meridiem. Corpus maximâ ceremoniâ, & ſummo populi dolore, Patriæ Patrem lugentis, templo Aquiſgranenſi magnificentiſſimo, ab ipſo olim conſtructo, illatum & humatum. Imperator multis nominibus felix: quòd viuus Imperium Romanũ ad Francos & Germanos tranſtulerit: quòd orbe toto victor innumeros ab hoſte triumphos reportarit: quòd hæredem ex ſe natum Ludouicum Pium Imperio reliquerit imperantem: quòd orbem terrarum rerũ geſtarum magnitudine, nominiſq; gloriâ implerit. Viſitur hodieq; eius tumulus, arcu quaſi triumphali nobilitatus, cũ hâc Epigraphe:

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FOELICICITER TENVIT. DISCESSIT SEPTVAGENARIVS ANNO DOMINI DCCCXIV. INDICT. VII. V. CAL. FEBR.

Corpore fuit, vti vere deſcribit Eginhardus ſpectator illius & gener, amplo & robuſto: ſtaturâ procerâ, quæ tamen iuſtam nõ admodum excederet, ſeptem ſui corporis pedum, vertice rotundato, luminibus prægrandibus, radiantibuſq; naſo ſupra mediocritatem magno, cæſarie canicie venerandâ, fronte ſerenâ, & exporrectâ, inerat ori regia dignitas & maieſtas, ſeu ſtantem cerneres, ſeu ſedentem: ceruix tamen breuior & obeſior, venterque proiectior, quem artuum reliquorum granditas excuſabat: inceſſu firmo & virili. Appellatus à populo Romano primùm PATRICIVS, mox AVGVSTVS & MAGNVS: ab Synodo Moguntinâ CHRISTIANISSIMVS, quod poſteà nomen fuit Galliæ Regibus æternum: ab eâdem RECTOR VERÆ RELIGIONIS, DEFENSOR SANCTÆ DEI ECCLESIÆ: à Cõcilio

o Rhemenſi, PIISSIMVS: ab Arelaſi, PRINCEPS & IMPERATOR, & ORODOXVS.

Poſt Taſſilonem, filiumq; eius Theonem, exauctoratum, Bauariam tenuit aroli Magni poſteritas, vſq; ad Othoem I. Imperatorem, Saxonem. Ex his Arnolphus Imperator, Carolomanni Regis Bauariæ filius Ludouici, Regis Germaniæ, Nepos, Ludouici Pii Imp. pronepos, Caroli Magni abnepos, Boiariæ limiti Luitboldum, ſeu Leopoldum, agnatum ſuum, præpoſuit: cui & eiuſdem Arnolphi Imperatoris filius Ludouicus Bauariam contulit, Leopoldus ille, filius Arnolphi Comitis, Arnulphi Cæſaris præfecti militiæ in bello Nordmannico filius, Auſtriæ ſiue Bauariæ Orientalis prætor, regulus poſteà Boiorum: cùm contra Hungaros fortiſſimè pugnaret, vnà cum multis aliis Proceribus Boiorum, cæſus eſt Anno Domini 907. Tunc enim Ludouicus IV. Imperator, Arnolphi Imperatoris filius, contra Hungaros Bauarorum fines inuadentes magno exercitu profectus eſt, & continuo trium dierum prælio circa Auguſtam Vindelicorum congreſſus cum ipſis, victus eſt; Hungari victoria potiti, omnia in Bauariâ cædibus, rapinis, &

incendiis vaſtarunt. Reliquit Leopoldus duos filios: Arnolphum (quem vulgò Malum dicunt, iure ne an iniuriâ non ſatis conſtat, alii enim OPTIMVM appellant) & Bertholdum. Arnolphus Malus, filius natu maior, patri Leopoldo in ditione Bauariæ ſucceſſit: vſuque bellorum promptus & exercitus, contra Hungaros res præclarè geſſit; Bauariamque non modo ab eorum incurſione ſtrenuè defendit, verùm etiam ad pacem petendam eoſdem compulit. Mortuo Ludouico Imperatore, Arnolphi filio, ſtirps Caroli Magni defecit, cùm iam annos 112. imperaſſet. Nam Anno Chriſti 911. Conradus I. Conradi Ducis Franconiæ, Haſſiæ, Wetterauiæ, & Erislariæ filius, extra Caroli Magni ſtirpem Auguſtus deſignatus eſt, auctore Othone Saxoniæ Duce, qui delatum ad ſe imperium recuſauit, ætatis affectę causâ, & ad hunc Conradum tranſtulit, conſentientibus Francorum, Saxonum, & Germanorum Procerum ſuffragiis. Oppoſuerunt ſe illi Arnolphus Malus, Bauariæ Rex, Burcardus Sueuiæ Dux, & alii. Sed eos omnes oppreſſit Conradus partim vi, partim conſilio atque prudentia. Anno 916. indicto Ratiſponæ conuẽtu Principum, Arnolphum, quem alii Arnoldum vocant,

cant, læſæ Maieſtatis damnatum, & proſcriptum, Bauariæ Regno deturbauit, alios verò capite truncauit. Arnolphus igitur proſcriptus cum fratre Bertholdo, vxore, & liberis in Hungariam fugit, ibique vſque ad mortem Conradi Imperatoris permanſit: eique Eberhardus frater Imperatoris in Bauariâ interim ſuffectus eſt.

Conradus verò Imperator exitum vitæ ſuæ proſpiciens, conuocauit Germaniæ Proceres, eoſque hortatus eſt, vt Henricum, Othonis Saxonum Ducis filium Auguſtum crearent: ad quem etiam per fratrem ſuum Eberhardum ſceptrum, coronam, & alia inſignia Imperii miſit. Defuncto itaque Conrado Imper. Anno Domini 919. die 23. Decemb. Henricus I. Saxonum Dux, Auceps dictus, Imperator Frislariæ electus eſt à Principibus Germaniæ, & Franciæ, acclamante omni populo. Hic primum bellum, quod geſſit, ſuſcepit contra Arnolphum Ducem, qui aſſumptis Hungaris auxiliariis, armis infeſtis Bauariam inuaſerat. Hunc tamen monendo prius de ſententiâ mouere ſtuduit, quàm vulnus infligeret. Quamobrem ad colloquium familiare poſtulauit, & rebus omnibus tentatis eò tandem adduxit, vt

Regium nomen eiuraret, & Ducis Bauariæ titulo contentus eſſet. Sic pace firmatâ abſq; vulnere & ſanguine diſceſsũ eſt.

Anno 937. obiit Arnolphus Bauariæ Dux, ſepultus Ratiſponæ in S. Emmerami æde. Eius ſepulchro tale inſcriptum diſtichon tradunt:

Viuus pollebam, feci quæcunq; volebam,
En nihil or ſub humo, ſic erit omnis homo.

Eius filii Eberhardus, Arnolphus, & Hermannus, quum de hæreditate diſceptarent, nec Imperatorem Othonem I. Saxonem arbitrum ferrent, ſed contrà eum ad arma conclamarent, Ducatu Bauariæ exciderunt, vix paucis Comitatibus ab Imperatore relictis, & inter eos ſub Comitum Palatinorum dignitate diuiſis, vt VVittelſpachio, Schirenſi, & aliis, Ducatu ipſo in Henricũ Imperatoris fratrem, eorum ſororium, collato. Et *Eberhardus* quidem Palatinus, cùm ad bellum perſequendum imparatus eſſet, pro pace, hortatu Archiepiſcopi Moguntini, ſupplicat apud Imperatorem, & impetrat quidem, ſed hâc conditione, vt Hildeſheimium in exilium abduceretur. Sed paulò poſt in gratiam ab Imperatore receptus, iterum fœdus contra Imperatorem fecit cum Henrico Imperatoris fratre, Bauariæ Duce, Giſelberto Lotharin-

gio

gio, & Friderico Moguntino. Quibus ab Imperatore domitis, quum Hungaros in Imperium citaſſet, captus & perduellionis conuictus in Sueuiam relegatur, vbi exſul obiit. Quin & ille ipſe *Henricus* Bauariæ Dux, quum accepti beneficii immemor aduerſus fratrem Imperatorē fœdus iniret cum Eberhardo Francorum Duce, & Giſelberto Lotharingiæ Duce, ab eo proſcriptus & expulſus eſt, Ducatu Bauariæ in Bertholdū, Arnolphi Mali fratrem, & Eberhardi patruum, translato. Henricus ergo nuſquam tutū ſe conſpiciens, ſpe veniæ impetrandæ venit Francofurtum, vbi Imperator Natalitia Chriſti celebrabat, & mane fratri templū adeunti nudipes & atratus occurrit, ſeq; ad pedes eius ſupplicem proſtrauit, petiuitque veniam, & impetrauit: ſed cum acerbâ obiurgatione: Ducatum tamen Bauariæ non recuperauit, niſi defuncto demum Bertholdo, anno 947. cui eum Imperator conceſſerat.

At Arnolpho & Hermanno indignantibus, ſe auitâ paternâq; dignitate priuari, & occaſionem eandem recuperandi captantibꝰ, viſa eſt ad eam rem defectione filii Ludolphi, à Patre Othone Magno Imp. idonea oblata eſſe opportunitas. Itaq; Ludolpho ſe adiungunt, & Ba-

nariam occupant. Ludolphus ille, Dux Sueniæ, filius Othonis Imp. cũ Conrado Duce Franconiæ, & Epiſc. Moguntino contrà patrẽ conſpirauit, an. 952. & Moguntiam muniuit. Otho Imp. eandem obſidet menſib. aliquot. Conradus Franciæ Dux occupat Ratiſponam, Auguſtã, ſpoliatq; & vaſtat Bauariæ Ducatũ. Henricus n. aberat, & auxiliares copias adduxerat Patri Othoni Imp. In Sueuiâ ne Ludolphus cum patre prælio cõgrederetur, perſuadetur ab Epiſc. Hulderico Auguſtano, vt ſe Patri ſubiiciat; quo facto, Otho Imp. Bauariã recuperare conatur fratri ſuo Henrico: ſed hoſtes oẽs munitiones occuparant, ideò fruſtrà hoc an. 953. laborauit. Anno ſequenti 954. Ludolph⁹ cum Conrado & Ep. Salisburgenſi, euocat Hungaros in perniciẽ Germaniæ, exploratoreſq; ab Hungaris mittuntur ad Othon. & ſtatim quinq; exercitib. Bauariam vaſtãt. Otho Ratiſponam deditione capit, & filium Ludolphũ in gratiã recipit. Tandem Hermanno in prælio capto (cui pars Bauariæ conceſſa erat ſub Comitis Prouincialis titulo) & omnibus ſuis ditionibus exſuto; Arnolpho itidem in obſidione Ratiſponenſi occiſo, Imp. Otho Magnus receptam à ſe Bauariam Henrico fratri reſtituit.

Ita filiis Arnolphi à ſucceſſione ampliſſimæ ditionis excluſis, eorũq; poſteris in anguſtias Schirẽſis ſiue Comitatus ſiue Palatinatus coarctatis: interim Bavariæ Ducatus nunc à Saxonibus, nunc à Suevis, nunc ab Auſtriacis, nunc rurſus à Sueuis tenebatur: quoad tandẽ aliquãdo in poteſtatem priſtinorũ Dominorũ, FRIDERICI I. BARBAROSSÆ Imp. beneficentia, & OTHONIS MAIORIS Wittelsbachii virtute rediit: à cuius familia etiamnum hodie poſſidetur. Ita vt ipſa Bavaria, inuita & quaſi coacta aliis familiis, (quæ illi, reiectis maioribus Othonis Wittelspachii, præfectæ fuerunt) ſubdita, eorumque tanquam adſcititiorum Dominorum iugo excuſſo, patrocinium tutelamq; vnius huius ſtirpis, à qua adhuc gubernatur, deſideraſſe videatur.

COMITES SCHIRENSES ET WITTESLSPACHII.

CASTRVM SCHIRENSE mœnibus clauſit ARNOLPHVS, Arnolphi Mali, Bavariæ Ducis filius, Eberhardi & Hermãni frater: regiamque ſibi ac ſuis poſteris ſedem extruxit: Vnde Comites & reguli Schirenſes nominis originem traxerunt.

Huius Arnolphi, conditoris caſtri Schirenſis filius WERNERVS, Arnolphi Mali Nepos, Hungaros in Bavariam re-

uocauit, quibus Otho Magnus Imperator, anno 955. cũ exercitu occurrit apud Auguſtam Vrbem, in campis Lycatiis, eoſque ingenti prælio vicit, die 10. Augu-ſti, roburque eorum ita imminuit, vt redire non ſint auſi. Duces eorum quinque cepit, eoſque poſtea Ratiſponæ ſuſpendi iuſſit. Captos plurimos Eberhardus Comes viuos ſepeliit. Conradus Dux Franciæ ſeditioſus periit in prælio, & alii quidã. Heroldo, Epiſcopo Salisburgenſi, qui cum Wernhero Schirenſi Comite Hungaros euocarat, oculi eruuntur. Hungari ſe ad præſentaneum exitium eductos à Wernhero Comite conſpicati, ipſum tanquam proditorem trucidarunt.

Wernhero ab Hungaris interfecto duos filios aſſignant: Othonem I. & Eckhardum.

Otho I. Comes Schirenſis, patronus Friſiorum, vxorem habuit Iutam, quæ ei peperit tres filios. 1. Othonem II. 2. Conradum Comitem de Valeia. 3. Arnolphũ, Comitem Dachuni.

Otho II. Comes Schirenſis, Friſiorum aduocatus, ex hac vita migrauit, Anno 1079. & ex vxore Haziga, filia Regis Arragoniæ, ternos genuit mares. 1. Othonem III. 2. Bernhardum, qui ſine vxore

ac liberis priuatus obiit, anno Chriſti 1001. 3. Eckhardum II. qui genuit Othonem, Bernhardum, & Eckhardum. *Eckhardus* dimiſſa Reipublicæ cura priuatus in Monaſterio vixit. Fratres *Otho* & *Bernhardus* Comites de Wolffratshauſen dicti ſunt. Wolffrathshuſium, quod Auentinus Veliphorathuſium appellat, oppidum eſt, ſeu forum, in ſuperiore Boica ad Loyſam ſeu Libúſam amnem paulo ſupra quam miſcetur Iſaræ, plus minus viginti millia paſſuum ferè à prætorio Boiorum Monacho.

Otho III. Comes Schirenſis, Othonis II. filius, magni animi, magnique nominis per totum Imperium Romanum, Schirenſe caſtrum in Monaſterium vertit, & alio Wittelspachio exſtructo, ſedem ſuam ibi poſuit: ſeque cum poſteritate ſua Comitem Palatinum, ſiue Landgrauium Bauariæ, poſthac nuncupauit. Inde Hieroſolymam profectus, in via deceſſit, anno Chriſti 1008. Ex Agnete Lotharingia vxore genuit OTHONEM IV. VLRICVM, & LVDOVICVM.

Otho IV. filius Othonis III. Comes Palatinus Wittelſpacenſis, Henric. V. Imp. in Italiam proficiſcentem ſecutus eſt: vitam finiit an. Chriſti 1046. relictis quatuor

tuor filiis. 1. OTHONE V. qui poſt excluſum Henricum Leonem Saxonem, Henrici Superbi filium, Friderici Barbaroſſæ Imperatoris beneficio, Bavariæ Ducatū recuperauit, anno Domini 1180. 3. Idus Iulii. Et ab hoc Othone Wittelſpachio, cognomento MAIORE, profectæ ſunt Illuſtriſſimorum principum palatinorum Rheni, & Bavariæ Ducum hodiernorum familiæ. 2. FRIDERICO, qui dicebatur BARBATVS. 3. CONRADO, Epiſcopo Moguntino, & Salisburgenſi, qui cum vix duobus annis quiete præfuiſſet, è Moguntina cathedra deturbatus eſt, & defuncto Chriſtiano, Comite à Buche, Thuringo, reuocatus, rurſus Moguntinū Archiepiſcopatum gubernauit annis ſeptendecim. 4. OTHONE WITTELSPACHIO, cognomento MINORE, cuius filius OTHO palatinus de Wittelſpach, Philippum Imperatorem, Friderici Barbaroſſæ filium, in arce Bambergenſi, cum poſt inciſionem venæ quietis cauſa ſeceſſiſſet, in cubiculo interfecit, anno Domini 1208. 22. Iun. Corpus philippi primum Bambergæ ſepultum, poſtea Spirā tranſlatum eſt. Wittelſpachius ſicarius non multo poſt ab Othone IV. Imp. proſcriptus, & à philippi Imp. Mareſcalco pappenheimio interemptus, facinoris ſui

præ-

præmium tulit: Arx Wittelſpachia à Ludouico Bavariæ Duce ſolo æquata.

BAVARIÆ DUCES DIVERSÆ familiæ.

Arnolpho Malo, Boiorum principe, extincto, & hæredibus ob defectionem exauctoratis, Bavaria parebat Othoni Magno, Romani nominis primo apud Germanos, & fortiſſimo Imperatori: qui eam, vt dixi, Henrico fratri attribuit. Hic filium reliquit Henricum, qui alias Hezilo dicitur, Henrici Sancti Imp. patrem, patruelem Othonis II. Imp. qui cum Archiepiſcopis Mogũtino, & Magdeburgio, Rege Daniæ, Ducibus Poloniæ & Bohemiæ, aliiſque Imperii principibus contra Imperatorem Othonem II. conſpirans, ab eo, in Ordinum Comitiis, Majeſtatis læſæ accuſatus anno 974. Quorum ſuaſu apud Imperatorem culpam deprecatus, gratiam recuperauit. Sed cum biennio poſt, licet à viribus imparatus, & à ſociis deſertus, rebellare tamen iterum auderet, ab Imperatore Othone II. Othonis Magni filio, proſcriptus, Ducatuque Bavariæ pulſus eſt; quem Imperator Othoni Duci Sueuiæ, ſuo ex fratre Ludolpho Nepoti, conceſſit.

ſit. Henricus autem ſiue Hezilo exſul abiit in Bohemiam, vbi de pace cum Imperatore per interceſſores tractans, conuenit, vt ſe ſiſteret iudicio Imperii, vbi comparens in Comitiis, communi Principum conſenſu tam ipſe, quam filius eius Henricus, Treverim in exilium relegantur. Tandem tamen Hermanni Saxoniæ Comitis induſtria, Francofurti in Comitiis Imperatori Othoni III. Othonis II. filio Othonis Magni Nepoti, ſupplex factus, publice reconciliatus eſt, & iurata ſolenniter fidelitate in Ducatum Bauariæ reſtitutus, Anno Chriſti 989. Mortuus eſt Gandersheimii in Saxonia, Anno 992.

Filius eius Henricus, Dux Bavariæ, Henrici Aucupis Imperatoris abnepos, primus ab Electoribus, ſecundum conſtitutionem Othonis III. & Gregorii Papæ, electus eſt Romanorum Imperator, Anno Chriſti 1022. dictus cognomento SANCTVS, & CLAVDVS. Matthæus Raderus Ieſuita, contendit, Henricum hunc Sanctum Imper. gente Boium, non Saxonem fuiſſe. Qui vero natum ex gente Saxonum tradunt, referunt ſtemma ad Henricum Aucupem, & tres Othones Imperatores, itemque tres Henricos, Aucupis filios, nepotes, pronepotes, hoc ordine naſcendi. HEN-

HENRICVS AVCEPS REX

OTHO I.	HENRICVS, Othonis frater.
|	|
OTHO II.	HENRICVS RIXOSVS HEZILO.
|	|
OTHO III.	HENRICVS SANCTVS Imperator.

Sed mendoſé: ſi Radero credimus. Nam Patris (inquit) Henrici Sancti tumulus, hoc Epitaphio inſcriptus Ratisponæ, apud S. Emmeramum oſtendit Boium, non Saxonem fuiſſe Patrem.

Henricus Regis Pater, & defenſio legis,
Bavariæ cultus, pius eſt hic Duxque ſepultus.

Henricus ab re ipſa Rixoſus, Saxo (cuius Henricum S. plerique omnes filium faciunt,) non fuit pius, (niſi iam moriturus) ſed factioſus turbator, longaſque lites, & odia cum Reginoburgico præſule exercuit, Othonibus Imperatoribus refractarius, affectator Imperii, proſcriptus, nec Ratisponæ, ſed in Saxonia Gãdersheimii extinctus & humatus. Ex quibus conuincas erroris Reiſnerum, duos

duos Henricos miſcentem, & hunc Rixoſum Ratiſponæ ſepelientem. Ganderſhemum, ſeu Gandersheimium oppidum fuit Saxoniæ, cum nobili cœnobio, Mauſoleum ibidem fuit principum Saxoniæ. Pater autem S. Henrici vere pius, & pro ſancto cultus. Nam ex Abudiaco pago, qui fuit Henrico Imperatori natale ſolum, ſingulis noctibus Ratiſponam ad S. Emmerami ædem properauit, ibique in ſella è ſaxo exciſa, (quæ hodieque viſitur) quieuit, quoad fores templi panderentur. Docent idem ſigna gentilitia, Mauſoleo ipſius affixa, Patrem S. Henrici non fuiſſe Saxonem, ſed Boium. Abeſt equus, adſunt reticulati, & decuſſati rhombi Boiorum. Henricus Auceps Rex in media aquila ſignum geſtauit Witichindeum, equum, inquam, exultantem. Henricus S. aquilam cum rhombis ſine equo, vt eſt, cum in aliis, tum Babenbergenſibus Monumentis. Idem Archiepiſcopi; Trevirenſes & Moguntini, è Saxonum ſtirpe orinndi factitarunt, cum ad crucem Trevirenſis equum, eundem Moguntinus ad rotam adiungebat. Bruno vero Auguſtanus Antiſtes, Germanus S. Henrici, rhombos cum Auguſtani Epiſcopatus inſignibus coniunxit, non equum. Sunt alia haud pauca diſcrimina diuer-

diuerſæ gentis, quæ Ioannes Saller, familiæ Loioliticæ ſodalis, apud ſummam ædem Ratiſponæ Eccleſiaſtes, in Syntagmate de ſtirpe S. Henrici adducit: quod diuerſi huius & illius ſint liberi: quod Iudithæ duæ fuerint, alteraque Arnolpho Malo nata, & Henrico Othonis Magni fratri nupta; quibuſdam parum laudata: altera S. Henrici auia, ſancta matrona: quod illa Saxonis coniunx maritum & Saxones concitarit ad occupandam Boicam terram, & iuſtos hæredes excludendos: quod vtriuſque diuerſi ſint liberi: Quod Henricus Imperator moriturus, prouinciam non Saxonibus commiſerit, committendam alioqui, ſi Saxo fuiſſet, popularibus: quod triginta duos Comites vno patre Babone Abenſpergenſi natos ſingulos ſingulis dynaſtis & præfecturis donarit: quod nuptias ſororis Giſelæ cum Rege Pannonum Stephano in Schirenſi caſtro gentilitio celebrarit: Et hoc genus alia multa, quæ oſtendunt, Henricum Norici & Carinthiæ principem, nunquam Saxonem fuiſſe. Multa tamen poſſunt contra adferri, quæ rem non parum dubiam reddant, vti nondum audeamus cum Radero abrupte pronunciare, Henricum ſtirpe Boium fuiſſe, non Saxonem: quanquam vti dixi,

Rade-

Raderus propendeat in eam partem, vt Boium domo exiſtimet. Sed comperendino, & amplius pronuncio, donec liqueat.

Aſpexit igitur Henricus Sanctus primam lucem Anno Chriſti 972. prid. Non. Maii, non Ratiſponæ, vt Fabricius tradit, ſed Abudiaci, vt Aventinus & Raderus narrant, qui vicus eſt, & caſtrum ſupra Ratiſponam millia paſſuum decem, ad ripam Danubii: Patre Henrico, Norici & Carantanorum regulo, matre Giſela, Burgundionum Regis filia, auo Bertholdo, proauo itidem Bertholdo, Arnolphi Mali fratre, Abauo Luitboldo præfecto Auſtriæ, Arnolphi dynaſtæ, qui in Nordomannico prælio Anno 891. cecidit, filio: ut in hoc ſchemate vides;

ARNVLPHVS Comes, Arnulphi Cæſaris Præfectus militiæ in Nordmannico bello.

LVITBOLDVS Princeps, & Auſtriæ tetrarcha.

ARNOLPHVS MALVS.

IVDITHA, HENRICI Saxonis vxor.

BERTHOLDVS, Princeps Norici & Carinthiæ.

BERTHOLDVS Princeps.

HENRICVS, Princeps Noricorum & Carinthiæ.

HENRICVS SANCTVS Imperator.

Sacro fonte luſtratus, à Wolffgango Antiſtite Reginoburgico. Morũ & pueritiæ formatores habuit inclitos viros Bernhardum, Præſulem Hildeshemenſem: Burcardum Vangionem: & Wolffgangũ Reginoburgicum. Eſt in huius VVolffgangi hiſtoria, ab Henrico Principe quatuor liberos ad VVolffgangum deductos, vti cæleſtem ab illo doctrinam, pietatem, & religionem haurirent, illumq; magi-

magiſtrum ſingulorum fortunam, ſtatum, conditionem præſenſiſſe: & Henricum quidem ab eo Regem identidem appellitatum: Giſelam ſororē Reginam: Brunonem Epiſcopum: Brigittam Antiſtitam. Et ſane cuique ſua poſtea ſors rata fuit. Nam Henricus & Rex & Imperator creatus eſt. Bruno Pontifex Auguſtanus creatus: Giſela Toxo ſeu Toxidi Pannonum Regi nupſit, nuptiæque in caſtro Schirenſi, præſente tota gente cognata, ſolennes agitatæ; Brigitta in Antiſtitam ſacrarum virginum lecta. Henricus pueritiam, adoleſcentiam, & iuuentutem, in ſumma vitæ innocentia traduxit: ad quam rem, vti ſolet, plurimum virtus & inſtitutio Wolffgangi valuit. Fabricius inde, aliique miſcent acta Rixoſi, cum actis pacatiſſimi principis ac parentis S. Henrici, qui prorſus diuerſi fuiſſe videntur Radero. Vbi Henricus ex ephebis exceſſit, annoſque pubertatis exegit matrimonio illigandum cenſuere parentes, à quo cum ob integerrimum corporis florem, caſtamque mentem, abhorreret, nec tamen animum aperire, nec votis ſuorũ repugnare auderet, admiſit conditionē, nobiliſſimamq; virginē, Sifridi Palatini filiam, (non Rheni, vt Fabricius & Reiſnerus, compluresque alii prodi-

prodidere,ſed,vt vult Raderus, Comitis ad Moſellã, vnde Moſellani quoq; cognomento dicti) in conſortem Regni accepit: quibus mox de tuenda virginitate, vſque thori abſtinendo, ad exemplum Pulcheriæ Auguſtæ cum Marciano in omnem vitam conuenit. Inter hæc Otho III. (qui dictus fuit MIRABILIA MVNDI) Imperio ſimul & vita defungitur. Henricus multis in Germania regulis tantę ſpei imminentibus ab Heriberto Moguntino, præſentibus Archiepiſcopo Salisburgenſi, Brixinenſi, Herbipolitano, Ratiſponenſi, Argentinenſi, Pataüienſi, Friſingenſi, Abbate Fuldenſi, aliiſque cum Præſulibus, tum Dynaſtis plurimis,) Rex conſalutatur, & Moguntiæ ſub Annum Chriſti 1002. VIII. Idus Iunii ſacro oleo inunctus conſecratur. Alii coronam ei impoſitam Aquiſgrani ſcribunt à Willegiſo Archiepiſcopo Moguntino, qui vt ortus ſui humilis nunquam obliuiſceretur, rotas duas, quod carpentarii eſſet filius, clypeo Moguntinæ Eccleſiæ inſeruit, & in thalamo ornatis ac grandibus literis hæc verba ſcripta habebat: *VVillegiſe, VVillegis, recole, vnde veneris.* Henrici Imperatoris competitores alii armis, alii conditionibus ad officium & ordinem redacti. Inter quos primores Eckhardus,

C Otho-

Othonis Primi ex Ludolpho pronepos, Brunonis Pontificis Pater, Sueuorum Rector Hermannus. In Boiis Auſtriis Tetrarcha Leopoldus, Ezo Palatinus ducta Othonis III. filia Superbus, Dietericus Lotharingius, omnes in Regnum intenti: ſed ſpe fruſtrati. In Italia Ardoinus, ſeu Hartvvigus, reclamante Arnulpho Mediolanenſi Pontifice, Rex proclamatus. Henricus non minus armis valuit, quam religione. Bella haud pauca, plæraque tamen omnia ſecundo euentu geſſit. Hermannum Sueuorum Regulum ab armis coegit ad aſylum regiæ clementiæ confugere. Mox ad eaſdem aras & Henricus Auſtrius, Leopoldo natus, gente Boius, domo Schirenſis: ſupplex adrepſit. Mouit inde in Italiam contra Ardoinum, (Hartvvigum alii vocant) non ipſe tamen præſens, ſed per Duces, victuſque diſceſſit, vti meminiſſet ſe vinci poſſe, magiſque certo Numine, quam dubio Marte, & viribus niteretur. Eundem tamen HENRICVS poſtea faſtu & victoria exultantem, armis exuit & Regno, vt & ipſe meminiſſet, multos ob hoc repente altius efferri, vti grauiore mox ruina deuoluantur.

Henri-

Henricus inde Boleslaum Bohemum bello petit, pulſoque & victo Iaromirum fratrem ſufficit. Inde in Sarmatiam Boleslaum, Bohemo cognominem, mouit, ingentique prælio victum fugauit, qui mox proiectis armis ad mitem HENRICI ingenium appellauit, pacemque impetrauit. Eodem euentu Balduinus, Belgarum regulus, occupata Valentia, Cæſaris vim armatus, & ſupplex clementiam expertus eſt. Repetit Henricus Italiam, Auguſtuſque Romæ feſta ceremonia acclamatus, & a Benedicto Octauo Pontifice Romano inauguratus, Græcorum coloniam Troiam, ipſo nomine ex omni priorum temporum infelicem obſidet: Græcorum hæc præſidio tenebatur, quam Imperator quarto poſt, quam obſederat, menſe deditam funditus euertit: (vti nec in Aſia Phryges, nec in Europa Græci defendere nomen Vrbis, & locum Troiæ potuerint) totaque Apulia in ditionem Imperii recepta. Nullus bellorum finis: Pacata Italia, turbarunt rurſum Sarmatæ, iterum Bohemus armatur. Iam & Heneti, quos Vinulos & Slauos appellant, templis & ſacris omnibus bellum nefarium indicunt. Imo & Saxo furit: ſed oẽs

Henrici virtus ſtrauit, & parere docuit. Nullum narrandi modum faciam, ſi perſequi ſtilo omnia Henrici bella, prælia, victorias, coner.

Cæterum eductos à puero, nil niſi virtutem, & cultum aduerſus Numen, & omne cælum exercuit. Idemque & optimus Imperator, & fortiſſimus bellator, & religioſiſſimus Dei cultor exſtitit: vt nec arma officerent religioni, nec religio armis. Quin & ſibi mutuo ſuppetias ferebant, cum in periculis Imperator ſæpius ad vota recurreret, nec interim laborem bellicum remitteret. Iam quid nō contulit Eccleſiæ Babenbergenſi, apud Variſcos, vbi Pontificiā ſedem à fundamētis excitauit, omniq; ſuo patrimonio, ꝙ ab Othone Imperatore acceperat, impertito, locupletauit. Inſtaurauit idem Imperator & alios Epiſcopatus per Pannonum, Henetorum, Saxonum, Alſatarum, aliorumque Germanię populorum, per incurſiones barbarorum grauiſſime afflictos: inter quos fuere Martiburgianus, & Hildelheimenſis in Saxonia: Miſnenſis apud Eudoſios in Miſnia: Argentinenſis in Alſatia: Parthenopolitanus in Marchia. Senſit denique Henrici liberalitatem (cuius plurimæ & ſignatæ tabulæ paſſim leguntur) tota Germania, Ita-

Italia, Pannonia, quam Giſela ſorore
Tono in thorum legitimum data, vna
cum Rege, quem ſanctum poſtea Ste-
phanum dixere, ad Chriſti cultum tra-
duxit. Eiuſdem religionis author fuit
Slauis. Rem denique Chriſtianam longe
lateque propagauit, vti non tam Rex
Germaniæ, quam Doctor dici poſſit.
Iam caſtimonia illius ſupra omnia ex-
empla eſt, (ſi vera ſunt, quæ tradunt ſcri-
ptores Pontificii) nec habet niſi vnicum
in Oriente Marcianum: & Pulcheriam
Auguſtos, qui id primum auſi ſunt, in
regia licentia tentare, vt in mediis aulæ
deliciis, tanquam extra aulas, in ſolitu-
dine poſiti, vellent DEO puris corpori-
bus litare. Sed Marcianum (inquit Ra-
derus) Pulcheria iureiurando, ne deuo-
tam ſe cœlo contingeret, adegit: Hen-
ricus & Cunegundis ſponte animi DEO,
de corpore ſuo thus virginitatis adole-
uere. Nec minus ſancte cuſtoditus ab
vtrinque pudor, quam ſignatus: quod ex
candenti ferro à Cunegunde nudis ve-
ſtigiis, & illæſis, calcato patuit, cum re-
gia virginis exiſtimatio in diſcrimen
ſuſpicionis incidiſſet. Quo attonitus
Imperator prodigio, ſuſpicionem om-
nem ex animo deleuit, & moriturus Au-
guſtam, vocatis propinquis, cum hoc

 elogio

elogio reddidit: *Qualem accepi, talem reddo: virginem dediſtis, virginem recipite.* His præclaris & immortalibus operibus editis, famaque inclitus, HENRICVS ab immortali & perituro regno ad cœleſte & immortale regnum tandem eſt profectus. Vixit annos quinquaginta duos: regnauit quatuor & viginti, imperauit vndecim. Conditus Babenbergæ, & illuſtri Mauſoleo cultus: Anno Chriſti 1024.

Henrico Sancto Imper. mortuo, (inquit Cario) *Imperium Occidentis & Bauariæ deſierunt eſſe apud ſtirpem Saxonicam Henrici Aucupis, reuolutum ad Francos. Bauariam Imperator conceſſit HENRICO nepoti ex fratre coniugis Cunegundæ è Lotharingia Moſellana, etſi ſupereſſent agnati Principes, qui in Saxonia amplis regionibus dominabantur titulo Marchionum Saxoniæ. Erant enim HENRICO Bauaro, Othonis I. fratri nati HENRICVS HEZELO, Sancti Pater, qui in Bauaria Principatu ſucceſſit, & BRVNO Marchio Saxoniæ, cuius filius BRVNO cognominem filium, & LVDOLPHVM reliquit. Ludolpho filii fuerunt Bruno, ECBERTVS, vltimi Ecberti Pater, & OTHO, Dominus terrarum ad Viſurgin prope VVeſphaliam:*

liam: qui ab Henrico Quarto Bauariam recepit. Sed ob conſpirationem factam in Imperatorem, iterum excuſſus, HENRICO CRASSO ſeu PINGVI filio Comitatum in Ringelheim cum dominio terrarum ad Viſurgin reliquit, vt dicitur. Sed Henricus Sanctus hos teſtamento præteriit. Id vel perſuaſu coniugis, vel ob præſtitam in bellis operam factum eſſe ratiocinor. Non recte vereque ratiocinatus eſt Cario, inquit Matthæus Raderus. Neque enim ob eas cauſas Henricus teſtamento præteriit Saxones, quas Cario narrat: ſed quod Saxones non eſſent è ſtirpe Henrici, nec Henricus è Saxonum gente duceret genus. Nō repugnat tamen Raderus, Cunegundis fratris nepoti conceſſum Principatum Bauariæ, vel ob preces Auguſtæ, vel ob nauatam in bello operam.

Mortuo Henrico Bauaro, S. Cunegundæ fratre, Conradus Saliquus Imperator filium ſuum Henricum Tertium cognomento Nigrum, vix decem annos natum, in Ducatu Bauariæ collocauit. In Italiam vero profecturus, eundem filium ſuum Regem Romanorum declarauit. Illinc reuerſus, cum Ratiſponæ Anno 1 0 9 2. conuentum ageret, Stephanus Hungariæ Rex, miſſo legato, Ducatum Bauariç coniugi ſuæ hæreditarium

rium ſibi reddi poſtulauit. Quod ſi Cęſar forte recuſet, mox ei bellum indicit. Ad hunc conuentum adduxit Babo Comes Abenſpergenſis filios ſuos triginta duos, ſingulari quodã & admirabili ſpectaculo. Tot n. viuentes habebat filios, cum filiabus octo. Inde ergo Conradus Saliquus Imperator in bellum Hungaricum omni ope & ſtudio incubuit, proceſſitque adeo Rabam vſque obuia omnia gladio & incendiis vaſtans. Cui cum par eſſe nullo modo, aut reſiſtere ſatis poſſet STEPHANVS, pacem cum eo fecit.

Henricus III. cognomento Niger, Dux Bauariæ, Conradi Salici filius, viuo Patre conſors Imperii adſcitus, Bauariæ CHVNONEM quendam ſucceſſorem dedit, qui Hungarorum conſpiratione fictus, conabatur Imperii poſſeſſionem ad ſe transferre. Sed tandem ab Henrico III. Imperat. explofus, ob male & crudeliter adminiſtratam Prouinciam, Ducatu Bauariæ priuatus, totam ætatem ſuam exul in Hungaria tranſegit.

Chunonis Bauariæ Ducis exulis loco, Henricus III. Imper. Bauariam attribuit filio Conrado, & eo paulo poſt defuncto Henrico IV. filio tum bimo, quo

qui Patre è viuis ſublato, Anno 1056. puer Septennis Imperium Romanum adiit & Bauariam tradidit Othoni, Duci ... arum in Saxonia ad Viſurgin, nato ex poſteris Henrici Rixoſi. Sed & hic Otho, Bauariæ Dux, conuictus de inſidiis vitæ Henrici IV. Imperatoris ſtructis, Bauariam amiſit, occupante eam Welpho, beneficio & conceſſione Cæſaris. Quare accenſus Otho, percurſa Germania, quos potuit, ad belli ſocietatem aduerſus Henricum IV. Imper. concitauit; interfectus tandem in prælio.

Guelphone, Azonis filio, cognomento Robuſto, primo Boiorum ex ea familia Duce, Anno CHRISTI 1071. ... , ſeptimo & ſeptuageſimo Neoburgi ad Danubium capto, & Principatu depulſo, Conradus, filius Henrici V. Imperatoris, Henrici III. Nepos, Sacri Pronepos, Boiorum prouinciam ſuſcepit (quemadmodum Baronius ex Lamberto narrat) atque inde ad annum 1093. ... m vlterius tenuit. Nam tertio & ...nageſimo à Patre Henrico defecit, & Italiam profectus Rex Longobardorum creatus eſt Mediolani: vnde Rade... exiſtimat, non niſi ad annum 1093. ...iam illi paruiſſe. Guelphonem IV.

 primum

primum Boiariæ ſeu Bauariæ ex ea ſtirpe Principem, Auentinus affirmat viginti totos annos extorrem à Boiaria fuiſſe. Pulſus autem eſt ab Henrico primum ex Italia reduce, Anno 1077. De Conrado vero affirmat Baronius his verbis : *Sed antequam vlterius progrediamur , in memoriam reuocandum de VVelphone iſto, quod dictum eſt ſuperius ex Lamberto, nimirum fuiſſe filium Azonis, Marchionis Ferrarienſis, inhæſiſſe autem Henrico Regi contra Saxones, inde contra HENRICVM ipſum RVDOLPHO, nouo Regi, cum priuatus eſſet Ducatu Bauariæ, quo ab eodem Rege, pulſo OTHONE, donatus fuerat, tradito illo Conrado filio ſuo, cuius cauſa ab eo deficiens Rudolphi partibus inhæſiſſet.*

Cum ad ſenilem ætatem perueniſſet Guelpho Dux Bauariæ, Hieroſolymitanum iter arripuit, non ſine maximo periculo : deinde ad reditum ſe parans, Cyprum adiit, vbi mortuus & ſepultus eſt. Oſſa tamen eius poſtea inde ſublata, ad Altorfenſe Monaſterium translata & repoſita ſunt. Filios reliquit duos : GVELPHONEM V. cognomẽto CRASSVM: & HENRICVM GVELPHONEM, cognomento NIGRVM : quorum vterque Bauariæ Ducatum poſſedit. Guelphoni

Craſſo

Craſſo improli ſucceſſit HENRICVS NIGER, Dux Bauariæ, qui ex Wulffhilde Saxonica ſuſcepit CONRADVM GVELPHONEM, ex Duce Boiariæ Monachum & Anachoretam: HENRICVM SVPERBVM, Ducem Bauariæ ac Saxoniæ, & GVELPHONEM Sextum: filias itidem quatuor: IVDITHAM, WOLFILDAM, MATHILDAM, & SOPHIAM.

HENRICVS SVPERBVS, Bauariæ Dux, & idem Saxoniæ, per matrimonium, quod Lotharii Cæſaris eſſet gener. Ab hoc enim dotis nomine acceperat Brunſuigum, Comitatum Northeimenſem, & omnem ad Viſurgim ditionem. Poſt obitum Lotharii Imp. Conradus Tertius Franconiæ ac Sueuiæ Dux, Imperium adeptus eſt, Anno CHRISTI 1129. Huic Saxones, atque alii, qui in electione non adfuerant, reſtiterunt, quaſi haud legitime electus fuiſſet. Sed ea controuerſia facile in Comitiis conſopita eſt Bambergæ. Henricus tamen Superbus, Bauarorum Dux, gener Lotharii, ipſe poſt ſoceri obitum Imperium ſummis viribus affectabat. Habebat etiam penes ſe Ratisponæ ornamenta Imperialia ab Lothario relicta, quæ reſtituere plane nolebat.

Tandem vero coactus ea reddidit, in gratiam tamen cum Cæſare Conrado redire non potuit. Henricus Superbus exercitum parabat, caſtraq; ad Lycum fluuium figebat contra Auguſtam Vindelicorum, quam occupabat Cæſar. Hic illũ veritus clam noctu Herbipolim aufugit: tum etiam Henricum Superbum proſcripſit, & Ducatum Bauariæ fratri vterino Leopoldo Auſtriaco tradidit: Henricus autem Superbus recuperata poſt modum Saxonia, cum in Bauariam contenderet, mœſtitia extinctus eſt, Anno Domini 1139. relicto filio Henrico Leone: in cuius gratiam Saxones rebellabant Cæſari Conrado, nec id modo, verum etiam Guelpho, ſeu Guelphus VI. Henrici Superbi defuncti frater, armis ſibi vindicabat Bauariam, eiecto Leopoldo Auſtriaco, cui Cæſar Conradus eam prouinciam dederat. Cæſar vero eiecti Leopoldi defenſionem ſuſcepit. Poſt diuturnum & anceps bellum, cum Guelpho VI. Bauariæ Dux, à Conrado III. Imper. tandem Anno CHRISTI 1140. in oppido VVeinsburgo obſidione cinctus eſſet, & armis ac fame preſſus, deditionem quibuſcunque conditionibus facere cogeretur, ibi vxor Guelphonis petit, vt ſibi cum cæteris Baro-

num

num & nobilium vxoribus, quæ vnà in-cluſæ erant, ſaluis abire liceat, & tantum de ſuis rebus portare, quantum vnaquæque poſſet. Quod cùm à clementiſſimo Imp. Conrado facilè impetraſſent, coniunx Guelphonis, Bauariæ Ducis, conſilium pietatis & fidei coniugalis plenum init. Nam hortatrix eſt cæteris matronis, vt omnibus aliis rebus relictis, ſuos maritos in humeros imponant, & vrbe exportent. Ipſa Dux agminis, per medias hoſtium acies, & circumſtantia tela maritum effert, ac cum eo quiduis periculi ſubire potiùs, & ſemel vnà perire cupit, quàm ſine eo incolumis & opulenta florere. Tanta autem admiratio fuit huius pietatis & fidei matronalis, apud Imperatorem Conradum, vt remiſsâ iracundiâ maritos vxorum virtuti donaret, & pacem ac amicitiam cum eis faceret.

Longum hoc & cruentum bellum, tãdem Fridericus Barbaroſſa Imp. Sueuiæ Dux, Conradi ex fratre Friderico Nepos, his conditionibus compoſuit: vt tota inferior Saxonia cederet Henrici ſuperbi filio; cognomento LEONI. ALBERTVS VRSVS contentus poſſeſſione Marchiæ Brandenburgenſis, & ſuperiore Saxoniâ, abſtineret ab inferiore: Bauariam retineret

neret Henricus Auſtriacus, Leopoldi defuncti frater, ductâ viduâ Henrici ſuperbi Gertrude, Lotharii Imp. filiâ: Guelpho certæ partis Dominus eſſet. Quibus conditionibus cùm non ſtaret Henricus Leo, poſtquàm adoleuiſſet, ſed iniuriam ſibi fieri quereretur, ac peteret ſe nullâ ſuâ culpâ paterno Ducatu Bauariæ exutum reſtitui in integrum, Fridericus Barbaroſſa Imper. hanc litem, ne in bellum rurſus exiret, ita diremit, vt Henricus Auſtriacus parte Bauariæ, quæ veteris Auſtriæ limites attingebat, contentus, Bauariam reliquam nouis & anguſtioribus limitibus ab Auſtriâ diremptam relinqueret Henrico Leoni: & vt iacturam hanc faciliùs ferret Henricus Auſtriacus, Leopoldi frater, tranſtulit familiam Auſtriacam in ordinem ſuperiorem, decreto ei tributoque titulo Ducis: Guelphonem, Henrici ſuperbi fratrem, vt quieſceret in poſterum, Thuſciâ & Spoletano agro, Sardiniæq; Principatu donauit, Conradum, fratrem ſuum, Palatinum Rheni conſtituit.

Ita Auſtriacis amplioris ditionis, & nouæ dignitatis acceſſione auctis, Bauariæ Ducatus rediit ad Henricum Leonem, quo nullus ferè in Hiſtoriis Princeps priuatus legitur potentior fuiſſe, &

am-

ampliorem Germaniæ partem plurimos annos tenuiſſe. Non modò enim duos illos Ducatus Saxoniæ & Bauariæ ſimul obtinebat: ſed imperium quoque ſuum ab Alpibus Italicis ad Rhenum, ab hoc ad mare vſq; Balthicum, per VVeſtphaliam, Saxoniam, & Holſatiam protermınabat: Danubii, Rheni, Viſurgis, & Albis Dominator.

Pater huius Henrici Leonis fuit Henricus ſuperbus, Dux Bauariæ, natus paternâ origine ex celeberrimo genere Guelphonum, Ducum Bauariæ; & matre VVulphilde, filiâ laudatiſſimi Principis Magni, poſtremi ex primâ familiâ Ducum Luneburgenſium, orta ab Hermanno, quem Otho I. Imp. propter virtutem, induſtriam, & fidem eximiam erexerat. Patruus Henrici Leonis fuit Guelpho VI. Dux Bauariæ, qui in obſidione VVeinsburgenſi, cùm fame coact⁹ eſſet dedere ſe irato hoſti Conrado III. Imp. coniugis ſuæ honeſtiſſimo & memorabili conſilio liberatus eſt. Matrem habuit Gertrudem, filiam pii, ſapientiſſimi & fortiſſimi Imperator. Lotharii Saxonis, qui vnà cum filiâ dotis nomine ſuo genero Henrico ſuperbo, Leonis Patri, tradidit Brunſvvigum, Comitatum Northeimenſem, & omnem ad Viſurgim

gim ditionem, quam ipſe cum coniuge Rixâ à ſuo ſocero Henrico Craſſo acceperat. Ab hiſce parentibus cùm ortus eſſet Henricus Leo, non ſolùm virtutis ſemina, & indolem generoſam, ſed etiam fortunæ bona ampliſſima accepit. Paruit enim (vt dixi) ipſius Imperio tota Bauaria, & ferè tota regio incluſa ab ortu Albi fluuio, ab occaſu Rheno, à meridie montibus Herciniis, à Septentrione mari Balthico. Reſpondit autem potentiæ ac virtuti ipſius fortuna. Feliciſſimo enim euentu pleraque bella geſſit, & maximæ res geſtæ Friderici Barbaroſſæ huius Henrici Leonis copiis, atque auxiliis confectæ ſunt.

Primam expeditionem, vix natus annos 18. propagandæ religionis Chriſtianæ causâ in vicinos Vandalos ſuſcepit. Cùm enim ex Burgundiâ in conuentum Principum Francofordiam veniens, D. Bernhardus perſuaſiſſet Imper. Conradum, & cæteros, vt exercitum ad eripiendam Saracenis Hieroſolymã, & Chriſtianæ religionis profeſſionem propagandam ducerent, ad eam militiam infinita hominum multitudo ſpontè ſe obtulit, cuius pars Adalberone Archiepiſcopo Bremenſi, & Henrico Leone Ducibus aduerſus Vandalos, qui oram Balthici

thici litoris tenebant, & pertinaciſſimè nomen Chriſti oderant, profecta eſt, & cinctâ obſidione vrbe Demin coëgit Vandalos factâ deditione, abiecto idolorum cultu fidē Chriſti amplecti. Hæc principia fuerunt militiæ Henrici Leonis fauſtiſſima, & laude digniſſima.

Confecto hoc bello, aliquot annos cum Henrico Auſtriaco, de auito Ducatu Bauariæ contendit, donec Friderici Barbaroſſæ moderatione res compoſita eſt. Erat autem Fridericus vtrique cognatus. Nam Agnes, filiâ Henrici IV. Imp. ex priori marito Conradum Imp. & Fridericum, Patrem Barbaroſſæ: ex poſteriore hunc Henricum Auſtriacum, & Othonem Friſingenſem Epiſcopum, qui in ſuo Chronico hanc familiam accuratè deſcripſit, genuerat. Mater verò Friderici Barbaroſſæ Iuditha, Henrici Leonis amita fuit. Quare etiamſi Auſtriacum patruum propriꝰ attingebat, quàm Leonem amitinum, tamen pacis publicæ causâ Leonem prætulit, ac Henrico Auſtriaco tunc Ducali titulo à ſe ornato hortator fuit, vt Ducatum Bauariæ Leoni reſtitueret. Ita Imperatoris prudentiâ, æquitate, & moderatione acerbiſſimum certamen diremptum eſt.

Eodem tempore etiam in conuentu Her-

Herbipolenſi certamen inter Albertum Vrſum, cui Conradus Imp. Saxoniam, viuo adhuc Patre Leonis Henrico ſuperbo, attribuerat, & hunc Henricum Leonem ita diremit, vt Vrſum ditione Marchicâ contentum eſſe iuberet, Leoni autem Saxoniam à Patre & avo Lothario acceptam reſtitueret integram, ſuâque authoritate eum tueretur.

Tantis Friderici Barbaroſſę beneficiis deuinctus Henricus, viciſſim ei gratiam cumulatè reddidit. Nam ſtatim in Italiam tunc eum ſecutus eſt proficiſcentem ad pacandas Italiæ diſſenſiones, & coronam Romæ ab Hadriano Pontifice accipiendam. Cùm autem inter ipſas coronationis ceremonias Romani commotâ atroci ſeditione Vaticanum inuaderent, præcipuè defenſus eſt Imperator Henrici Leonis virtute, qui caſtra ad proximam portam fortè habebat. Poſt biennium ſecundò Imperatorem cum 1000. cataphractis comitatus eſt, ad Mediolanenſes, qui plures Lombardæ Vrbes ſibi contra Imperatorem adiunxerant, compeſcendos. Etſi autem tunc Mediolanenſes coacti ſint ſe ad pedes Imperatoris ſupplices abiicere, ac pacem petere, tamen paullò poſt, inſtinctu Alexandri III. Pontificis in eâ Vrbe nati, rurſus

rurſus multò quam anteà atrocius in vicinas Vrbes Imperio parentes graſſantur. Quare tertiò Fridericus in Italiam profectus, & Henrici Leonis, ac Epiſcoporum Moguntinenſis & Colonienſis copiis adiutus, cinctam aliquandiu obſidione Vrbem expugnat, diruit, ac ſolo æquat. Poſteà Romam ducit exercitum, vndè cùm Pontifex in Galliam profugiſſet, ſine difficili certamine vrbs capta, & reliqua Italia pacata eſt.

Redit igitur in Saxoniam Henricus Leo, ac bellum aduerſus vicinos Henetos, qui abiectâ fide Chriſtianâ ſuos Sacerdotes trucidarant, renouat. Erant autem Domini Henetorum duo fratres, Pribislaus & VVerslaus, quorum alterum cepit, alterum verò Pribislaum in arce VVerlavv, ad flumen VVarnouium eo tempore ſita, obſeſſum, imperata facere coëgit. Qui quidem ab eo tempore, videlicet Anno Chriſti 1160. & doctrinam Chriſti amauit, didicit, firmiter amplexus eſt, & ad poſteros vſque propagauit, Henricoque Leoni in omnibus officiis fidem ac conſtantiam, bono ac graui Principe, & veteris Henetæ gentis virtute dignam præſtitit. Quare viciſſim Henricus Leo, perſpecta ipſius fide, intimi amici loco eum ſemper deinceps ha-

habuit, & periculoſiſſimæ profectionis Hieroſolymitanæ, comitem ſibi adiunxit. Ab hoc Pribislao Illuſtriſſimi Principes Megalopurgenſes familiam ducunt.

Vt autem ſemper excellentem virtutem & potentiam comitatur liuor: ſic Henrici quoque Leonis pietati, virtuti, & potentiæ, vicini Epiſcopi & Principes inuidebant. Redierat Imperator in Italiam, vt tumultus ab Alexandro Pontifice denuò excitatos ſedaret. Quare exiſtimantes, commodam ſe occaſionem, abſente Imperatore, opprimendi Henrici Leonis nactos eſſe, conſpirarunt Epiſcopi, Magdeburgenſis, Hildesheimenſis, Colonienſis, Ludouicus Comes Prouincialis Thuringiæ, Albertus Vrſus, Chriſtianus Comes Oldeburgenſis, & alii. Sed omnes eorum conatus Henrici Leonis magnanimitas & virtus retudit. Nuſquam prodire in aciem, aut dimicandi poteſtatem facere hoſtes audebant. Rura quædam & oppidula Henrici Leonis ſubindè vaſtabant, donec tandem Imperatoris Friderici I. authoritate & mandato quieſcere coacti ſunt. Aliquantò poſt, videlicet Anno Chriſti 1172. peregrinationem in terram ſanctam inſtituit, vt loca, in quibus ſe toties

Ec-

Eccleſiæ Deus patefecit, coram oculis contemplaretur. Omitto reliquam profectionis narrationem, ne ſim longior.

Renouauerat interea in Italia bellum Alexander Pontifex, concitatis Mediolanenſibus, & Venetis præcipuè, aduerſus Fridericum, iam a ſe excommunicatum. Intelligens igitur Fridericus Barbaroſſa Imper. quanta moles belli rurſus immineret, ſumma contentione ab Henrico Leone, cuius auxilio anteà ſe ſemper vicerat, petit, vt denuò ſecum in Italiam redeat. Henricus Leo, quâdam religionis opinione, quia à Pontifice excommunicatum Imperatorem iuuare nefas putabat, eum deſeruit. Quare ardentes indignationum flammas aduerſus Henricum Leonem concipiens Imperator Fridericus, tunc quidem diſſimulata irâ, cum quantis poteſt copiis in Longobardiam redit, vbi cùm filius alter a Venetâ & Pontificia claſſe interceptus eſſet, alter in acie ad Bononiam cecidiſſet, Fridericus abſolutionem à Pontifice Venetiis petiit, & pacem cum eo fecit.

Interea autem in Germania Epiſcopi, Vlricus Halberſtadenſis, & Philippus Colonienſis, animaduertentes, Henricum Leonem in Imperatoris indignatio-

tionem incurriſſe, bellum ipſi inferunt, ac tunc primum Epiſcopus Colonienſis Weſtphaliam inuaſit, & partem Ducibus Saxoniæ vi ademptam, occupauit. Henricus Leo Imperatori Friderico ex Italiâ reuerſo Spiram occurrit, ac de violentiâ Epiſcoporum conqueritur. Imperator diſſimulatâ offenſione, promittit, ſe in proximo conuentu Imperii cauſam cogniturum eſſe. Henricus Leo, ſiue admonitus de Cæſaris erga ſe indignatione, ſiue aliâ de causâ adductus, vocatus ab Imperatore primò VVormatiam, deindè Magdeburgum, poſteà Goslariam, non venit. Quare Imperaror habito Principum conſilio, qui omnes iamdudum potentiæ ipſius inuidebant, acerbiſſimeque ipſum oderant, Henricum Leonem proſcribit, & titulum Electoris ac Ducis Saxoniæ confert Bernhardo Principi Anhaltino, Alberti Vrſi filio, à quo etiam ſequentes Superioris ac Inferioris Saxoniæ Duces & Principes Anhaltini, qui nunc viuunt, orti ſunt. Ducatum Bauariæ donat Othoni VVittelſpachio, Comiti Schirenſi, à quo Duces Bauariæ, & Comites Palatini ad Rhenum hodierni deſcendunt. Tum verò velut agmine facto omnes vicini Epiſcopi & Principes, quibus terrori anteà Hẽrici

rici Leonis potentia fuerat, communi impetu in eum irruunt.

Sed antequam Imperator ipſe in Saxoniam deſcenderet, aliquot præliis hoſtiles copias fudit, Ludouicum Thuringum, & fratrem ipſius Hermannum, Comitem Palatinum Rheni cæpit. Expugnauit Halberſtadium, & Epiſcopum Vlricum vi captum in Ertenborg cuſtodiri iuſſit. Poſteà Imperatore veniente, Henricus Brunſvvigo in vlteriora Saxoniæ loca cedit, Bardevvicum petens, quod ipſi accedenti portas clauſit. Quare vlterius proficiſcens, Lubeccam, quæ tunc ipſi ſubdita erat, & vicinas arces præſidiis impoſitis munit. Ipſe in Vrbe Staden euentum belli exſpectat. Erat annus Chriſti 1182. cùm Fridericus Imperator Lubeccam obſedit, quæ 40. annis ante in eo loco primùm ædificata fuerat. Durante aliquamdiu obſidione, euocauit in caſtra VValdemarum, Daniæ Regem, oſtensâ illi ſpe non ſolum amicitiæ, verùm etiam coniugii inter vtriuſque liberos contrahendi. Eò autem ſpectabat hæc ſimulata Imperatoris humanitas, vt Regem ab Henrici Leonis ſocietate auocaret. Eodem conſilio etiam ad ſe accerſitos Pomeranorum Principes, Caſimirum & Bugiſlaum Duces crea-

creauit. Intereà ciues Lubeccenſes per Henricum Epiſcopum apud Imperatorem de pace agunt. Is non ſolùm clementer eos recepit, ſed etiam inſignibus, privilegiis, donauit.

Et duplices aquilas inſignia contulit Vrbi,
Et grato ciues auxit honore nouos.

Dux Henricus Leo Stadii ſe continebat, ac impetratâ ab Imperatore fide publicè in caſtra venit, prolixâ oratione ſe purgans, & ſua erga Imperatorem merita commemorans, offenſioniſque veniam petens. Imperator Fridericus, verbis mitior, quàm re, vt poſteà declarauit, reſpondet tunc, ſe ſolum, ſine communi Ordinum Imperii concilio, nihil poſſe in re tantâ ſtatuere, ſed tum benè eum ſperare iubens, indicit Statibus Imperii vt Erphordiæ conueniant, vbi cùm ad pedes Imperatoris ſe Dux Henricus Leo abieciſſet, & Imperator oſtenderet, ſe omnem offenſionem ipſi condonare, tamen tanta fuit plerorumque Principum & Epiſcoporum erga Henricum Leonem acerbitas odii, vt triennium coactus ſit extra fines Imperii Romani in Angliâ exulare. Relictus eſt tamen ipſi in meditullio Saxoniæ Ducatus Brunſvvicenſis, & Luneburgenſis, in quo poſt triennium ex Angliâ rediens, aliquandiu quie-

quietus vixit, ſed cum Fridericus Imp. in Aſiam profectus eſſet, rurſus Holſatiam occupauit, & inſigni exemplo contumeliam ab vrbe Bardevvico acceptam, vltus eſt. Nam obſeſſam aliquandiu, & die Simonis ac Iudæ, anno 1189. expugnatam Vrbem antiquam, ac in illis oris florentiſſimam diruit ac ſolo æquauit. Tandem etiam Imperatori Henrico IV. filii ſui Henrici, quem ipſi in Apuliam proficiſcenti comitem adiunxerat, virtute, reconcialiatus eſt. Ac eodem anno 1195. runſvvigę ex hac vita deceſſit, Princeps us, Eccleſiæ Chriſti propagator ac Nucius, magnanimus, fortis, iuſtus, pons, qui initio multos annos Imperii Roni præcipuum præſidium ac ornamen fuit: poſtea in exilium pulſus, illuſtre mplum inconſtantiæ & fragilitatis re humanarum præbuit.

CES BAVARIÆ
Ex familia VVittelspachia.

nrico Leone, Principe Potentiſſiatisponæ in Comitiis anno Chriſti crimine læſæ Maieſtatis damnato, icus I. Barbaroſſa Imp. 3. Idus Iulii, æ Ducatū conceſſit Othoni VVithio, cognomento Maiori: à quo

D maio-

maiores eius olim ab Othone Magno Imp. Saxone eiecti fuerãt, & in anguſtias Comitatus Schirenſis detruſi. Atque ita rediit Bauaria longo poſtliminio ad veteres Dominos, viciſſitudines perpeſſa multiplices. Otho iſte VVittelspachius, primus Boiorum ex gente Schirana Princeps, ante recuperatum Bauariæ Ducatũ, Friderico Barbaroſſæ Imp. egregiam operam in Italia & alibi nauauit: vnde Guntherus Poëta vocat eum, *Virum magnis ſpectatum ſæpe periclis.* Poſt receptum Ducatum Bauariæ Kelhamorum vrbem ad profluentem Danubii extinxit, Landshutæ in ripa Iſaræ fundamenta poſuit, vt eſſet ſedes Ducum Bauariæ. Tãdem ob vectigal Salinarum, cum Alberto, Fruxinenſium Epiſcopo, decertans, dum adhuc ſub iudice lis eſt, fato conceſſit, anno Chriſti 1183. d. 11. Iulii. Ex Agnete, filia Theodorici, Comitis VVaſſerburgii, genuit 1. Ludouicum, Ducem Bauariæ, ſtemmatis ſui propagatorem. 2. Sophiam, Hermanno Landgrauio Thuringiæ & Haſſiæ nuptam. 3. Mechtildem, Rapotanis, Marchionis Carnoburgenſis, & Comitis Ortenburgici vxorem.

Ludouicus, Boiorum Princeps (Othonis VVittelspachii, cui poſtliminium fuit per Frid. Ænobarbũ Imp. ad principatũ) filius,

filius, primus ex Schirenſi gente Palatinus Rheni, qui & ius Septemviratus, creando Cæſari, in Rheni Palatium intulit: ſi Chriſtophoro Gevvoldo, Bauaro Conſiliario, in ſua Antitheſi, contra Freherum, credere fas eſt: patre mortuo infans relictus, tutores habuit patruos ſuos, Frider. Barbatum, & Othonem iuniorẽ de VVitelspach. Poſtea v. à Frid. II. Imp. in conuentu Reginoburgenſi Palatinatũ Rheni, ob eximia ſua in eum officia, fidemq; ſingularem impetrauit: & Agnetẽ filiam defuncti Henr. Comitis Palatini, filio ſuo Othoni nuptũ collocauit. Sic vetuſta & nobiliſſima ſtirps Bauarica, q̃ à Saxonibus in Bauaria oppreſſa, atq; in anguſtũ redacta fuerat; tandẽ Sueuis imperãtibus vires recepit. Frid. ſane II. Imp. nullum hoc Lud. Boiariæ Duce Germaniæ Principem aut officiis erga ſe fideliorem, aut virtute præſtantiorem, aut authoritate grauiorem eſſe nouerat. Inter Duces enim belli ab eo in Ægypto geſti fuit: qui cum in Europam reuerſus, ad eum veniſſet, filii eius Henrici curator, & conſiliorum moderator conſtitutus eſt. Henricus poſtea data ſibi in matrimonium filia Leopoldi Auſtriaci, Cæſar à Germaniæ Proceribus deſignatur. Sed à Põtifice eiuſq; ſectatorib⁹ ſeductus & deprauatus, Imperiũ clã patrẽ

appetebat. Eaque de cauſa totum ſe à Ludouici Boiorum Ducis, cuius hactenus conſiliis & authoritate regebatur, amicitia & conſuetudine auerterat: quod ſummum eius in Imperatorem Patrem ſtudiũ, ſummamq; voluntatem cognouiſſet. Ludouicus Bauariæ Dux, vbi plena ſceleris conſilia agitari, & ad Dominatum Cæſarem Henricum contra Patrem ſpectare animaduertit, relicta eius aula in Bauariam ſe contulerat. Nõ multo amplius annum ibi commoratus, Kelhemii cum deambularet, lethali vulnere percuſſus, in conſpectu aulicorũ exanimatur. Anno Domini 1231 18. Kal. Oct. de qua cæde variæ ſunt opiniones: mihi tamen ea vero maxime ſimilis eſſe videtur, quam potiſſimum euentus comprobauit. His n. aſſentior, qui percuſſorem hũc ab Henrico ſubornatũ, & cum tabellarii habitu literas Ludouico tradidiſſet, quas ſe ab Imp. afferre ſimulauerat, legentem eas literas Principẽ confodiſſe prodiderunt. Alii à Sticho morione, ſiue naturali fatuo, (cum poſt cœnam in ponte Danubiano deambularet) quem per ludum inceſſebat, Kelhemii, cultello lethali vulnere percuſſum ſcribunt. Corpus Schiram delatũ & humatum eſt. Obitum eius deplorat Frid. II. Imp. in Epiſtola quadam ad filium eius Othonem ſcripta,

quæ

quæ legitur apud Petrum de Vineis, libr. 4. c. 3. Ex vxore Ludomilla, filia Primislai, Ducis Bohemiæ, quatuor eius numerantur liberi: 1. Otho, Palatinus Rheni, ſeptēvir, Dux vtriuſq; Bauariæ. 2. Ludouicus, à Friderico II. Imp. in iuuentute occiſus. 3. Eliſabetha, vxor quinta Friderici II. Imp. 4. Anna, vxor Rudolphi, Ducis Saxoniæ, Angriæ, & VVeſtphaliæ.

Ludouico cum filius Otho in Principatu ſucceſſiſſet, & more maiorum, Concilio Boiorum ad gubernationē prouinciarum auſpicato obeūdam diem certum Reginoburgi dixiſſet: Henricus Cæſar, Friderici II. filius, ne Antiſtites & Proceres, Magiſtratuſq; ciuitatum & municipiorum Boiariæ conuenirent, neue ciues Reginoburgenſes vrbe Othonem acciperent, edixit. Imperata hæc tanquam iniuſta Boiis negligentibus, Cæſar Henr. magnis copiis Boiariam adortus; obſeſſo Reginoburgo, direptionibus, præda, populationibus, & incendiis eam, nemine repugnante, vaſtabat. Quibus iniuriis & incommodis permotus Otho, Dux Bauariæ, vt ſuis ſuorumq; fortunis, & vrbi conſuleret, cum Henrico, filio ſuo Ludov. Seuero quadrimo obſide dato, cōuenit, vt cum exercitu Bauaria ſeu Boiaria excederet.

Eodem fere tempore Fridericus Au-

ſtriacus bellandi cupidus, finitimis ſuis Boiis, Bohemis, Charionibus, Hungaris, nulla ab iis laceſſitus iniuria, bellum inferebat, eorumq; fines populabatur. Otho, Bauariæ Dux, certior factus, Præfectum Auſtriaci latrociniis infamem, multis ſibi prædonibus perditiſſimiſque hominibus adſcitis, orã Oeni atq; Nori inſiſtere, magnoq; pecoris atq; hominum numero capto, prædam agere, non exſpectandũ ſibi ſtatuit, dum omnium fortunis ſuorũ conſumptis vlterius in prouinciam ſuã progrederetur: Auſtriaco bello more ſolenni indicto, in Noricũ maturat, atq; iniuriis, & vi latronum à ſuis propulſatis, ac receptaculis eorum expugnatis, de omnibus prædæ latrociniiq; conuictis, more maiorum ſupplicium ſumpſit.

His rebus cognitis, Frider. II. Imperator, cũ maxime neceſſario tempore Reip. deeſſe nollet, in Germaniam, (à qua iam 14. annos abfuerat) cum filio ſuo Conrado proficiſcitur. Coacto ab eo Reginoburgi Ordinum Imperii Concilio, Henr. Cęſar, patefacta ea coniuratione, quam authore Pontifice, contra Patrem Imperatorẽ cũ Longobardis fecerat, læſæ Maieſtatis & parricidii, ſententia ſeptuaginta Principũ condemnatus, à patre vinctus, in Apuliã relegatur: vbi non longo poſt tempore, in carce-

carcere obiit. In Henrici locum Cæſarem ſibi filium Conradum de conſenſu Principum ſurrogauit. Deinde & Auſtriacum mandatis ſuis non parentem proſcribit, & pro hoſte Reip. habet: ſed cũ nec ita quidẽ ad ſanitatem reuerteretur, Imperator maximo cum exercitu, multis comitantibus Germaniæ Proceribus Auſtriam atque Styriam in ſuam fidem poteſtatemq; redegit.

Eiuſdem Imperatoris Friderici II. beneficio, per felix connubium Othonis Bauariæ Ducis, cum Agnete, filia Henrici, vltimi priſci Comitis Palatini Rheni, Palatinatus Rhenanus Bauariæ Ducatui acceſſit, an. Domini 1215. Et ab hoc Othone, omnes inſequentes Comites Palatini Rheni, ſacri Rom. Imperii Septemviri, in hunc vſque diem ordine deſcendunt. Ex vxore Agnete, reliquit Ludouicum Seuerum, & Henricum: qui Bauariam diuiſere in ſuperiorem & inferiorem: cum antea inaudita fuiſſent hæc nomina.

Ludouicus, cognomine Seuerus, Palatinatum Rhenanum, & ſuperiorem Bauariam: Henricus, natus anno 1235 Bauariam inferiorem, ſeu Septentrionalem accepit. Deinde contra Othocarũ Bohemũ arma ſumẽs, à finib. Boiariæ Bohemos expulit, Nouoforũ in poteſtatem redegit, & in-

& inſtaurauit. Mortuus Burckhuſii, anno 1290. Inde Landshutam translatus, & in Monaſterio Seligenthal ſepultus. Vxores habuit duas, 1. Eliſabetham, Henrici Pii, Ducis Poloniæ: 2. Eliſabetham, Belæ IV. Regis Hungariæ filiam: ex hac duos procreauit filios: Othonem, & Stephanum.

Otho, Dux Bauariæ inferioris, Adolphi Naſſouii Cæſaris partes ſecutus, & in prælio, quo ipſe occubuit, acceptis vulneribus, vix fuga elapſus eſt. Bellum illud Alberti I. Imp. cum Othone Bauaro non leuiter Boiariam afflixit. Quanquam n. interruptum nonnũquam induciis, ſopitum tamen nunquam eſt. Accidit a. huic Othoni Bauaro, q; cani Æſopico, qui vmbram appetens, etiam carnem amiſit. Ambibat n. regnum Hungariæ, ſed præter regium nomen nihil conſecutus: à Ladislao inſuper Trãſſyluaniæ Vayuoda in vincula coniectus, captiuitate ſe expedire non potuit, donec poteſtati regiæ renũciauit, Regnumq; Hungariæ deſeruit. Inde turpiter (inquit Bonfinius) eiectus in Bauariam reuerſus eſt, ac exemplo ſuo didicit: neminẽ temere ſe magnis cæptis & illegitimis committere debere. Exceſſit ex hac vita Landshutæ, an. Dom 1312. Bonfinius nominat eũ, *Virum vſquequaq; glorioſum,*

ſuti-

futilem, & conſilii parum compotem. Reliquit filium fere tredecim dierum Henr. iuniorem, dictum Natterburgicum, à caſtro, in quo nutritus fuerat. Is in iuuētute, fracto in ſaltādo crure, extinctus eſt, an. D. 1333.

Stephanus, filius Henrici ſecundogenitus, frater Othonis Hungariæ Regis, Adolphi Cæſaris partes itidem fouit: Ratiſponam armis inuaſit, & Frid. Auſtriacū è Bauaria fugauit: Mortuus Landshutæ, anno Domini 1311. Ex Iuta vxore, Vulconis Ducis Suidnicenſis filia, nati ſunt: Henricus Senior, dictus Probus, & Otho: quem frater Henricus ſenior, vt & Henricum Natterburgicum, quotidianis prœliis, incendiis, & rapinis, impugnauit: tandem re compoſita Principatus inter eos amice diuiſus eſt Henricus ſenior, mortu9 anno 1339. reliquit ex Margaretha, Ioannis Bohemiæ Regis filia, Iohannem, Hoc paulo poſt obitum Patris ſine maſcula prole defuncto, Ludouicus Bauarus Imperator Principatum eius poſſedit: & ſic tota inferior Bauaria rurſus ad vnius poteſtatem rediit.

Poſt mortem Henr. VII. Lutzelburgenſis Imperatoris, an. 1314. contentione ancipiti diſtracti Septēviri, duos Reges Romanorum elegerunt. Moguntinus equidē & Treuirenſis Archiepiſcopi, Ioannes itē

Bohemiæ Rex, & VVoldemarus Elector Brandenburgicus, Ludouic. V. Bauarum crearunt, & Aquiſgrani coronarunt. Colonienſis vero Archiepiſcopus, Saxo., & Rudolphus Palatinus ad Rhenum Elector, Ludouici Bauari frater, deſignarunt Fridericum Pulchrum, Auſtriæ Ducem, Alberti Cæſaris filium, Ludouici conſobrinum, eumque Bonnæ conſecrarunt. Fatale hoc diſſidium Principum Imperii fuiſſe videtur, ad turbandam & conuellendam Germaniæ pacem atque dignitatem. Inde enim ciuile bellum funeſtum extitit, quod annis octo fortuna varia, euentuque ancipiti geſtum eſt, & vix prælíis quínque tandem ſopitum. Rudolph⁹ Elector Palatinus conſobrinum Fridericum Pulchrum fratri Ludouico Bauaro prætulit. Erant enim Ludouicus & Rudolphus Palatinus nati ex amita Friderici Auſtriaci. Ludouicus Bauarus Imp. intra biennium poſt electionem fratrẽ Rudolphum patria expulit. Rudolphus Elector Palatinus pulſus fugit in Angliam, vbi exul poſt aliquot annos mortuus eſt. Coniux eius Mechtilda, filia Adolphi Naſſouii Imp. cum filiis in Auſtria commorata eſt, ubi cum in exilio mortua eſſet, Ludouicus Bauarus Imper. aliquanto poſt fratris filios ad ſe euocauit, eiſque
Heidel-

Heidelbergam, & in agro Norico Ambergam, cum aliquot vicinis oppidulis reddidit. Ita, quod vſitatum eſt in ciuilibus diſcordiis, initium belli fuit expulſio fratris Rudolphi Palatini. Tandem Friderico Pulchro Auſtriaco capto, Ludouicus Bauarus nomen & titulum Imperatoriũ, inuito Pontifice, ſolus occupauit: Italiam autem ingreſſus, ingentibus copiis, primo Tridentum, deinde Mediolanum petiit, Italiæ ciuitatibus ſingulis Imperatorio nomine Vicarios imponens. Inde Romã, acceptis 24. nobilioribus Mediolanenſib. ciuibus, tanquam obſidibus, cõtendit, ab vniuerſo populo honorifice ſuſceptus, à Stephano Columnio in æde S. Petri cum coniuge coronatus eſt, omni nobilitate adſtante, & acclamante, Patricium & Auguſtum Romanum, Petr. Corbarienſem, Nic. V. poſtea dictum, ſummum Pontificem creauit, Iohanne dignitate Papali deiecto, qui Imperatorem Ludov. Bauarum Regno priuans, excõmunicatione crudeliſſima, tanquam hæreſiarcham, percuſſit. Metuens a. Imperator Lud. proditionem ac venenũ, non arma, Italiam relinquere decreuit, Germaniamq; ſumma cũ animi hilaritate repetiit. Francofordiæ Comitia celebrauit, in quibus antiquas leges confirmauit. Cum autem Papæ odium magis

magiſque creſceret, indefeſſis conatibus ſuis tantum effecit, vt Carolus IV. Iohannis Bohemiæ Regis filius, Imperator deſignaretur. Sed Ludouicus in venatione, cum motu & labore corpus calefaceret, vrſumq; ingentem cum impetu quodam viriliter peteret, de equo præcipitatus, corpus graui colliſione læſit. Destitutus igitur omnib⁹ viribus, ex hac vita deceſſit, anno Chriſti 1347. Monachii Imperiali pompa ſepultus. Imperio annos 33. inter maximas aduerſationes, & crudeliſſimas exagitationes Pontificũ, ita præfuit, vt in gubernatione iuſtus, & ſuorum defenſor nequaquam lentus fuerit.

4 De nobilitate & vetuſtate ſtirpis Bauaricæ ſupra dixi: quę à Saxonib⁹ in Bauaria oppreſſa, atq; in anguſtum redacta, tandē Sueuis imperantibus vires recepit. A primo Friderico enim Bauariam, ab altero Palatinatum ad Rhenumq; cõſequuti ſunt: cum Otho, Ludouici Imperatoris auus, duxiſſet in vxorem Agnetem, filiam Henrici Palatini, fratris Othonis I V. Imperatoris, Saxonis.

Pater Ludouicus Seuerus plures habuit coniuges: ſed ex tertia Mechtilde, Rudolphi Habsburgenſis Imp. filia nati ſunt: Rudolphus, Elector Palatinus ad Rhenum, & Ludouicus Bauarus, Roma-

norum

norum Imperator, qui fratrem Rudolphum ditione expulit, ob negatum in electione ſuffragium, ſed filios reſtituit: Rudolphus Palatinam, Ludouicus Bauaricam familiam propagauit. Nati ſunt enim Ludouico ex Beatrice, filiâ Ducis Poloniæ, Ludouicus, & Stephanus, cognomento Fibulatus: ex Margarethâ, Wilhelmi III. Comitis Holandiæ & Selandiæ filiâ, Wilhelmus; Albertus, Ludouicus, cognomento Romanus, quod Romæ in lucem editus eſt, matre coronata: & Otho.

Inter hos auctam acceſſionibus nouarum ditionum hæreditatem, ex interitu familiarum aliquot, in hunc modum diſtribuit. Ludouico natu maximo Marchiam Brandeburgenſem attribuit, cui deinceps à coniuge & Comitatus Tyrolenſis acceſſit, quem ille cum adeptus eſſet, Marchiam Ludouico Romano ceſſit, à quo tandem in Othonem deuoluta eſt. Stephanum Bauariæ, Wilhelmum Hollandiæ, Albertum parti Bauariæ impoſuit.

De Marchiâ Brandeburgenſi ſic res habet: Vltimus Marchionum è ſtirpe Alberti Vrſi fuit Woldemarus. Hic cùm ſine ſobole eſſet, ſubditis certos Dominos conſtituit agnatos ſuos, è veteri ſtirpe A-

ſcania Principes Anhaltinos; in quorum illi verba iurarunt, ea conditione, vt ſe mortuo hos agnoſcerent ac reciperent Dominos. Redierat autem fatali quadam lege familia tota ad vnum hunc VVoldemarum, in qua non multo ante decem & nouem eiuſdem nominis & ſtirpis Marchiones ſimul vixerant. Sed cum approbatio & conſenſus authoritatis publicæ non acceſſiſſet, quamprimum fama de Woldemari interitu percrebuit, Ludouicus Marchiam Imperio vindicauit, & in ea filium natu maximum Ludouicum collocauit.

Intercidit eodem tempore proſapia Ducum Carinthiæ, cui fuit coniunctus Comitatus Tyrolenſis. Ludouicus ergo Carinthiam Auſtriacis adiecit; excluſo Iohanne Henrico, Morauiæ Marchione, Bohemici Regis filio. Hæc non minima offenſionis cauſſa exſtitit; quæ illis interceſſit. Etſi autem controuerſia compoſita fuit nonnullorum Principum authoritate, vt Tyrolenſem Comitatum retineret Bohemus dotis loco (duxerat enim Henrici Carinthii filiam Margaretham) non ita multo poſt tamen recrudüit, cum Margaretha pertæſá mariti, eo repudiato, tanquam minime ad coniugium idoneo, in thalamum & Comitatum

addu-

adduxit Ludouicum Marchionem Brandeburgenſem, Ludouici Bauari Imp. filium. Ex hoc Ludouico cum genuiſſet Menhardum, vtroque præmatura morte ſublato, mulier procax, & libidinoſa tertio nupſit Rudolpho Auſtriaco, Alberti ſecundi filio, ſimulque Bauaris ereptum Comitatum tranſtulit ad Auſtriacos.

Sed ad Marchiam reuertor: in qua Ludouico implicito bellis Pomeranicis & Megalopolenſibus, tertium ſeſe hoſtem intulit quidam, Woldemari defuncti nomen, perſonam, habitumque, & mores mentitus, quem finxiſſe ferunt, minime Woldemarum fato functum eſſe, ſed religioſa peregrinatione confecta rediiſſe incolumem. Hic quanquam nomine Woldemari ſit falſo Woldemarus creditus, vt opinio habet vſitata, magno tamen populi applauſu exceptus, adiutuſque opibus & auxiliis vicinorum Ducum Saxoniæ & Anhaltinorum, bellis difficilibus Bauaros exercuit totos annos nouem.

Ludouicus pertæſus bellorum, Marchiam fratri Ludouico Romano reliquit, contentus agro Tyrolenſi. Romanus renouauit bella Pomeranica, de Principatu Stetinenſi, quæ cum prior Ludouicus aliquoties infeliciter pugnaſſet,

pater diremerat, limitibus inter Pomeraniam, & Marchiam conſtitutis, eâ conditione, vt Pomerani veteri loco & dignitate inter Imperii Principes feuda ab Imperatore ſolo acciperent, & ſuis terris libere imperarent, ſed ſi ſtirps defeciſſet, hæreditatem illarum terrarum adirent Marchiones Brandeburgenſes. Cito autem deſtitit, ſuperatus acie à Pomeranis, auxilio Woldemari Regis Daniæ, cuius filius clauſit vetus & indigenum Regum ſtemma. Idem falſo creditum Woldemarum exutum armis & ditione vniuerſa, pepulit in exilium.

Incitabatur autem & adiuuabatur hic Woldemarus à Carolo IV. odio Ludouici Bauari, quod is fratri ipſius Iohanni Henrico coniugem cum dote, id eſt, Comitatu Tyrolenſi, ademiſſet. Etſi autem præ ſe ferebat Carolus, ſucceſſionem deberi Anhaltinæ familiæ, quam iniuſtè Bauari excluſiſſent, ita tamen oppugnabat Bauaros, & fouebat Anhaltinos, vt ſi illos eieciſſet, hos non eſſet admiſſurus. Quare, etſi publicis literis & Woldemarum armabat, & Anhaltinis ius ſucceſſionis confirmabat, & opem contra Bauaros ferebat: id tamen agebat, vt ſummotis vtriſque, Marchiam coniungeret Sileſiæ, quam ſimilibus artibus Bohemiæ copularat:

larat: idque partim aſtu, partim vi perfecit paulò poſt, cum Othonem Bauarum generum, qui in Romani fratris Imperium illo defuncto ſucceſſerat, coegit accepta ditione exigua in confinia Bohemiæ ac Bauariæ, & pecunia non magna, cedere Marchia, & omni iuri renunciare. Poſt venditionem, Otho Bauarus, Elector Brandeburgicus familiæ Wittelſpachiæ tertius, & vltimus, genio indulſit, ocio aliiſque obſcænis voluptatibus deditus: vnde Finnii, h. e. Ignaui cognomentum vulgò meruit. Obiit ſine prole, Anno Domini 1379. ſepultus in cœnobio Seligenthal. Ita exciderunt Marchia Brandeburgenſi vtrique: Bauari extruſi iiſdem technis, quibus hæredes proximos Anhaltinos ipſi depulerant: Anhaltini, quorum erat imbecillis potentia, ſimulatis promiſſis decepti.

Carolus Marchiam Teſtamento deſignauit Sigiſmundo filio, qui eam oppignorauit Iodoco, & Procopio, Marchionibus Morauiæ patruelibus: hi viciſſim Wilhelmo Landgrauio Thuringiæ, à quo iterum redemit eam Sigiſmundus Imper. Ab hoc quibus conditionibus & occaſionibus peruenerit ad Burggrauios Noribergenſes: notum eſt.

E cæteris Ludouici Bauari Imp. filiis VVil-

Wilhelmus, auo materno & auunculis è vita ſublatis, cum maſculus hæres nullu[s] eſſet ſuperſtes, præter vnum Iohannem, quem pater ſacris initiatum Epiſcopatu[i] Leodienſi præfecit, Wilhelmus ergo Hollandiam obtinuit, Patre feudum tra-dente, circiter annum 1343. Sed neq; hac hęreditate poſteritas diu gauiſa eſt. Nam & Wilhelmus erga matrem impius bellum ciuile accendit, ex quo Hollandia in factiones diſtracta longo tempore ſeditionibus eſt conflictata: Wilhelmus denique mentis impos factus, Valencianæ mortuus & ſepultus eſt, Anno Domini 1378. Cum verò ex impio filio Deus ſobolem nullam ſuperſtitem eſſe voluiſſet, Albertus frater ius ſucceſſionis Teſtamẽto Patris excepit: ſed cum filiis huius poſteritate extincta, Hollandiæ, Selandiæ, Hannoniæ, & Friſiæ terras occuparunt Iohannes ex ſtirpe Gallica, Burgundiæ, & Wenceslaus ex Patre Iohanne Rege Bohemiæ, Lucelburgi & Brabantiæ Duces: qui Alberti filias duxerunt in Vxores.

Sextus inter Ludouici Bauari Imp. filios Stephanus, cognomento Fibulatus, cæteris ſuperſtes, auitas terras poſſedit, & ſtirpem Bauaricam propagauit. Ex hoc enim longa poſterorum ſerie procreati

ſunt,

ſunt, qui nunc ſunt in viuis Bauariæ Duces.

Albertus Straubingenſis, Stephani Fibulati, Ducis Bauariæ frater, Comes Hollandiæ, contra Friſios multa bella geſſit: Princeps pius & manſuetus: Defunctus Anno Domini 1405. & Hagæ in Hollandia tumulatus. Ex Vxore ſua Margaretha, filia Ludouici Ducis Poloniæ, tres genuit filios: Wilhelmum, Albertum, & Iohannem. Filiam eius Margaretham duxit Iohannes Valeſius, Intrepidus dictus, filius Philippi Audacis, Ducis Burgundiæ, à Delphino cæſus. Huius Iohannis Intrepidi, Burgundiæ Ducis, filius Philippus Bonus, deinde, Antonio, & filiis Iohanne & Philippo, Ducibus Brabantiæ ſine liberis demortuis, Brabantiam Burgundiæ adiunxit: cui ſucceſſit Carolus Pugnax: magnanimus ille totius Chriſtiani orbis, dum viueret, potentiſſimus, & bellicoſiſſimus Princeps, qui ſe alterum Alexandrum, aut Carolum Magnum ſuis heroicis factis euaſurum ſperabat. Ad Nanceam ab Heluetiis & Lotharingis cęſus, Anno Domini 1477. eius filia vnica Maria Valeſia, hæres Burgundiæ, & inferioris Germaniæ, nupſit Maximiliano I. Imp. Auſtriaco, Friderici III. filio. Cæterum ex filiis Alberti, Albertus

tenuit Straubingam, terram inferioris Bauariæ, & primus obiit inter fratres ſine liberis. Vxorem enim non duxit. Princeps proceræ ſtaturæ. Sepultus Straubingæ in medio chori Monaſterii Carmelitarum.

Alberto in Ducatu frater Iohannes ſucceſſit, qui Anno Chriſti 1400. ad Epiſcopatum Leodienſem promotus eſt, & Ducatum Straubingenſem per Vicedominum gubernauit. Quum verò Leodienſes odium in eum concepiſſent, in Traiectenſi oppido ab iis obſeſſus eſt, Anno 1408. liberatus auxilio fratris VVilhelmi, Comitis Hollandiæ: & Iohannis Ducis Burgundiæ. Epiſcopatui præfuit annis 28.

VVilhelmus, Patri Alberto in Ducatibus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ ſucceſſit: & relicta filia vnica Iacoba, deceſſit Anno Domini 1409. Hæc Iacoba bona Patris hæreditario iure poſſidere volebat: contra Iohannes Straubingenſis, Dux Bauariæ, Epiſcopatui Leodienſi renuncians, Anno 1418. ſpe prolis vxorem duxit, Eliſabetham, filiam Iohannis Ducis Luſatiæ, fratris Sigiſmundi Imp. & Comitatus Hannoniæ ac Hollandię, armis ſibi quodammodo ſubiecit: veneno ſublatus improlis à magiſtro

ſtro curiæ ſuæ, Anno Domini 1425. ſepultus Hagæ.

Iacobam, VVilhelmi Bauariæ Ducis, Comitis Hannoniæ & Hollandiæ filiam, Vxorem duxit Iohannes, Antonii Ducis Brabantiæ filius, Philippi Audacis Burgnndiæ Ducis Nepos, Iohannis Valeſii Audacis Regis Galliæ pronepos: qui Patri Antonio in Brabantia, & reliquis ditionibus ſucceſſit. Iacoba verò vxor, quod non permitteretur ei ſuo arbitratu viuere, & quod ſibi familiares adimerentur, in Angliã diſceſſit, & ibi Duci Glouceſtrino, Angliæ Gubernatori nupſit, qui Caletum veniens, Hannoniam nomine vxoris occupauit. Sed Iohannes, Antonii filius, Dux Brabantiæ, Hollandiam (ne & eam is occuparet) per fratrem Philippum protexit: & ab Hollandis, Friſiis, & Zelandis honorificè ſuſceptus eſt. Iacoba hæc cauſa multorum bellorum fuit. Iudicio Romæ à Glouceſtrio ſeparata: non tamen a Iohanne marito recepta eſt: qui obiit Anno 1426 Princeps laudatus. Philippus, frater Iohannis ſucceſſit, & tantum triennium præfuit: ducturuſque Iolentam, Ludouici Siciliæ Regis filiam, moritur. Filiis Antonii, Ducis Brabantiæ, ſine hæredibus defunctis, peruenit Brabantia ad Philippum

Va-

Valeſium Bonum, Iohannis Intrepidi filium, Philippi Audacis Valeſii, Burgundiæ Ducis Nepotem, Caroli Pugnacis Patrem. Is cum anno 1419. Patri Iohanni Valeſio Intrepido, à Gallis interempto, in Ducatu Burgundiæ: patruelibus quoque in Ducatu Brabantiæ, An. 1430. ſucceſſit. Princeps benignus, cordatus, & inde cognominatus Bonus.

Dux verò Glouceſtrius, Angliæ gubernator, armata manu in Hollandiam, poſtea in Zelandiam, Vxoris ſuæ Iacobæ (filiæ Wilhelmi Bauari, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ hæredem, quę Iohannem maritum, Ducem Brabantiæ diuortii quadam ſpecie reliquerat) ditiones poſſeſſurus irrupit: ſed fruſtrà: ægerrimè id ferente Philippo Bono, quod Hannonia, Hollandia, Zelandia, & Friſia ad eum, mortua ſine prole Iacoba, deuenire deberent. Philippus hic Valeſius, cognomento Bonus, Caroli Pugnacis Pater, primo Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, inferioris Burgundiæ, Anteſiæ, Palatinus ſacri Imperii, Marggrauius, Salinarum, & Mechliniæ Dominus, multis ditionibus poſteà auctus fuit. Morte enim Theodori Comitis Namurcenſis, Comitatum Namurcenſem, Anno 1429. Præterea cognati ſui Philippi, Ducis Braban-

bantiæ, abſque liberis defuncti, Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limpurgi inſuper Iacobæ ſuæ conſanguineæ ſine prole mortuæ, Comitatum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ ditionem nactus eſt. Poſtremo quoque Ducatu Lucemburgenſi potitus eſt Anno 1443. & bella varia geſſit earum regionum cauſſa. Sed ne extra chorum ſaltare, & in alienam ſegetem falcem mittere videar, ad Bauaros nunc reuertor.

Stephanus igitur Fibulatus, hodiernæ Boiorum inclytæ ſtirpis proſator & caput, à morte Patris Ludouici Bauari Imperatoris, tranſegit cum Rudolphi Electoris Palatini, patrui filiis, ſoluta certa pecunia, in compenſationem detrimentorum, quæ bello ciuili à fratre Ludouico Bauaro Imp. Rudolphus Elector Palatinus exul acceperat: quæ cum minimè precium iacturæ adæquaret, deinceps etiam Palatini à Bauaris ſatisfactionem vberiorem exegerunt: cuius denegatio non fuit nulla cauſa funeſti illius belli Bauarici, quod Anno 1504. inter agnatos familiæ vtriuſq; extitit. Ad nepotes Stephani Fibulati, cum Henrici patrui ipſius magni ſoboles intercidiſſet, in Bauaria inferiore tandem Dominium Bauariæ vniuerſæ rediit. Vxorem habuit

Ste-

Stephanus Eliſabetham, Siciliæ Regis filiam, obiit Anno Domini 1377. d. 10. Maii. Poſt mortem eius, circa annum Chriſti 1392. filii eius tres Bauariam Monachii ſic diuiſerunt Stephano ea pars obtigit, quæ ſita eſt propè Ingolſtadium: Friderico, quæ propè Landshutam; Iohanni, quæ propè Monachium.

Stephanus Ingolſtadienſis, mortuus Anno 1413. vxorem habuit Tadæam, Galeatii Vicecomitis Mediolanenſis filiam, ex qua tres reliquit liberos: 1. Ludouicum Barbatum, Ducem Bauariæ, poſſidentem Principatum Ingolſtadienſem. 2. Iohannem, qui 26. annis Ratiſponenſis Eccleſiæ Epiſcopus fuit. 3. Eliſabetham, Caroli VI. Regis Franciæ Vxorem.

Fridericus Landshutenſis, defunctus Anno 1393. Vxorem habuit Magdalenam, Galeacii Mediolanenſis Vice-Comitis filiam: ex qua procreauit: 1. Henricum, cognomento Diuitem. 2. Eliſabetham, Friderico I. Electori Brandenburgico nuptam. 3. Magdalenam, Iohannis Meinhardi Comitis Goriciæ coniugem.

Iohannes Monacenſis, obiit anno Domini 1397. Vxor eius fuit Iohanna, Luſatiæ Ducis filia, ex qua nati ſunt, Erneſtus & Wilhelmus fratres. Ludo-

Ludouicus Barbatus, Stephani Ingolſtadienſis filius, Stephani Fibulati Nepos, ad ſororem Eliſabetham, Reginam Franciæ profectus, ibi à Rege Conſtantiarum Celticæ Galliæ præfectura, quam Mortaniæ, ſiue Moritonii in Normannia Comitatum vocant, donatus eſt. In Gallia nupſit primum Annæ, Iohannis Borbonii Comitis filiæ: deinde Catharinæ Alenconiæ, viduæ Petri Comitis de Mõtaigne. Poſt mortem Patris Stephani Ingolſtadienſis in Bauariam rediens, cum patruelibus diu contendit: & deniq; anno 1443 cum proprio filio, Ludouico Gibboſo, quem exhæredare voluerat, alio illegitimo in eius locum ſubſtituto. Cum verò agnatos Duces bello petere non ceſſaret, à Friderico *III*. Imp. proſcriptus, Vrbibus exutus, per quadriennium Bauaria exulare iuſſus eſt. Tandem à Ludouico Gibboſo filio (qui in vxorem habuit Alberti Marchionis Brandeburgici ſororem) Neoburgi ad Danubium captus eſt: & filius breui tempore poſt è vita migrauit, anno 1445. Quod poſtquam Marchio Albertus comperit, Ludouicum Barbatum, Ingolſtadienſem Ducem, captum, Neoburgo Onolsbacum abduxit, donec tempus nactus oportunum eundem pro 32000. floreno-

rum Henrico Landshutenſi, cognomento Diuiti, vendidit: quem ipſe captiuum Burckhuſium duxit: vbi Ludouicus Barbatus in carcere vitam mortalem cum immortali commutauit, anno 1447. Humanæ fragilitatis exemplum. In Francia tredecim campeſtria peregit bella. Tempore ſenectutis adeò fortis brachiis fuiſſe dicitur, vt ſi quem comprehenderet, niſi aliotum viribus, propriis excutere ſe de manibus ſuis non valeret.

Extinctis Ludouico Barbato, eiuſque filio, ſine ſobole, Ludouico Gibboſo, Dominis Ingolſtadienſibus, ditiones eorum omnes, ciuitates, oppida, caſtra, & villas, Henricus Landshutenſis, filius Friderici, Stephani Fibulati Nepos, occupauit: qui in iuuentute apud Crucigeros in Boruſſia militauit: & rei familiaris parcus ac diligens, magnas opes comparauit: vnde Diues cognominatus eſt. Ex vxore Annâ, Alberti Auſtriæ Archiducis filia, tres ſuſcepit liberos. 1. Iohannam, Vxorem Othonis Mosbacenſis Palatini Comitis, Ducis Bauariæ. 2. Ludouicum, cognomento Diuitem. 3. Eliſabetham, Vlrici Comitis Wirtembergici Vxorem.

Ludouicus, Dux Bauariæ inferioris, filius Henrici Landshutenſis, immenſas

habuit

habuit diuitias: quare per totam Germaniam cognomen ſortitus eſt, vt diceretur Diues. Anno 1458. congregato ex Bauaris & Bohemis magno exercitu, ciuitatem Aychſtadenſem obſedit: amicis autem ſeſe interponentibus, ſoluta obſidione diſceſſit. Poſtea cum Alberto Marchione Brandenburgico, qui Achilles Germanicus fuit cognominatus, maxima geſſit bella. Fridericus III. Imper. eum propter opes pertimeſcebat, & propter laceratas Norimbergæ in diæta literas Imperiales, læſæ Maieſtatis reum declarauerat: dato mandato Alberto Marchioni Brandenburgico, Principibus aliis, & ciuitatibus Imperialibus, vt Ludouicum Diuitem, Landshutenſem Ducem, armis perſequerentur. Ciuitates igitur in ſuperioribus Germaniæ partibus (exceptis Norimbergenſibus, qui ſub alis Marchionis Alberti, Achillis Germanici, militare nolebant) mandato Cæſaris obedire parati, arma capiunt, & Marchioni Alberto contra Ludouicum Bauariæ Ducem, auxilia imperata tranſmittunt. Dux vero Ludouicus Diues, accepto nuncio diffidationis à Marchione Alberto, & ciuitatibus Imperialibus, magnum Bauarorum & Bohemorum contraxit exercitum, & ingreſſus ditionem Alberti Mar-

chionis oppida & caſtella cepit plurima, villas incendit, & ingentem prædam abduxit. Vlmenſium, & aliorum pagos ſexaginta breui in ſuam poteſtatem redegit: Marchionem Albertum, cum ciuitatibus Imperii, apud Giengen, prælio ſuperauit: ab obſidione Heidenheimenſi vi ſumma multos repulit nobiles: ac ipſum Marchionem Albertum ita aggreſſus eſt, vt cum duobus equitibus vix aufugeret. Tandem per Bohemiæ Regem ad concordiam hi Principes reuocati ſunt, & oppida vtrinque ablata Dominis legitimis reſtituta, anno Domini 1459.

Non placuit hæc pacificatio Friderico Victorioſo, Electori Palatino, qui cum à 14. Principibus bello laceſſeretur, Ludouicum Diuitem in ſuas partes pertraxit, & cum eo firmiſſimam aluit amicitiam. Ludouicus igitur cum Marchione Alberto, & ciuitatibus Imperii, Auguſta, Vlma, Norlinga, & aliis ſuperioribus ferè omnibus, bellum fortiter continuauit, & mirantibus cunctis, vbique vicit, & feliciter triumphauit, hoſtes ſuos pænè omnes miſerabili calamitate afficiens. Tandem poſt datas & acceptas vtrinque clades, pax iterum inter ipſos fuit inita & confirmata. De eodem Ludouico Diuite, Bauariæ Duce, ita ſcribit Iuſtus Lipſius:

pſius: *Ludouicum, cognomine Diuitem, quam verè diuitem atque vberem prudentiæ & virtutum eſſe oportuit? cuius aula velut ara fuit, ad quam è Germania vndique confluerent, & lites, immo bella, voce ab oraculo illo edita, ſedarent. Res ita eſt. Solò interuentu ſuo, (mira, nec niſi à magnis meritis auctoritas) Principum ac dynaſtarum iurgia compoſuit, & ſtrictos iam gladios inhibuit atque repreſſit.* Obiit anno Domini 1479. Vxorem habuit Annam, Saxoniæ Ducis filiam, ex qua genuit, 1. Margaretham, Vxorem Philippi Electoris Palatini. 2. Georgium Diuitem ſucceſſorem.

Georgius Diues, Dux Bauariæ, Dominus Landshutenſis, & Ingolſtadienſis, Ludouici Diuitis filius, Henrici Diuitis Nepos, Princeps fuit Religioſus, ac Muſarum patronus clementiſſimus, & liberaliſſimus. Academiam Ingolſtadienſem condidit anno 1490. eamque vectigali & pecunia annua inſtruxit. Obiit anno Domini 1503. & cum eo linea Ducum Bauariæ inferioris defecit. Ex Vxore Hedvvige, Poloniæ Regina, Caſimiri filia, Vladislai Bohemiæ Regis ſorore, ſuſtulit 1. Ludouicum, qui infans ex hac vita exceſſit. 2. Eliſabetham, filiam

& hæredem vnicam relictam, quam Ruperto Virtuoſo, Philippi Electoris Palatini filio, in matrimonium hac conditione tradiderat, vt omnium bonorum mobilium & immobilium à Patre relicto rum, excluſis penitus agnatis Ducibus Monacenſibus, hæreditatem adiret. Idque Teſtamento prolixè cauerat, & Vladislaum Bohemiæ, Ludouicum Galliæ, Reges, alioſque Magnos Principes, Teſtamenti cuſtodes & procuratores cuſtodierat. Mortuo igitur Georgio Diuite, Duce Bauariæ Inferioris, Domino Landshutenſi, & Ruperto Palatino genero, 23. annorum iuuene, omnes illius regiones & Vrbes occupante, ingens illud bellum Bauaricum exortum eſt, anno Domini 1504. quod tamen anno ſequenti 1505. in Comitiis Colonienſibus à Maximiliano I. Cæſare compoſitum eſt; & Philippus Elector Palatinus, Ruperti virtuoſi, veneno necati, Pater, à Cæſare in gratiam receptus.

Erneſtus, & VVilhelmus fratres, filii Iohannis Monacenſis, nepotes Stephani Fibulati, cum Ludouico Barbato, Ingolſtadienſi Domino, graue bellum geſſerunt. Vtrique Monachii ſunt mortui & ſepul-

ſepulti. Erneſtus quidem, anno 1439. Wilhelmus anno 1435.

Ab Erneſti filio Alberto, cognomento Pio, moderni Duces Bauariæ deſcendunt, qui Henrici Landshutenſis ſobole máſcula in Georgio Diuite, anno 1503. deficiente, integra nunc Boiariâ potiuntur. Defuncto Alberto II. Imper. Hungariæ & Bohemiæ Rege, & relicto filio Poſthumo, Ladislao, Albertus hic Bauariæ Dux, Erneſti filius, maiore Procerum voto Rex Bohemiæ declaratus eſt, circa annum Domini 1440. quo ipſo anno ars typographica, nouum per typos ſcribendi genus, inuenta & excogitata eſt à Iohanne Gutenbergio. Sed Albertus Pius, Boiorum Princeps, Regnum Bohemiæ ſibi oblatum cum ingenti modeſtiæ laude repudiauit, auſus contemnere, quod alii per ignes & ferrum petunt, vt qui probè intelligebat, quanto maius ſit Regnum faſtidire, quam accipere: vt refert Æneas Syluius in Hiſtoria Bohemica, capit. 57. cuius verba libet adſcribere: *Bohemi* (inquit) *qui Alberti Regis cauſa inter ſe diſſidebant, cognita morte, apud Pragam conuenientes, vnum totius Regni corpus efficiunt, atque ad eligendum nouum Regem ad 8. Ka-*

 lend.

lend. Maias diem ſtatuunt. Regina Eliſabetha, iam filium ex Alberto pepererat 8. Kalend. Martij, Anno 1400. *Ladislaum nomine: atque Hungarorum ei coronam impoſuerat. Mittuntur ad eam legati, qui dicant, ad eligendum Regem diem ſtatutam. Si quid iuris in Regno Bohemiæ ad ſe ſpectare confidat, oratores mittat, qui rem ſuam agant. Regina natum ex Alberto filium in cunabulis oſtendit: rogat, ne paterna hæreditate pupillum exuant. Tempus mittendi legatos arctum eſſe: (neque enim amplius, quam dies quindecim ſupererant) ſi prærogetur terminus miſſuram, qui pueri iura edisſerant. Erat inter legatos Procopius Rabenſteinius, nobilis eques, doctrina ac morum lenitate præſtabilis. Is cum Alberto ſeruiiſſet, habiturum ſe curæ ait, quæ Regina mandaret. Reuerſus in Bohemiam, eos primum adijt, qui partes Alberti fouerant. Exponit Reginæ deſiderium: ſuadet proferri conuentum. Res digna exauditione videtur. Verum Ptarſio, & qui Alberti recuſarant imperium, cum iam Pragæ conueniſſent, Regno conſulendum quantocius eſſe dixere, Reginam ſpernere, inſtare, properare, vocare abſentes. Illi diem ex die conſulto proferre, moræ cauſas nectere. Interea legati ab Regina veniunt, fit frequens con-*

conuentus. Intromiſſi Oratores : proceres rogantur: Sigiſmundi & Alberti, ſuorum Regum, meminerint, nepotem filiumque ne reſpuant, contra ius gentium paternam hæreditatem puero ne adimant. Fœdera cùm Auſtrialibus percuſſa ne violent, pupilli atque orphani miſereantur. Sunt non pauci, qui læto fauore legatorum poſtulata ſuſcipiunt. At qui Albertum oderant, filium Regem negare, cuius Patri tanquam Regi non paruiſſent: infantem Regno inutilem eſſe: Regem à regendo dictum; qui regendus ſit, Regem vocari non poſſe: Antequam Ladislaus adoleſcat, longum tempus effluxurum eſſe: interim Regem aſſumi, qui per ſe regat: Satis eſſe Ladislao, ſi poſt quatuor & viginti annos ad Regnum vocetur: medio tempore locum alteri faciat. Reges Regno dari: non regna Regibus. Fridericum Auſtriæ Ducem, iam Romanorum Regem electum, Bohemis indulſiſſe, vti, quem vellent, Regem ſibi accirent. Vicit hæc ſententia.

Albertus itaque Boioariæ Dux, maiore Procerum voto Rex declaratur, qui apud VVenceslaum quondam nutritus, Bohemicæ linguæ non ignarus erat. Mittuntur ad eum primores Regni, inter quos Vlricus Ro-

ſenſis, homo ſemper ſe tempori accommodans, princeps fuit: qui licet Alberti partes olim defenderit: huius tamen ſententiæ ſuaſor extiterat. Quibus ea res indigna videretur; hi Procopium ad Fridericum III. Cæſarem clam ire iubent; rogantes, nobile Regnum ne pupillo negligat, cuius tutelam ſuſceperit. Iam enim Eliſabetha Hungarorum inconſtantiam verita, (qui ad Poloniæ Regem defecerant.) Ladislaum ad eum miſerat educandum. Fridericus, audito Procopio, miſſis ad Albertum Boioarium nunciis, hortatur, ne Regnum ſibi alienum vſurpare præſumat: quod tum difficile, tum ignominioſum fuerit. Bohemis, quibus defuncti Regis hæres eſſet, non licuiſſe alium eligere, neque ſe poteſtatem eam dediſſe, quemadmodum in Bohemorum conuentu nonnulli ementiti fuerant. Procopium verò in Bohemiam remittit, qui ius Ladislai haudquaquam ſe neglecturum aſſerat.

Albertus ea virtute atque animi moderatione vſus eſt, quæ poſtquam Reges eſſe cæpere, rariſſima ſemper fuit. Nam venientibus ad ſe Bohemorum legatis, amplum & nobile Regnum offerentibus, gratias egit, qui ſe vnum ex omnibus elegiſſent, cui parere vellent, dignumque tanto Imperio iudicaſſent.

caſſent. Multa ſe idcirco debere Bohemis, neque id vnquam beneficii obliuioni daturum.

At cum Regis Alberti ſoboles extet, indecorum eſſe, cum alterius iniuria Regnum quærere, paternam hæreditatem nulli auferendam, qui pupillos ſuos iure diſpolient, diis atque hominibus inuiſos pœnas aliquando patrati ſceleris dare: cognouiſſe ſe non vano rumore, fœdus antiquum inter Bohemos & Auſtriales extare; deficiente maſculina ſobole Principem ne foras aſſumant: fidem ſeruare, pulchrum: ne cui temere noceatur, cauendum: Sceleſtam execrabilemque vocem illorum, qui regnandi cauſſa ius violandum adſtruunt; atque ita Albertus, Bauariæ Dux, maiorem ſe ſpreto Regno monſtrauit: &, ſi verum fateri licet, clariſſimum egit Regem. Nam Regnum apud eos, qui ſpernunt, non qui cupiunt.

Idem hic Albertus, Bauariæ Dux, qui oblatum Bohemiæ Regnum recuſauit, puellam balnei cuſtodem tam perditè amaſſe ſcribitur, vt eam iuſtæ quoque vxoris loco habiturus fuerit, niſi Pa-

ter Erneſtus id metuens, eam in Danubio mergendam curaſſet: cumque diu Albertus idcirco mærens vitam exegiſſet, tandem luctu depoſito, Vxorem duxit Annam, Erico Brunſvvicenſi regulo natam, ex qua ſobolem pulcherrimam ſuſtulit.

1. Albertum IV. cui ſapientia cognomen fecit, quique Patri vita functo in Principatu ſucceſſit.

2. Iohannem Erneſtum.

3. Sigiſmundum.

4. alterum Albertum.

5. Chriſtophorum.

6. Wolffgangum.

Et filias has: Eliſabetham, Erneſto Saxoni Septemuiro Imperii nuptam: Margaretham, Friderico Dynaſtæ Mantuano deſponſam; & Barbaram, religioſam ad Sancti Iacobi Monachii virginem. Tandem Albertus, ſepoſitis cæteris curis, ſectatus Muſicam, aſſiduis cantibus ac ſonis animum oblectauit, interdum & venationibus operam dedit: donec ex hac vita deceſſit, anno Domini 1460.

Albertus IV. Boiorum Princeps, cognomento Sapiens, Alberti Pii filius, Erneſti Nepos, natus anno Domini 1440.

Patri

Patri defuncto ſucceſſit. Princeps doctus, prudens, ſapiens, & ingenioſus. Obiit anno Domini 1508. 17. Martii: quo ipſo anno Philippus itidem Ingenuus, Elector Palatinus, huic mundo valedixit: qui Albertum hunc habebat aduerſarium. Ex Kunegunde Auſtria, Friderici III. Imp. filia, Maximiliani I. ſorore, trigeminum virilis ſtirpis partum ſuſcepit: Gulielmum, Ludouicum, & Erneſtum: quinque filias: Sidoniam, Sabinam: Suſannam, Sibyllam, vxorem Ludouici Pacifici Electoris Palatini: & alteram Suſannam, quæ nupſit Othoni Henrico Electori Palatino.

Ludouicus, Bauariæ Dux, Gulielmi frater, deceſſit è vita, anno Domini 1545. nullis relictis liberis. Nam ita conuenerat, ne duceret vxorem, hæreditatis coagmentandæ gratia.

Erneſtus, Epiſcopus Saltzburgenſis, Ludouici & Gulielmi frater, à Iohanne Auentino, Boiorum Liuio, bonarum artium rudimenta hauſit, Iaſonem Maynum Ticini paucis diebus audiuit, in iuris ſcientia non vulgariter profecit, Mathematicas diſciplinas amauit, & foſſilium metallicorum tantam aſſecutus eſt notitiam, quantam in tota Germania quiuis alius. Gulielmo fratre Bauariæ Dominatum appetente, & obtinente, Erne-

ſtus aliquandiu multa regna & prouincias veluti priuatus aliquis ex infima nobilitate oberrauit, ſeque Iohannis Malentini, equeſtris ordinis hominis, poſtea Epiſcopi Secouienſis, in ea peregrinatione miniſtrum præbuit, atque hac diſſimulatione Lutetiam venit; vbi die quadam à Franciſco Rege conſpectus, & ſe proditum ratus, cum ſuo Malentino in Saxoniam profectus eſt: inde Patauiam, vbi Epiſcopus fuerat deſignatus. Mortuo Matthæo Lang à Wellenburg, à Salisburgenſibus poſtulatus fuit Archiepiſcopus. Eccleſias illas, quas rexit, Patauienſem & Salisburgenſem, partim ære alieno liberauit, partim opibus, reditibusque maximis auxit. Princeps fuit laborioſiſſimus, qui diu noctuque ſupplices ſuorum libellos atque querimonias legit, decreuit, decreta dictauit, aut præſcripſit amanuenſibus ipſe nonnunquam: ſummaque tranquillitate prouinciam ſuam ſine exactionibus & oneribus gubernauit, memor illius dicti Tiberiani: *Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere.* Obiit Anno Domini 1560. VIII. Idus Decembr. Literatorum Mæcenas Maximus.

Gulielmus, Alberti Sapientis filius, Alber-

Alberti Pii Nepos, Ludouici & Erneſti frater, Lutherum, eiuſque ſectatores impenſe exagitabat, vna cum fratre, Ludouico. Hi tamen multum poſtea de priſtino odio remiſerunt. Nam Ferdinandi Primi Auſtriaci, Caroli V. Imper. fratris, in Regem Romanorum renunciationem improbabant, & communicatis conſiliis cum Gallo, Saxone, & Haſſiæ Landgrauio, clandeſtinum contra Cæſarem fœdus inierunt, Germanicæ libertatis tuendæ cauſa: vt teſtantur Thuanus & Sleidanus. Wilhelmum etiam cupido titillauit adipiſcendi Electoratum Palatinum, poſt obitum LVDOVICI PACIFICI Septemviri. Sed hanc Electoratus tranſlationem in Domum Bauaricam à Carolo Quinto Cæſare impetrare non potuit. Obiit anno Domini 1550. 22. Martii, Ex vxore Maria Iacobe, Badena, Philippi Marchionis filia, reliquit hæredem Albertum V.

Albertus Quintus, Gulielmi filius, Alberti Sapientis Nepos, Dux vtriuſque Bauariȩ, & Comes Rheni Palatinus Princeps fuit ſapiens & cordatus, ſed Religionis Pontificiæ acerrimus propugnator, Ieſuitis aliquot collegia extruxit, Landsbergi, Monachii, Ingolſtadii, & aliis in locis. In matrimonium duxit ANNAM

Auſtria-

Auſtriacam, Ferdinandi I. Cæſaris filiam. Nuptiæ peractæ ſunt Ratiſponæ, anno Domini 1546. mediis in turbis atque motibus bellorum. Anno 1556. Bauari Ducem hunc ſuum Albertum de religionis libertate ſollicitabant. Princeps, quum à Ferdinando, tunc Romanorum Rege, ſocero ſuo, Auſtriacis permiſſum aliquid eſſe videret, ipſe quoque ſuis, cum pecuniam exigeret; ad tempus conceſſit, vt cœnam Domini integram perciperent, & diebus vetitis; vrgente neceſſitate, carnes ederent; multis tamen verbis profitebatur, à religione maiorum nolle ſe diſcedere, nec in cæremoniis aliiſque rebus mutare quicquam, (nec enim id ſibi licere) niſi de ſupremi ſui Magiſtratus, tam ciuilis quam Eccleſiaſtici voluntate: quod autem iſta duo concedat, eatenus fieri, donec authoritate publica ſtatuatur aliquid, & conciliatio fiat. Nam ſuperioris temporis edicta ſua de religione velle vt inuiolata ſint, & exacte ſeruentur: his duabus tantum rebus exceptis: curaturum etiam, quantum ipſe poſſit, vt Metropolitanus & Epiſcopi conceſſionem hanc approbent, nec hoc nomine moleſtiam vlli faciant. Scriptum hoc editum fuit pridie Kalend. April. Obiit anno Domini 1579. 24. Octobris, ætatis 52. Mo-

naci.

naci. Ex Anna Auſtriaca procreauit hos liberos. 1. Gulielmum. 2. Ferdinandum natum anno Domini 1550. 30. Ianuarii. 3. Erneſtum. 4. Mariam, vxorem Caroli Archiducis Auſtriæ, Ferdinandi II. Cæſaris matrem. 5. Mariam Maximilianam.

Ex his Erneſtus, natus anno Domini 1554. aſſumptus eſt in Epiſcopum Friſingenſem & Hildesheimenſem. Poſtea Gerardo Grosbeco, Leodicenſium Epiſcopo defuncto, ſucceſſor electus, 9. Cal. Febr. anni 1580. Leodium venit, vbi magna pompa ac populi applauſu ſeptimo poſt die inauguratus eſt. Biennio poſt Gebhardus Truchſeſius, Archiepiſcopus Colonienſis & Elector, liberum Religionis exercitium ſubditis permiſit, & matrimonio ſibi copulauit Hagnen, filiam Iohannis Georgii Comitis Mansfeldenſis, Bonnæ, 4. Febr. anno 1583. Propterea Gebhardo Truchſeſio à Gregorio XIII. Pontifice excommunicato, & depoſito, Erneſtus filius, hortatu Cæſaris Rudolphi II. a Collegio Archiepiſcopus Colonienſis electus, Diœceſin illam armata manu occupauit. Truchſeſius enim dignitate & poteſtate Septemvirali exutus, vim vi repellere conatur. Venit ei ſubſidio Iohannes Caſimirus, Comes Palatinus, Friderici

derici III. Pii Electoris filius; Erneſtus vero Bauarus Hiſpanicum aduocauit præſidium. Poſtquam aliquandiu belligeratum eſt, & ab vtraque parte aliqua capta & amiſſa, Iohannes Caſimirus, mortuo fratre Ludouico, Electore Palatino, Domum reuocatur ad ſuſcipiendam tutorio nomine Electoralis Palatinatus curam. Truchſeſius vero adiutus à fratre, & aliis nonnullis, tueri ſua, quanta poteſt contentione enititur. Inde infuſis in Germaniam Hiſpanicis copiis, maximæ & turbulentæ tempeſtates extiterũt, quæ diœceſin Colonienſem, & vicina loca aliquandiu miſere vexarunt & afflixerunt. Gebhardus tandem à ſociis deſertus, exul ex hac vita deceſſit. Erneſtus Bauarus, Archiepiſcopatum Colonienſem vi & armis occupatum retinuit ad annum vſque Chriſti 1612. diem 7. Februarii, qui ei fatalis & vltimus fuit. Eius funus poſtmodo 7. Martii, comitante illud nobilitate & equitatu Weſtphalico, Tuitium, poſteroque die Coloniam Agrippinam delatum, & habitu Epiſcopali ornatum, in templo cathedrali humatum eſt: Coadiutore eius Ferdinando, Gulielmi Bauariæ Ducis, fratris filio, in locum eius ſtatim ſuffecto, & 12. Martii inaugurato.

Guliel-

Gulielmus, Erneſti Archiepiſcopi Colonienſis frater, natus anno Domini 1548. Patre Alberto Quinto defuncto, Ducatum Bauariæ adminiſtrauit. Princeps eruditione, & feruenti erga Religionem Pontificiam zelo per vtrumque orbem clariſſimus, ſectæ Loioliticæ fautor ac patronus ſingularis vitæ tumultuoſæ pertæſus, cum ad religionis ſtatum veluti quietis portum adſpiraret, Imperium iampridem Filio natu Maiori Maximiliano reſignans, fato functus eſt in Carthuſiano Monaſterio haud procul à Ratiſpona, anno Domini 1624. Menſe Februario: Ætatis 80. Ex Renata Lotharingica, Franciſc. filia, hos liberos progenuit.

I. Maximilianum, qui hodie rerum in Bauaria potitur. Is anno 1595. menſe Februario, nuptias celebrauit in Lotha. ringia, cum Eliſabetha, Caroli Ducis Lotharingici filia. Anno 1607. Donavverdam, ciuitatem Imperialem in Sueuia, à Rudolpho Secundo Imperatore proſcriptam, copiis ſuis occupauit. In turbis tandem hiſce Bohemo-Germanicis, pro propugnanda Pontificis Romani authoritate, & executione Concilii Tridentini, cum Cæſare Ferdinando Secundo arma coniunxit. Anno 1618. ceſſerat Bo-

hemia

hemia Matthias Auguſtus, Viennamque ſedem tranſtulerat: Praga magis relicta, quam deſerta, ſuo enim loco præſides & officiales ſuos ad clauum Reipub. ſedere iuſſit, quos Bohemiæ Regni ſtatus, ſub vtraque, vt vocant, ob male adminiſtratam prouinciam, & Maieſtatis Cæſareæ literas violatas, è feneſtris præcipites dederunt: & pro vno Agamemnone XXX Directores conſtituerunt: ac inſuper ad libertatis priuilegiorum, & Religionis ſuæ defenſionem exercitum coegerunt. Quietum erat antea & pacatum Regnū, antequam hæ turbæ excitarētur. A Cæſare arma in armatos Bohemos ſumpta, & vario euentu primo anno certatum: intercidítque belli curſum mors Cæſaris, cui viuo adhuc ſurrogatus erat Ferdinandus II. Rex Bohemiæ.

Altero anno 1619. Dux Bucquoius cæſis Mansfeldii copiis, numeroſum exercitum, robore valentem, per aſperrima viarum in interiora Regni Bohemiæ duxit, Pragam Metropolin petiturus: ſed conſpirante in eum perpetua pluuia, ac Hungarica lue, per caſtra ſæuiēte, tardius mouit, demumque ab effuſo ac late omnia ad Viennam populante Gabore, Trāſſyluaniæ principe, deſtinatam iræ ſuæ Pragam relinquere, periclitanti Viennæ

opem

opem ferre, exercitumque à tanta præda auulſum, inuitum, frementemque redu-cere compulſus eſt. Interea Ferdinandus Bohemorum Rex electus & coronatus, cum Francofurti ad Mœnum Cæſar eſſe inciperet, poſtridie Bohemis Rex eſſe de-ſiit, illique, & poſteritati ipſius perpetuũ vale dictum. In locum eius electo & ſub-ſtituto, vnanimi Regni Bohemiæ, incor-poratarumque prouinciarum calculo, ſe-reniſſimo principe & Domino, Friderico V. Electore palatino ad Rhenum, Duce Bauariæ.

Adulto autumno, Auſtriam Cæſar Ferdinandus Francofurto repetens, vt co-gnatam Domum interuiſeret, Monachiũ peruenit: cui Maximilianus, Dux Baua-riæ, honoris cauſa, Auguſtam vſque ob-uiam iit, atque in imperantem Bauariæ vrbem ſuam magnifico paratu deduxit. Hic cum circumquaque belli Bohemo-Germanici claſſicum perſtreperet, ſoro-rius Cæſar Maximiliano Bauaro nego-tium dedit, vti ſociis armis cum Bocquo-io, qui milite ſuo Auſtriam tuebatur, bel-lum capeſſeret, & Bohemos, ac proteſtã-tes principes Vnitos in ordinem redige-ret. Nec ſegnis Maximilianus, Bauariæ Dux, cum Romano-Catholicis Ligiſtis, habito Würceburgi conuentu, ac Saxone Electo-

Electore Mulhuſii Thuringorum in partes pontificiorum adducto, exactiſſimas militum conquiſitiones inſtituit: præter Germanos, Galli, Lotharingi, Valones, Croatæ, aliarumque gentium bellatores, magnis præmiis ad ſigna vocati, in Sueuiam, per varios, & longos viarum tractus, obſidentibus breuiora itinera principibus vnitis, ad delectum venere. Timebant creſcentibus ſenſim copiis proteſtantes Vlmæ trepidanti, idcirco ſuas quoque copias admouere, atque vt ſecurius hoſtem ſpectarent, vallo ſe muniuere.

Sub Iunium extremum, caſtra Maximiliani, Bauariæ Ducis, auxere Lotharingorum, Vbiorumque Legiones, Ducibus Vademontio Iuniore, & Barone Anholtino, militiæ claro. Mox ipſe Dux Maximilianus, Ligiſtarum principum caput, ne qua fama didi poſſet, per ſpeciem venationis Monachio deſcendens, Dillingam, Antiſtitis Auguſtani oppidum, cui vicina erant caſtra, profectus, miſſis Vlmam Legatis, ad principes proteſtantes, & exercitus Duces, adnitentibus Gallis ad Cæſarem Oratoribus, per id tempus Vlmæ hoſpitantibus, pacem extorſit, vt exorto in Auſtria bello conſultum eſſet, quod à

Cæſa-

Cæſare mirum quantum ſollicitabatur. Bucquoio unicum negotium erat Bohemos a Vienna arcere, & Auſtriaci, tam ſuperi, quam inferi, acerbiores hoſtes Cæſaris erant, quam ipſi Bohemi. Superi quoque, traiecta per Danubium catena, iter clauſerant, vt ſine obſidentibus Imperator Viennæ obſideretur. Pax igitur Vlmæ Sueuorum facta, vt alibi bellum inferretur: quod conſilium vulgo ignorabatur.

Compoſitis Germaniæ rebus, Maximilianus, Bauariæ Dux, copias partim Danubio, partim terra, Paſſauium abduxit, modiceque flexo in meridiem itinere, Scherdingam, ditionis ſuæ oppidum peruenit: vnde miſſis Oratoribus Lincium ad Ordines mandata, quæ à Cæſare Ferdinando Secundo habuit, expoſuit, ac ſimul Auſtriam intrauit, quietis amicus, hoſtis hoſtibus futurus; vti & ceidit: reiectis primum ruſticorum urmis, qui cæduis ſyluis vias interſepſerant, & aditu Bauaros arcere conabantur: expugnataque una alteraque arce, quæ progredientibus armatis obſiſtere audebant.

bant. Terruit hæc celeritas Ordines Auſtriacos conſilii inopes: miſſis tamen octo Legatis de Legibus deditionis muſſitabant: ſed reſponſum tulere, Maximilianum Bauarum alias Lincium contendere, ibi ſe interrogari poſſe & intelligi: interea præſidium Lincio deducerent, ac Serenitati ſuæ venienti portas aperirent. Quarto igitur Auguſti, Maximilianus in Vrbem prouinciæ principem inuectus eſt, humentibus multorum oculis, plurium dolentibus animis: miratique ipſi Auſtriaci ſunt, quomodo Maximilianus ad ipſos tam propere veniſſet, aut ipſi eum tam trepide admiſiſſent. Satis conſtat, (ni Deo aliter viſum fuiſſet,) potuiſſe illos Bauaro non paruam moram iniicere, nam ſex prope millia conſcriptorum ſub ſignis numerauere, & inſuper quindecim millia indigenarum obiicere licuiſſet. Improuiſa feſtinatio territorum conſilia diſſipauit, animoſque ſui ignaros adeo abiecit, vti ſe velle dicerent, quod nolebant. Mox Iſter vinclis liberatur, viæ præſidiis clauſæ aperiuntur, miles Auſtriacorum conſcriptus exauthoratur, Vienna ſua captiuitate eximitur, commeatus importatur: & quicquid Romano-Catholicæ rei, & Monarchiæ Hiſpanicæ addictum erat, reſpirat.

Omnia iſta oculis ſubactorum dolorem intulere, hoc etiam animis, iuſſis in verba Maximiliani iurare, ac fœdera percuſſa reſcindere, telum fuit, quod viſcera hauſit: quæ vt prçſtarent, conditiones propoſuerunt, & quia vincentium eſt leges dare, deuictorum accipere; deuictorum fortunam ſubiere, eualuitq; illud, velis nolis.

Lincii dum Maximilianus Bauariæ Dux agit, ac pro tempore Magiſtratum, abdicato vetere, imponit, Cæſaris miſſu à Tampiero Duce inuiſitur, & gratulandi cauſa, & poſtulandi, vti omiſſa tantiſper Bohemia in inferiorem Auſtriam arma verteret, ac Bucquoio, ad Bohemorum caſtar excubanti, ſed militum numero impari, ſe iungeret, Bohemumque hoſtem aut contunderet, aut finibus eiiceret. Nec mora: Maximilianus adſcitis in ſupplementum militibus, quos Ordines Auſtriaci dimiſerant, præſidiiſque per opportuna loca relictis, iter Bohemicum ſimulans, Freiſtadium Bohemiæ conterminum petiit. Inde per Caduceatorem ad Sereniſſimum Bohemiæ Regem Fridericum V. ac Regni Proceres Cæſaris Ferdinandi II. voluntatem, & commiſſam ſibi Prouinciam denunciauit, haud admodum iucundis literis. Cum vero à Bohe-

mis, (qui fortibus animis minas, & intentatas pœnas, contemnere videbantur) nihil pacate reſponderetur, paſſimque opinio inualeſceret, Maximilianum Bauarum recta Pragam perrecturum, ipſe contra per anguſta viarum, & pinguis terræ culta, impedimenta bellica morantia, difficili itinere contendit ad Bucquoium Ducem, lætum tanto auxilio. Longe alius ad hoc nuncium apud Bohemos affectus. Collectis enim propere vaſis in Morauiam iter intendunt, ac Droſendorffii obſidionem tanta cum trepidatione ſoluunt, vt partem impedimẽtorum hoſtium prædæ exponerent: nec tutum arbitrabantur vſquam conſiſtere, ſed ſalutem in diuerticulis, & deſultoria militia ponebant, quod valeret ad ducendum tempus, & diſtinendum hoſtem, ne, quod meditabatur, perficeret. Verum explorata techna eſt, & Bohemi, qui trahere Bauarum hoſtem prouide volebant, tracti ſunt ipſi.

Comperto enim, Maximilianum expugnatis caſtris & vrbibus, quæ Imperium Cæſaris exuerant, liberataque Auſtria, iter in Bohemiam capeſſere, ſequi & ipſis viſum, vt vim patriæ inferendam vi repellerent: ſed non tantum illis animi fuit, quantum conſilii. Maximilianus Bauarus,

us, & vna Bucquoius Comes gemino,
mico exercitu,obuias Vrbes aggreſſi,
ſidiis ciuibuſque fruſtra obſiſtenti-
, ferro expugnarunt; ſpectarunt Bo-
ni,& quidem procul. Budna,certe,du-
i foſſa, ac vallo munita, non plus vna
armis Bauaricis ſubacta, præda mili-
ciuibus vita permiſſa. Pragoditium
idum,non admodum munitum, con-
quinque millium aſſultum Bohemi
ſcule defenderant:verum tamen oppi-
ni tandem ſuperati à Bucquoianis co-
s,internecione omnis ordinis & ſexus,
toris clementiam laudare non potue-
nt.Piſca deinde,(aliis Piſſeck,)ſuperio-
anni cladibus triſtis adhuc, ferox ta-
en nouo ciue ac milite, corona vtriuſq;
ercitus,Cæſareani,& Bauarici, cincta,
m Martios animos ſerius ponit,clemẽ-
m Maximiliani Bauariæ Ducis implo-
t,à concitato indignabundoque milite
uaditur, ac miſerabili ſtrage per om-
a compita fœdatur, ita vt nec tecta,
uo confugerat, imbellem turbam texe-
nt, fruſtrà obnitente & Maximiliano
auaro, & ipſo Bucquoio contra milita-
em rabiem ſtricto enſe procurrente.Cæ-
eræ demum Vrbes maluere portas ad in-
randum venientibus aperire, quam clau-
lere; ne claudendo efficerent, vt ne-

mo deinceps ſuorum exiret. Dauſio Clatouioque exceptis, per Maximiliani Duces, quos è Bauaria ad ſe vocarat, ferro & flamma ad obſequium reductis. Tandem Pilſna Vrbe, à Praga totius Regni Vrbe, quam Mansfeldius Dux pro Imperio tunc obtinebat, prætterita: Maximilianus Bauarus Bohemos ad Rachonizium confidentes aſſecutus eſt. Propridie Kalendas Nouembris, anni 1620. cum ſuis & Neapolitana legione comitatus, Bucquoianas copias antecederet, miſit, qui interiacentem ſyluam explorarent; Rebatur enim, quod erat, illam parturire technas. Velitatio igitur cum non improuiſis orta, & dum hinc & hinc ſuis ſuccurritur, ad iuſtam prope pugnam deuentum eſt: etiam magnis tormentis horrendum boantibus: Pulſi à Bauaris Bohemi non ſylua ſolum, ſed colle quoque ſyluæ imminente, non ſine clade: Vt enim altero die ex captiuis intellectum eſt, centeni aliquot cecidere. Baro Teufelius, & ſignum ſupremi Ducis Anhaltini in poteſtatẽ venere. Ex Bauaricis pauci deſiderati, nec magni nominis, præter vnum Aquauiuam, cohortis Neapolitanæ Ducem. Inſequente die Bohemus intra vallum hæſit, certatumque duntaxat eminus tormentis, non ſine grandi periculo

o Maximiliani, Bauariæ Ducis. Voli-
ant enim metuendo ſibilo ſtridentes,
bus patebat, vndique pilæ, ceciditque
atus ſuum, truncatis pedibus, Baro
ggerus. Sed Bauaro diutius non libuit
hemos hoſtes in campis obſidere: ergo
tu proliciendi erant: nec mora, Bohe-
iter, ne Bauarus prior Pragam veniret,
nodum properarunt: neq; Maximilia-
s Bauarus cunctandum exiſtimauit;
ut enim Bohemi feſtinanter tendere
tuerunt, ita Bauarus eorum veſtigia le-
re, extremum agmen carpere, cędere,
igare, commeatum interuertere. Cum
.Id. Novembr. anno 1620. in planicie
ſtructis ordinibus viſendos Bohemos
fendiſſet: Bauarus etiam ſuam aciem o-
endit, pugnaturus quoq;, niſi Bucquo-
s tardius mouiſſet, & imminens nox cō-
ectum ademiſſet. Viſum igitur Bauaro
octu quoq; proficiſci: donec tandem ad
talem vltimiq; certaminis metam per-
entum. Proluſere mox Bauaricæ copiæ,
ohemoſq; ſubmouere; ſed Maximilian⁹
hibuit impetum, Bucquoium expectās.
Hortus eſt, & amplitudine, & amœni-
ate dimidio miliari à Praga celebris: in
o ſylueſtres feræ, venatorum delectu in
oblectamenta Regum coercentur, pone
unc ad ſtellam Palatium Bohemicus
 exer-

exercitus, vt periclitantem Pragam defenderet, colles inſedit, & feſtinata militum opera, inſequentibus Bauaricis copiis vallum obiecit, breue ſolatium imminentis mali. Bauari vbi Bohemos in acie ſtantes conſpicati ſunt, nonnulli de alea iacienda dubitauere, imo prçlium diſſuadere adniſi, quod Bohemis in edito loco procliue eſſet ſubeũtes cædere, ac prçterea aggere, quamuis humiliore, tegerẽtur. Tandem tamen, vbi inter Duces Bauaricos, Maximiliano authore, ſententia tenuit confligendum cum Bohemis, opportunitate collium, quibus fidebant, valèntioribus: Duces alacritate, milites virtute Bohemos exæquauere. Maximilian⁹ v. animo altus, equo conſpicu⁹, ferrum in dextra gerebat, robur in milite videbat, quem in prælium illico immittebat. Tillius Legatus Maximiliani, Bauariæ Ducis (Bucquoium vulnus in curru tenebat) vetus bellator, & Turcorum olim armis notus, Maximiliani imperio inſtructam per aciem equo curſore vſus, canere ſigna iuſſit, & Bohemos magnis animis inuadere. Eodem hortationis genere Tieffenbachius inter Cæſarianos vſus, magnos & ipſe ſpiritus inter certaturos concitauit, ac mox elucente tormentis flamma, cœlum omne ac ſolum mugire, concauæ

valles

les geminatos bombos reddere, miles
ferreos imbres tēdere, p abrupta ſub-
vallum tranſcendere, pedem inferre,
is, tympanis omnia perſtrepere, pu-
ites clamare, morientes fremere, ne-
quam propitia primum victoriæ frō-
Pulſæ n. aliquot equitum Bauarorum
, & peditum ſigna. Cratzius, Nobilis
manus, à Maximiliano quingentis e-
tibus præfectus, Anhaltinum iuniorē,
igrum Principem, in Bauaros infeſti⁹
n nouem equitum alis incumnentem,
etu facto, inuadens, denſatos ordines,
ecto ex equo Duce, perfregit, diſſipa-
fugauit: nec cunctātior aliorum dex-
iut ferrum. Nam pro ſe quiſque Du-
n ingenti molimine connixus, incita-
ohorte ſua, fulminis in morem irruit,
ue acerrime pręliando rem geſſit, nul-
omnino non ſtrenuus. Turbata igitur
num Bohemorum acies, ac mox vni-
ſa pulſa, tanto terrore fugientibus in-
ſo, vti præcipites Hungari montem
xime decliuem, quem otioſus ſuſpēſis
autis veſtigiis periclitari vix auderet,
quam planum equis decurrerēt. Hinc
flumen Moldauum, qua parte vrbis ad
hibendas retinendaſq; in vſum molarū
uas altiſſimi aluei eſt, acti, cum vadum
n haberent, & alius ſuper alium rue-

 ret,

ret, infauſtis vndis hauſti: pars altera multo maxima in Vrbem fuga fertur, atque ad ipſas vſque portas victoris ferro cæditur, ita vt plures fugiendo, quam pugnando ceciderint. Incidit clades illa in diem octauum Nouembris Gregoriani, viceſimum nonum Octobris Iuliani, anno 1620. quo, præſente Rege Friderico, Electore Palatino, Abrahamus Scultetus, (erat enim dies Dominica) in templo arcis vltimam concionem habuit. Finita concione, Rex Fridericus ad campos Martios pernici equo decurrit, ſed dum iter habet, tendentem vltra, mœſtus nuncius inhibet, ac mox cernit ipſe, mixtos equitibus pedites, peditibus equites, turmatim volare, fugere, vrbemque contentiſſimis curſibus petere. Rapitur & ipſe eodem, in arce regia turbata videt omnia: mox ad veſperum in veterem vrbem migrat, & in domo Cõſulis primarii pernoctat: Poſtero die, ſummo mane, Pragę valedixit: & cum Sereniſſima Regina Eliſabetha coniuge, & reliquo comitatu, per Morauiam, Sileſiam, Marchiam Brandeburgicam, in Belgium profectus eſt. Cæteri, qui euaſere, inter quos Chriſtianus Princeps Anhaltinus, Henric. Matthæus Comes Turnius, aliiq; Dynaſtæ, vicinitati vrbis ſalutẽ referre habent. Ferunt in
fuga,

ga, cũ ex minore ciuitatis parte, in ma-
rem turbidiori curſu contenderent, ad-
confertim ſtipaſſe pontem, vt multi e-
i, multi proculcati, multi, quia properã-
ous obſtabant, in profluentem deiecti
t. Atq; hęc eſt nobilis illa pugna Pragẽ-
, qua Bohemi ante hunc diem prope in-
cti, profligati, fracti, & ſubiecti; Bohe-
i illi, inquam, quorum militari ferocia
te ducentos annos, Ziſca Duce, Sigiſ-
undus Imp. totius Imperii viribus ſti-
tus, fuſus & fugatus eſt. Ducenta enim
illia militum tunc Bohemiam ingreſſi,
tidem in Bohemia aut ferro abſumpti,
t pauore pleni, è Bohemia profugi. For-
na Ferdinando Cæſari, & Maximiliano
uaro amicior fuit. Hæc illa eſt pugna
ſepta & carceres ferarum, vbi infauſto
nine caſtra fixere Bohemi, veluti non
multo poſt inſtar ferarum agitandi &
actandi. Hæc denique eſt illa pugna ad
ellam, quam, abhinc biennio, ſtella tre-
endo crine rubens portendebat, vt con-
ret Bohemis, neſciſſe ſe, quid ſtella illa
ænunciaret, ſcire tamen iam, quam ſen-
int. De Cæſareanis & Bauaricis ne du-
nti quidem cecidere, & tum potiſſimũ,
m per ardua hoſtem peterent, plumbea
andine percuſſi. Bohemorum inſignis
ages. Nam ad quinque millia funera

 campos

campos rubefecere, centum ſigna, tormenta omnia, & quidquid caſtrenſiũ rerum fuit, victoribus ceſſere: quingẽti capti loco, ad quem metus impulerat, nẽpe in vicino Palatio, Stella nomine, qꝫ eius ſpeciem gerat. Hic vltima metuentes, tenui munimine tecti, arbitrio inſequentiũ ſe permiſerè; inter illos Princeps Anhalt. iunior, in pugna aduerſis vulnerib. inclytus, Comes Rhenenſis, Comes Schlikius, aliiq; nobilitate, & militari virtute inſignes. Poſtridie pugnæ, Bauarici milites primi agminis, mœnia & arcem Pragenſem conſcendere, ac niſi Maximilianus, Bauariæ Dux, veredo properaſſet, maleficiumq; in ciues vetuiſſet, ciuibus ferro pereundum, prædęq; fuiſſet Praga, opulentiſſima Vrbiũ; in eam quippe totius ꝑpe regni opus congeſtæ erant. Fuit tamen auaro militi etiam ſua rapina: dites regia ſupellectile reſtabant currus: in hos feruntur cohortes, & multa centena millia, ſi aurum, ſi gemmas, ſi res æſtimes, auide diripiunt: atq; ita Sereniſſimus Rex Fridericus, Elector Palatinus, non ſolũ pauculis horis ampliſſimum Regnum, ſed raras quoq;, & ambitas Principibus gazas, militari inſolentia amiſit. Nobile exemplum humanæ ſortis.

Proceres, peditumq; laceræ legiones

veteri

ıteri in vrbe agebant, non præteriti ſo-
m,ſed etiam futuri metu perculſi: & illi
aidem deſperatis auxiliis victoris cle-
entiā pretulerunt: Legionarii deſigna-
loco, vrbe exceſſere, habitoq; colloqo
poteſtatem Cæſaris iere, & à Bucquoio
on pauci inauctorati ſunt. Vndecima
ovemb. die, Praga omnis per tres vrbes
ſperſa, Maximiliano Bauaro, ſupremo
uci, ac Cæſaris partes agenti iurauit, &
rtia dein luce magno numero Regni
rones ac Nobiles, qui aut aulam regiā
quebantur, aut late omnia tenente, ac
tius minante hoſte, metus cauſa eo cō-
gerant, aut Pragæ morabantur, Sacra-
entum dixere.

Rebus igitur in tranquillo iterū conſti-
tis, ac Principe Liechtenſteinio Prore-
in Bohemia relicto, attributa militiæ
rte, Bucquoio reliquiás fugati exerci-
s Bohemici perſequente, Maximilianus
auarus, præſidió equitum ſtipatus, in
auariam, ac demum Monachium, Prin-
pem ſuam ſedem, rediit.

Apud Bohemos vnius prælii ſiue im-
roſperi, ſiue infidi arbitrio tota cauſa
anſacta erat. Nec aliter fit, vbi ſinguli
as tm̄ rationes putāt, nulla cura ad illud
nū, cui⁹ gratia bella gerūt, nec ad hone-
ā q dē famā relata. Occiderat mox vnio,

(id fœderi Proteſtantium Principum nomen) quæ toto vitæ tempore nihil aliud egerat, quam quod funebri epulo ſibi tanquam breui morituræ parētaſſet, Spartani illius dicti, fortaſſis in alium ſenſum, memor: *Prandete ſocii, tanquam cœnaturi apud inferos.*

Mansfeldius interea Tillianas copias inuaſerat, occiſo Baurio militari Tribuno: Bauaris intuta itinera fecit, in terram eorũ hoſtiliter irrupit, Principẽ Leichtẽbergenſẽ, Bauari fiducia nihil hoſtile metuentẽ, Prouincia exuit, atq; ẽt manus iniecit, captiuũ abducens, grauis accola & Bauariæ, & Bohemiæ, in q̃ reditũ parabat. Maximilianus Bauarus vbi aduertit, Bellonam tanto vtero in Bauaria parturire, tuendæ ſalutis cauſa, iuit armatus in Mãſfeldium, & cũ prope circũdediſſet, inuenit Mansfeldius, alter Vlyſſes, technã, qua euaderet. Superiori igitur Palatinatu in Bauari faucibus relicto, inferiorem petiit, & non multo poſt terras alias. Quatuor tũc hoſtes in totidẽ prædas Palatinatũ miſere diſtrahebãt: Hiſpanus, Leopold. Auſtriacus, Epiſc. Spirenſis, & Bauariæ Dux Maximilianus: qui reliquis omnibus infeſtior, per Legatũ ſuum Tillium, Heidelbergã, inferioris Palatinatus metropolin, obſedit, funeſtauit, ſpoliauit, priuatas, publicas opes raptauit, tantum non domos,

s, & quidquid inuidetur, tranſpor-
. Bibliothecam Palatinam, quæ per
n Europam vix parem habebat, trãs
s vſque Pontifici Romano dono mi-
c irreparabile decus non tantum E-
rali Palatinatui, ſed & ſibi, & toti
naniæ ereptum, in montem Vatica-
relegauit. Variis exercitiis vexatæ
iquæ Bibliothecæ, quas multitudo
ılis aut lacerauit, aut diſiecit, aut
mo precio diuendidit: paucæ reli-
int Dominis, nullæ ſine damno.
lem deiecto per vim Friderico, Bo-
æ Rege, anathematis Imperialis ful-
percuſſo, armiſque Hiſpanicis, Au-
is, & Bauaricis, occupata tota Ele-
lis Palatinatus ditione, honor Se-
uiratus Palatini, Cæſaris Imperio,
uariæ Domum migrauit, quem Ma-
ianus Dux in publicis Comitiis Ra-
næ, Anno 1623. militiæ ſuæ præmi-
etulit. Duorum Electorum vota
aduerſa: quatuor aliorum fauere:
luobus illis, Saxo mutata ſententia
lum ſuum adiecit cæteris, quando
milianum Bauariæ Ducem, Colle-
ectoralis ſocium profeſſus, vnicum
leburgicum aliter ſentientem deſe-
Nec modo Maximilianus Bauarus
dignitatem Septemuiralem amba-

bus vlnis amplexus eſt, ſed & Prouinciam ſuperiorem, magnamque partem Inferioris Palatinatus, (ſpreta & calcata omni conſanguinitatis reuerentia) Cæſaris nomine & iuſſu, armis ſuis occupauit, & poſſedit: donec eum legitimus hæres & Dominus Fridericus V. hoc demum Anno 1632. inſtanter reddi mandauit, & cum Deo, ac victricibus armis Sereniſſimi & Inuictiſſimi Regis Sueciæ, Guſtaui Adolphi, Germanicæ libertatis Vindicis acerrimi, bonam iam eius partem, acclamantibus ſubditis, recuperauit: Maximiliano verò, Bauariæ Duci, idem ferè euenit, quod cani Æſopico, qui vmbræ inhians, carnem quoque perdidit. Nam dum aliena affectauit, multa propria in Bauaria iam amiſit.

II. Alter liberorum Gulielmi Bauariæ Ducis, Ferdinandus, Maximiliani frater, Septemuiratum Colonienſem hodie gubernat.

III. Tertius Albertus eſt, cuius filii ſtirpis Bauaricæ propaginem ad poſteros deſpondent.

IV. Philippus, præmaturo fato ſurreptus, Ratiſponæ, vbi Epiſcopum egit, nobili Mauſoléo, fraterno opere, quieſcit.

V. Ca-

. Carolum adoleſcentulum mors a-
alisburgi abſtulit.

I. Mariam Annam, Ferdinando II.
eratori nuptam, quæ diadema iam
ortale conſecuta eſt, habitura &
tale, ſi vixiſſet diutius.

II. Magdalenam, quæ antequam
lphgangi Gulielmi, Comitis Palati-
l Rhenum, Ducis Neoburgenſis, nu-
illigaretur, pronubam habuit Ro-
o-Catholicam religionem, effecit-
, vt vnius nuptiis ipſa Illuſtriſſimo
cipi fieret cõiunx, & Princeps Neo-
ŗicus in Eccleſiæ Romano-Catholi-
ieret amplexus.

DANIELIS PAREI

ꝚISCAE PALATINORVM *Gentis Comites.*

E priſcâ & inclytâ Palatinorum gẽ-
te, hoc quidem tempore vix quic-
n habemus, quorum tota proſapia &
ŗentes nobis incerta & incognita eſt:
ıe magis, quod nec in vna eorum fa-
a hæc dignitas hæreditaria & ſucceſ-
ı erat: Sed Cæſarum arbitrio & be-
cio, Palatina prærogatiua modo

huic,

huic, modo illi, ob eximia merita, aliquando etiam illorum fratribus, fruenda conferebatur. Antiquos illos, & originarios Palatinos Rheni, in Bacharaco, vel in arce Staleckâ ſedem ſuam habuiſſe, & in inferioribus Rheni partibus longè lateque imperaſſe, pluribus demonſtrat Vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus, in ſuis Palatinarum Originum Commentariis. Heidelbergam, ſedem hodie Sereniſſimorum Electorum Palatinorum, & Metropoſin Inferioris Palatinatus, quis primus condiderit, & an Palatinus aliquis fuerit, vel qua ratione deinceps oppidum in ius Palatinum peruenerit, non ſatis liquet. Illud nemo negatum ibit, Conradum, Palatinum, Friderici I. Barbaroſſæ Imperatoris fratrem ὁμοπάτριον, & ab eo Palatinatu Rheni, Goslariæ in conuentu Principum, Anno Domini 1154. donatum, Aduocatum Monaſterii Laurishamenſis fuiſſe, Heidelbergam aliquando inhabitaſſe & excoluiſſe, mortuum circa annum 1192. ſepultum ad vnum ab Heidelberga lapidem, in cœnobio Schönavv, quod Anno 1142. Bugo Wormatiæ præſul extruxerat. Cuius tale ibi Monumentum, (quod nunc ſublatum ex oculis fruſtra requiritur) extitiſſe tradunt:

ANNO

). DOMINICE. INCARNATIONIS.
II. VI. IDVS. NOVEMBR. OBIIT.
TRIS. PRINCEPS. DOMINVS.
ADVS. COMES. PALATINVS.
I. DVX. SVEVIÆ. COMES. IN.
NO. PONTE. GERMANVS. FRIDE-
RICI.
AROSSÆ. IMPERATORIS.

quo apparet, Heidelbergam quo-
o ſæculo cum vicino tractu habita-
t poſſeſſam fuiſſe. Conſtat etiam,
elbergam eo æuo ciuitatem, ſiue
ım, anguſto admodum corpore fu-
ıec pomæria, aut ſuburbia magna
iſſe, donec anno Domini 1392. Ru-
ſeniori Palatino viſum eſt, prædi-
Burgum ita amplificare, vt proxi-
liacentem villam Bergeheim, quæ
inferius ad ſiniſtram Nicri ripam
inde à Carolinis temporibus exta-
cum ſuburbio (hodie Spirenſe voca-
quod ea exeatur Spiram) coniunge-
& *Nouam Ciuitatem* eam appellaret:
as fuſius docebimus. Conradus au-
, Comes Palatinus Rheni Elector,
Sueuorum, Friderici Barbaroſſæ
r, maſcula prole orbus, reliquit fi-
vnicam Agnetem, quæ Palatinatum
nanum ad Domum Guelphicam at-
, nupta Henrico, Duci Brunſuicen-
ſi, &

ſi, & Electori Palatino ad Rhenum, Henrici Leonis, Bauariæ & Saxoniæ Duci potentiſſimi filio, Othonis IV. Regis Romanorum fratri Iuniori.

Henricus igitur hic Iunior, Dux Brunſuicenſis, per matrimonium Agnetis factus Elector Palatinus ad Rhenum, priſcæ familiæ vltimus, præclarus genere, nobilis virtute, ſpecioſus forma, validus corpore, non tantum Imperatoris Henrici VI. gratiam, ſed & omnem dignitatem Soceri ſui Conradi Palatini, de manu Imperatoris ſuſcepit iure beneficiario: quippe quod ad diſpenſationem Imperatoris pertinebat. Palatinatus enim Rheni fuit è feudis Imperii non infimis. Princeps fuit verè Magnus, & in quo omnia eximia, regia, heroica, agnoſcamus, quacunque parte eum intueamur. Pater eius Henricus Leo, Dux Bauariæ & Saxoniæ, quem vel nominaſſe, ſatis elogii eſt. Mater Mechtildis, Henrici II. Angliæ Regis filia, ſoror Richardi Cornubiæ Comitis, qui & ipſe poſtea Romanorum Rex electus fuit. Fratres: Otho IV. Romanorum Rex, cui poſtea nupta Beatrix, Philippi Antiregis filia, ex Irenæ Imp. Conſtantinopolitani filia: & Wilhelmus, Dux Brunſuicenſis, & Luneburgenſis, cui nupta Helena, ſoror Canuti

Regis

Daniæ, è quibus natus Dux Otho,
hodierni Duces Brunſuicenſes &
burgenſes recta ſerie deſcendunt.
huius Henrici, Electoris Palatini,
Saxoniæ fuit, quam cum fratre O-
e Cæſare in partes propemodum æ-
diuiſit: per connubium adeptus Pa-
tum Rheni, in quo Bacharacum,
ocatiam Treuirenſem, Pallentias,
elbergam. Iuuenis inter belli ſacri
s, quod Henrici VI. Imp. auſpiciis
ptum fuit, enituit, circa annum Do-
1197. Berytum vi cepit, & circa
en aliquot millia Turcarum fudit:
acto, Henrici VI. Imperatoris gra-
ſingularem emeruit. Mortuo Hen-
VI. Cæſare, domum cum ſociis pro-
us reuerſus, Othonis IV. fratris ele-
iem ſuffragio ſuo adiuuit: ſub quo
a Vicariatum Imperii geſſit. Senior
rinationem ſuſcepit in Syriam, &
ſtinam. Addit Irenicus, Henricum
, Palatinorum de vera linea vlti-
, dum neſcit, an Terram Sanctam,
iud orbis iter tentare voluerit, nau-
o obiiſſe. Marquardus Freherus,
ſiliarius Archipalatinus benemeren-
nus, ſcribit, eum mortuum An. 1213.
enauiæ ſepultum eſſe, hoc olim in-
tione loquente:

Anno.

ANNO. ....KAL.MAII.OBIIT.ILLVSTRIS.
PRINCEPS.DOMINVS.HENRICVS.COMES.
PALATINVS: RHENI.DVX.SAXONIÆ.
SVPRADICTI: CONRADI.EX.FILIA.
NEPOS.

Quod erroneum eſſe putat Freherus, niſi gener Conradi Palatini intelligatur. Cuius & aliud dicitur ibi extitiſſe elogium, è quo hæc modo ſuperſint.

PRINCEPS.MAGNANIMVS.COMES.AVLÆ.GLORIA.RHENI.
IVNIOR: HEMRICVS.. .. ...

Filiam reliquit vnicam, ſiue Gertruden, (vt Irenicus, Nauclerus, & Trithemius nominant) ſiue Agnetem, (vt rectiꝰ Auentinus, & Diplomata) quâ Othoni, Ludouici Bauariæ Ducis Filio, Othonis Palatini Wittelspachii, Comitis Schirenſis, Nepoti deſponſata, Palatinatus Rheni, & Ducatus Bauariæ in vnum coaluit.

Otho cognomento Illuſtris, Palatinus Rheni Septemuir, Dux vtriuſque Bauariæ, ex verâ & legitimâ, antiquiſſimâ item & nobiliſſimâ Bauariæ Ducum ſtirpe profectus: Auum habuit Othonem Wittelſpachium, cognomento Maiorē, qui Anno Domini 1180. Reginoburgi in Comitiis, Proceribus atque Ordinibus Im-

i ſuffragantibus, Henrico Leone,
æ & Saxoniæ Duce potentiſſimo,
i vltimi illius priſcæ familiæ pala-
re, læſæ Maieſtatis condemnato,
am, (quæ etiam à maioribus ſuis
im poſſeſſa & adminiſtrata fuit)
ſua, & Friderici Barbaroſſæ bene-
a recuperauit. Patrem Ludoui-
)ucatu Bauariæ, aliiſque feudis à
ico II. Imp. inueſtitum: auctore
enſi. Anno Chriſti 1215 (vt no-
entinus) felix illud & auſpicatum
bium iniit, cum Henrici vltimi
ni Rheni filia vnica, non Gertrude,
ithemius, Irenicus, & Nauclerus
t) ſed Agnete, (vt rectius Auenti-
fide Archiuorum conſtat) & Pa-
um Rheni dotalem, atque adeo
ſiuum, Ducatui Bauariæ patrimo-
nſigni acceſſione coniunxit. Hoc
e in vnum coierunt Illuſtriſſimæ il-
æ Domus, & ampliſſimi nobiliſſi-
e totius Germaniæ Principatus, Ba-
& Palatinatus Rheni: vel potius Pa-
tus & Bauaria. Nam (quod notan-
Palatinum nomen præponere, & i-
ſucceſſores eius ſolebant Ducatui,
nt in hodiernum vſque diem: quod
inatui ſui natura Electoria digni-
iuſque ſequelæ, Vicariatus, & Ar-
chi-

chidapiferia annexa ſit: qua vna prærogatiua cæteros omnes Principes ſiue de Domo Bauarica, ſiue alia, Palatinatus hic Rhenenſis longe antecellit.

Eo igitur tempore Otho Boiaricus, ducta filia Henrici vltimi Palatini, Principatum eius obtinuit (vt loquuntur Annales) id eſt, non tantum inferiora illa, Comitatum Stalecke, Bacharacum, Cubam, pagumque Meinefeld, & quidquid in Ripuariis, Bructeris, Vbiis & Sicambris (vbi hodie Ducatus Iuliacenſis & Montenſis) ad ius Palatinum pertinuit: ſed etiam ſuperiora hæc, Heidelbergam, & vicina ipſius, hæreditariè poſſedit. De qua ditione, quia (nec ſat ſcit Freherus, qua origine) ab Eccleſia Wormatienſe feudali titulo recognoſcebatur, ab Henrico Epiſcopo Wormatienſe de nouo Inueſtituram accepit, Anno 1225. quam Freherus in Originibus Palatinis exhibuit, part. 1. cap. 10. Auentinus tamen ſcribit, iam antea Ludouicum, prædictũ Bauariæ Ducem, beneficio Cæſaris Friderici II. Rhenanum Ducatum accepiſſe; & poſtea demum Agnen, filiam Henrici Palatini, dudum abſque liberis maribus defuncti, filio ſuo Othoni deſponſaſſe. Quod vndecunque habuerit, reperitur certè, illum ipſum Ludouicum, Ba-

uariæ

Ducem, totis ſex ante prædictam
del berga inueſtituram annis, à Fri-
II. Cæſare Palatinum Rheni vo-
uod Diploma edidit Marquardus
us in ſuis originibus Palatinis. par.
17.

itaque ſiue connubio, ſiue Cæſa-
eficio, cum Palatinatu Rhenano
lectoria dignitas ad familiam Ba-
m peruenit. De quo extant vete-
ſiculi, ad imaginem eius Othonis,
ici filii, in aulæ Heidelbergenſis
lo maiori adſcripti, quos etiam
erus dignos inſeri commentariis
icauit:

der erſt Pfalzgraff bey Rhein/
Pfalzgraff Heinrichs Töchter-
lein/
Mannheit ers alſo erfecht/
Reichs Chur blieb ſeinem Ge-
ſchlecht.

tunc inſignia gentilitia, & arma pi-
iuſque Domus, Palatinæ & Baua-
no in ſcuto ſiue vmbone coalue-
quæ prius diſtincta erant, vt Leo
tus in campo nigro Palatinæ; te-
decuſſatim albo cæruleoque colo-
egatum, Bauaricæ familiæ deigma
ſiue

ſiue decorum eſſet. Poſſet etiam de admirabili fortunę proſperitate, qua fauente Palatina Domus, poſt illam cum Bauarica coniunctionem, in tractu Rhenenſi dominationis ſuæ fines protulit, longe texi commemoratio. Nam non in ſolo pago Lobodunenſe Heidelbergenſem Cometiam, & Bacharacum, cum adiacentiis inſedit: ſed vicinos pleroſque pagos, hinc Nicrinum ſiue Neckergovve vſque ad Cochengovve, atque adeo vltra: inde vero Rhenenſem, ipſamq; Stratam montanam, & nemus Ottonicum, Chreichgovve, pagumque Spirenſem, & Wormatienſem ferè totum, vſq; ad Nauenſem, quin & Waſagi Syluæ, Ripuariique Ducatus magnam partem, perpetuis ſucceſſibus occupauit. Multos præterea Comitatus integros, vt Simmerenſem, Veldenſem, Gemini-pontis, Spanheimenſem anteriorem & poſteriorem, & Lutzelſteinenſem, alioſque, diuerſis titulis, modiſque legitimis adquiſiuit, & Palatinatui incorporauit. Complures Reguli, Comites, Barones, Milites, ingenui defenſionis & patrocinii ergo, ſe ſuaque in Palatinorum fidem vltro propria ſponte dediderunt. Quæ omnia ſigillatim exſequi eſſet infinitum: nec huius loci. Sed hiſce ſucceſſibus maius longè, & potius

adhuc

ic Dei beneficium æſtimandum eſt,
l Eccleſiæ hoſpitium, Iuſtitiæ offici-
, Scholarum nutriciam Palatinatum
eoque merito celebre per orbem no-
habere voluit. Quod beneficium in
erum faciat nobis eſſe ſolidum & per-
im, ille ſolus perpetuus, & vnicus
riorum principatuumque ſtator, &
r Deus!
latinorum Comitum nomen, (in-
Hubertus Thomas Leodius) ab iis
iſſe initium, qui ex præclara aliqua
a orti, Palatiumque Principis Ro-
id eſt, eius regiam, & (vt nunc vo-
Aulam comitati ſunt, originemq;
e, nemo, qui paulò vetuſtiores li-
erlegerit, dubitare debet: vehe-
rq; eos errare putat Hubertus Leo-
ui ab vno Palatio, vel Treuerenſi,
o, quod eſt in medio Rheni apud
, aut alio quopiam, nomenclatu-
anc Comites Palatinos adſecutos,
dere conantur. Verum Principes
ni quum animaduerterent Imperii
tionem, & veteres illuſtrium vi-
in prouinciis familiæ, vel pauper-
eſſæ, vel quod conſpicerent hono-
virtutis præmia ad ſe rarò, ſed ad
omanos deferri, domi ſe contine-
eque Principem ſequi, niſi coacti

 & in-

& inuiti vellent: quapropter & Palatium deſolabatur hominum frequentia, & periculum erat, ne ſpreti & derelicti domi præclarorum virorum filii in nomen Romanum aliquando conſpirarent; quod ſæpe factum facile doceri exemplis poſſet. Hinc ergo prudentes Imperatores, vt huic malo mederentur, credibile eſt, excogitaſſe & aperuiſſe prouincialibus hanc viam, qua ſibi iter ad honores, ad præmia & prouincias regendas pateret, ſi ſe Palatiumque comitarentur. Quod qui paulò diutius feciſſet, Principique in expeditionibus Comes fuiſſet, merebatur Comes Palatii appellari, hocque nomine honorari: cui & Princeps negotia ſui Palatii, hoc eſt (vt nunc aiunt) aulæ, & quæcunque per negotia non poterat ipſe, expedienda & tractanda committebat: quibus ſi ſtrenuè præfuiſſet, etiam prouinciæ regendæ adſignabatur, vt in multis Codicis Iuſtiniani conſtitutionibus patet.

Principes igitur Palatini (iuxta mentem Leodii) non ab aliquo particulari palatio, ſed à Principis Romani Palatio, ſiue æde, quocunque locorum foret, vere appellari. Magnam autem fuiſſe Palatinorum auctoritatem, dignitatem, & priuilegia, ex legibus colligitur, quas tulit

Con-

ſtantinus Imperator, & Gratianus,
alentinianus, & Theodoſius: Tit.
*riuilegiis eorum, qui in ſacro palatio mi-
t.*

onga deinde ſerie translato in perſo-
Caroli Magni Imperio, Comitum
tinorum dignitas & auctoritas non
n remanſit, ſed etiam aucta eſt. Vn-
ud Blauiam in Xantonibus ſuper
ndi ſepulchrum ſcriptum eſt, illum
e, *primum Comitem Palatinum*, quod
tan plures eſſent in aula Imperatoris.
autem is Rolandus Caroli Magni ex
e nepos: Dux magnanimus, qui
ſocio Oliuerio aliiſque quampluri-
egregiis viris contra Hiſpanos, tum
eles, fortiter pugnando in iugis mō-
yrenæi, qua parte Ronciuallis appel-
, ſiti & vulneribus confectus occu-
De eo multa fabulantur Francorum
les. Carolum autem Magnum, &
Rolandum, hodierni Comites Pa-
i ad Rhenum, vera linea attingere
ntur.

erunt & ante Rolandum multi Co-
s Palatii apud Franciæ Reges, quos
ngua *Magiſtros Curiæ*, & *Præfectos Pa-*
vocabant: veluti Pipinus Maior, pa-
aroli Martelli, qui genuit Pipinum
em, ſeu Puſillum, ex quo genitus eſt

Carolus Magnus Imperator, à quo deſcenderũt Comites Palatini ad Rhenum. Quod vt liquido appareat, neceſſarium eſt ſcire, (inquit Hubertus Leodius) Pipinos, & omnes Caroli Magni maiores ex Francis Germanis ortos, & ad Rhenum ac Moſam tum ſedes poſuiſſe, quum primum Franci in Galliam tranſmiſſo Rheno venerunt. Ex primoribus autem illorum fuiſſe, certum eſt indicium, quod apud Reges Francorum ſupremas ſemper dignitates adepti ſunt, atque curiæ præfecti, primarii gubernatores, Vicarii, Maioreſque Domus, h. e. Palatii Comites fuerunt, ad Regale poſtmodum faſtigium peruenere. Poſtmodum Carolus Magnus, Aquiſgranum, Duriam, Tulbiacum, aliaque vicina loca, vtpote patrimonialia libenter incoluit. Sed non ſolum tractum totum ad Moſam, & circa Leodium Pipini Comites Palatini poſſederunt, verum & totum Iuliacenſem, Cliuenſem, & Bergenſem: totamque inſuper Brabantiam, Marchionatum Antvverpienſem, & deinde ripam vtramque Rheni ab exitu illius in Oceanum, vſque ad Argentoratum fermè tenuerunt. Quod ita probat Hubertus Thomas Leodius.

Initium ſumit à Cancore, illuſtri Rhe-

nenſis

ıſis pagi Comite, qui ſub Pipino pri-
circa Wormatiam, & Heidelbergam
gè lateque regnaſſe dicitur. Cuius
ter Williſvvinda, vidua Roberti Co-
is, vxor verò Angila nominabatur.
ıdauit autem hic Anno Domini 764.
gni pipini Anno XII. Monaſterium
ireshamenſe, hodiè Lorſch / quatuor
Heidelberga diſtans milliaribus, ſu-
fluuium tunc temporis Wiſgoz, nunc
Weſchniz nuncupatum: qui ortus
Ottonica ſylua, iuxta oppidum Wein-
nè montibus erumpit, & apud Stei-
caſtrum infra Wormatiam Rheno
cetur. Habuit verò Cancor filium
mericum, & fratrem nomine Turinc-
um. Turincbertus verò filium Rut-
um, qui omnes dictum Monaſteri-
vehementer locupletarunt. Donaue-
enim Cancor & Angila monaſterio
leſiam in Scarra cum ſuis appenditiis:
prædium admodum diues circa Mo-
tiam, & villam Hagenheim cum o-
integritate in pago Wormatienſi ſu-
fluuium Saluſiam; item Birſtat pa-
è regione Wormatiæ, ne quis pu-
eos non fuiſſe potentes & diuites.
uit etiam Cancor conſanguineum
gangum, Metenſis Eccleſiæ Archie-
opum, cui monaſterium iuſtituen-

dum commendarunt, nullius Epiſcopii vel Eccleſiæ iuri aut Dominio ſubiicientes: qui quidem Eccleſiaſticis & regalibus occupatus negotiis, fratri ſuo Gundelando Laureshaim commiſit: & ita ſecundus Abbas factus eſt. Idem Rutgangus Gorzienſe monaſterium tribus à Menſi vrbe miliaribus fundaſſe ſcribitur: quæ monaſteria Pipinus poſtmodū ſumptuoſis auxit ædificiis. Quapropter & *Fundator* aliquando nuncupatur Hæc ex antiquiſſimo libro eruit Hubertus Thomas Leodius, in quo & literæ Caroli Magni continentur, memorantes: *Heppenheim oppidulum eſſe ſitum in pago, & Comitatu Rhenenſi.* Et hinc facilis coniectura, Comites Palatinos ad Rhenum eo tempore nuncupatos, & ex Pipinorum profapia ortos eſſe. Quandoquidem Cancori ſucceſſiſſe poſtmodum Carolum Magnum facilè colligitur, vt qui filiam ſuam Immam de bonis in eodem pago Rhenenſi iacentibus, poſtquam Secretario ſuo Eginhardo nupſit, dotauit. Qua de re videatur Iuſtus Lipſius, in Monitis Politicis, lib. I. cap. 12. Monaſterio Lauriſheimenſi Eginhardus Michlenſtadt teſtamento reliquit, reſeruata tamen ſibi, donec viueret, & ſuis hæredibus poſſeſſione, qua adhuc fruuntur Illuſtres Comites

es Erpacenſes: qui ab Eginhardo il-
Caroli Magni genero, originem ſe
ere arbitrantur. Multa præterea alia
nites palatinos ad Rhenum & ad Mæ-
n iuxta Wormatiam circa eiuſdem
oli Magni tempora poſſediſſe, ſcribit
bertus Leodius.
'ræterea certum eſt, pipinos palati-
(à quibus palatinos veteres, Franco-
ſanguine deſcendere, extra dubita-
nem ferè habetur) totam Brabantiam
ediſſe, atque ipſam Arduennam Syl-
n, præſertim vbi Rhenum attingit, &
us Palatinatus, die alte Pfaltz / etiam-
n hodie appellatur: qui fuit ampliſſi-
s, etiam ſi ea, quæ ſunt adhuc iuris
tini duntaxat adnumerentur, h. e.
in feudum à palatinis hodie accipi-
ur: videlicet quidquid ferè eſt inter
nfluentes & Andernacum, totus Co-
atus de Virnenberg, & Nuenar, de
da, de Seinis, de Manderſchid, potiſ-
a ferè pars Ducatus Iuliacenſis, in quo
tinus (cuius nomen non occurrit)
naſterium poſtmodum ædificauit,
nomen Bruvveiler, vno à Colonia A-
ppina diſtans miliari. Et Ezelinus,
mes palatinus Rheni, frater Sanctæ
nigundis, Eccleſiam in Keyſerſvverd
a eandem Coloniam conſtruxit: quæ

omnia cum tota Lotharingia Eberhardus & Geiſelbertus, qui ex poſteritate Caroli Magni, & Comites Palatini fuerunt, ſub Othone I. poſſidebāt, ſub quibus Leodium, Caprimons, Traiectum, Iopilla, Regia Pipinorum, è regione Heriſtalli, dimidio milliari ab Vrbe Leodio: Marſna, Litta, pleraque alia continebantur. Godefridus, Comes Palatinus Rheni ſeptem principalia beneficia, quæ vulgò appellantur *Vahnlehen*, morte ſeptem nobiliſſimorum Eccleſiæ Laureshamenſis fidelium, obtinuit à Bennone Abbate: & ad generum illius Welephonem peruenerunt ſub Henrico IV. Fuerunt Fridericus, & Sigefridus Comites Palatini ad Rhenum, ſub Henrico III. Imp. Sigefridus hic poſt mortem Henrici, Comitis Palatini Rheni, & Domini de Lacu, ſucceſſit ei in Comitatu Palatii. Fuit & in hoc veteri Palatinatu Princeps Gulielmus, Comes quoque Palatinus, qui ſepultus eſt in Sprenckershach: quorum omnium Epitaphia leguntur in Lacenſi Monaſterio, quod ab Andernaco vno, à Confluente tribus diſtat miliaribus.

Decantatus etiam eſt Hermannus, Comes Palatinus, *cuius erat tumido tellus circumflua Rheno.* Is litem egit cum Arnoldo Præſule Moguntino, ſub iudice Friderico

rico I. Barbaroſſa Imp. à quo Herman-
ns pacifragii reus peractus, quod ſe in I-
lia abſente pacem publicam Imperii
rbare, & motus bellicos ciere auſus eſ-
, ignominiæ publicæ pœnam, & canem
iræ Nemetum ferre coactus eſt, Anno
mini 1156. Quippe, vt cecinit Gun-
erus Hiſtorico-Poeta, Ligurinus, lib.
v. 194. & ſeqq.

Vetus mos eſt, vti ſi quis Rege remoto,
nguine vel flamma, vel ſeditionis aperta
rbine, ſeu crebris Regnum vexare rapinis
deat, ante grauem quam fuſo ſanguine pœnam
cipiat, ſi liber erit, de more vetuſto
poſitum ſcapulis ad contigui Comitatus
atur per rura canem confinia ferre;
alius, ſellam. Cuius diſpendia pœna
Palatinæ cuſtos celeberrimus aulæ
n potuit vitare Comes, cunctiſque videndus
tauit ſcapulis paſſus plus mille latrantem.
ne quoque tunc alij ſimili pro crimine pœnam
tinuere decem Comites, totidemque conſcii
la tulere canes generoſo pondera collo.
us inaudita pœna timor altus in omnes
cit: vt nullus Procerum præſumeret vltra

Armata certare manu, ſed pace ſequeſtra
Iudicis arbitrio ſua quiſque repoſceret æqui.

Ex parte prædicti Hermanni Palatini canes itidem portarunt, Emicho Comes de Leiningen, & Gotfridus de Spanheim, Henricus de Katzenelenbogen, Conradus Comes de Kirchberg, Henricus Comes de Didiſſen, & alii. Hermannum hunc Palatinum Crantzius lib. VI. capit. 41. ait fratrem fuiſſe Ludouici Thuringiæ Landgrauii, vnde & Haſſiæ Princeps à quibuſdam dicitur, cui vxor fuit Gertrudis, filia Conradi Marchionis Miſnenſis.

Non ſolùm autem ſuprema Comitum Palatinorum dignitas apud Pipinos, & Caroli Magni poſteritatem permanſit: (inquit iterum Hubertus Thomas Leodius) verum etiam Vicariatus ſublimitas etiamnum hodie perdurat: quæ ferè eadem eſt. Vt enim præſens Imperator Comiti Palatino negotia diſponenda permittebat: ita abſens omnia committebat, viceſque ſuas prorſum commendabat. Quapropter inde effectum eſt, ſi contingat Imperatorem trans Alpes aut Pyræneos montes commigrare, vt illicò quidquid eſt rerum Imperialium citra montes, ad Comitis Palatini curam pertineat: & Vicarius Imperii appelletur:

mortuo

ortuo vero Imperatore,&alio nondum
ectoaut ſuffecto, Comes Palatinus ad
henum, & ea, quæ ſunt Iuris Sueuici &
anconici, cauſa & ratione Palatinatus,
igula quæque adminiſtrat, & diſponit.
: quod magis eſt, tanta etiam eſt, & ſem-
er fuit Comitum Palatinorum excellen-
a, vt Imperialis Maieſtas, ſi qua contro-
erſia illi cum quopiam exiſtat, ſub Co-
ite Palatino iudicium ſubeat, vt aperte
ulla Aurea Caroli IV. Imp. declarat. Et
inc factum nemo dubitet, quum de cō-
ituendis Principibus Electoribus age-
tur, primas partes Comiti Palatino at-
ibutas, vt excellētiſſimo ex Caroli Ma-
ni progenie Principi: quas poſtmodum
lem Carolus IV. Bohemiæ Regi adſcri-
ſit, & aſſignauit, volens conſulere poſte-
tati ſuæ. Tanta autem ſemper apud ve-
eres Comitum Palatinorum ratio, honor
t reuerentia habita fuit, vt mortuo Hen-
ico Comite Palatino Rheni, Henr. Leo-
is filio, vnica relicta filia, quam Otho
Dux Bauariæ, & Comes à Scheyrn in V-
orem duxit, Comitis Palatini titulo is
lector habitus ſit, licet vtrunq; Princi-
atum poſſideret. Atq; hæc hactenus de
riſcis illis Comitibus Palatinis, ex Hu-
erti Thomæ Leodii Annalibus breuiter
elibauimus. De gentis enim & dignita-

tis Palatinæ primordiis plura mihi tacenda ſunt, quam dicẽda: niſi velim poſt Nobiliſſimum Virum, Marquardum Freherum, Iliadas condere, quod mei hoc loco inſtituti non eſt.

Singulari volumine Freherus iſta edidit, vt proinde non operæ ſit actum agere, cum liber in promptu ſit, & omnium manibus teratur. Animus meus eſt, vitas eorum potiſſimum Principũ compendio deſcribere, qui poſt illam Palatinæ & Bauaricæ familiæ coniunctionem, rerum in Electoratu Palatino potiti ſunt.

ELECTORES PALATINI AD RHENVM.

Ex familia VVittelſpachia, ſeu Bauarica.

I. OTHO ILLVSTRIS.

OTho, cognomento Illuſtris, Ludouici Bauariæ Ducis filius, Othonis Wittelſpachii Nepos, Comes palatinus Rheni, primus Elector ex hac familia, à Friderico II. Imper. præfecturam palatii Rhenani accepit: poſteaquam vxorem duxit Agnetem, filiam Henrici vltimi Comitis palatini Rheni. poſtea tamen à Gregorio IX. Pontifice Romano ingentibus illectus muneribus in Fridericum II. Cæſarem conſpirauit. Quapropter

r in conuentu Egrano, anno Chriſti
2 8. perduellionis, & læſæ Maieſtatis
uſatus eſt. Verum is nec minis, pœna-
nve & periculorũ imminentium denũ-
tione abſtrahi ante à Pontificibus Ro-
nis potuit, quam & Pontificiæ impo-
ræ, & fictæ in Fridericum II. Imp. cri-
nationes detectæ fuerunt: vt prolixius
ponit Auentinus. Poſtea autem cogni-
Pontificum Romanorum fraude, cum
nperatore Friderico II. & Cæſare Con-
do in gratiam rediit, eoſque ſumma &
rpetua fide, atq; obſequiis proſecutus
t. Ideoque ab Innocentio IV. Pontifice,
Epiſcopis quibuſdam, præſertim Re-
noburgenſi Alberto, Conrado Friſin-
nſi, Philippo Iuuauenſi, excommuni-
tus, Sacerdotibus & Monachis multa
mna intulit. Henricum Romanorum
egem, qui aduerſus Patrem Fridericum
. Imp. criſtas erigebat, Heidelbergæ in
ſtodia detinuit: qui poſtea in Apuliam
ocatus, à Patre Friderico II. & in vincu-
s maceratus, vitam miſerabiliter fini-
t.

Poſteaquam vero Otho, Palatinus E-
ctor, vtrumque filium, Ludouicum Se-
erum, & Henricum, Oetingæ, maiorum
ore, armis exornaſſet, Henrico in Hun-
ariam miſſo, ipſe cum Ludouico filio,

natu maiore, Landshutam repetiit, vbi cum tertium diem ante Kal. Decembris, cum vxore, & liberis, hilarem traduxiſſet, noctu ſubito exſpirauit, anno Dom. 1253. ſepultus in cœnobio Schirenſi.

Ab hoc Othone, Bauariæ Duce, qui Princeps per connubium Electuram Palatinam in gentem Bauaricam intulit, oēs inſequentes Palatini Electores in hūc vſque diem ordine deſcendunt. Reliquit ex Agnete vxore, duos filios, Ludouicum Seuerum, & Henricum, qui Bauariam diuiſere in Superiorem & Inferiorem: cum antea inaudita fuiſſent hæc nomina. Reliquit etiam duas filias: Eliſabetham, quæ Conrado IV. Cæſari, & Regi Hieroſolymorum elocata, poſt eius mortem ſecundis nuptiis iuncta fuit Meinhardo Comiti Goriciæ, magni animi fœmina, denata anno Domini 1270. Alteram Sophiam, ſingularis ſapientiæ ac pulchritudinis virginem, à fratribus Gebhardo Hirſpergenſium Comiti deſponſatam: ex qua natus Gebhardus ab Hirſperg, vltimus laudatiſſimæ ſuæ gentis, qui & auitam arcem, ac totum Comitatum Hirſpergenſem, obtulit Eccleſiæ Aychſtadianæ. Mortuus in arce Hirſpergenſi, ex qua Rebdorffium auectus, ibi in media Eccleſia honorifice

ſice tumulatus eſt. ANNO DOMINI 1305.

II. LVDOVICVS SEVERVS.

Ludouicus cognomento Seuerus, aliis Senior, dictus, (natus ex Othone Illuſtri, vtriuſque Bauariæ Duce, & Agnete, Henrici Saxonis, & vltimi Palatini filia, quæ Palatinatum Rheni Othoni attulit:) Patri defuncto in Electoratu Palatino ſucceſſit, anno Domini 1253. ætatis ſuæ 24. familiæ Wittelsbachiæ ſecundus Archidapifer Imperii. Is maxima fuit cum apud ipſos Cæſares, tum ſummos Imperii Proceres authoritate. In diuiſione Bauariæ cum fratre Henrico obtinuit ſuperiorem Bauariam, cuius vrbes primariæ ſunt: Monachium, Waſſerburgùm, Ingolſtadium, vna cum Præfectura Ratiſponenſi.

Præter parem Bauariæ partem, Palatinatum inſuper Rhenanum, iure quodam ſingulari præcipuum habebat, & huius priuilegio Electoratum, vtrumq; feudum inſigne Imperii, & iure tali fundatum. Etſi enim Henricum fratrem, eiuſq; procuratores, ab electionis vſu, in creando & Richardo & Rudolpho Regibus, non remouit, aut excluſit: ipſe tamen propter

præro-

prærogatiuam ætatis, & Palatinatus poſſeſſionem, de iure verus & primarius Elector fuit, collatiſque in ſeſe cæterorum Electorum ſuffragiis, Rudolphum Habſpurgenſem Comitem in Romanorum Regem ſolemniter elegit. Et hæc eſt nobilis illa electio, de qua præter alios ita eleganter ſcribit delitium illud Muſarum, Iuſtus Lipſius in Præfat. Poliorcet. *Huic Ludouico,* (inquit) *cognomine Seuero, duo peculiaria, & rara ad laudem fuerunt. Prius, quod in ea dignitate probitas & ſapientia eius pariter ſic enituit, vt in caligine ſumma temporum, & deſperatione Germaniæ, ſolus à Collegis ius acceperit legendi Imperatoris, & per eum res labentes aut lapſas reſtituẽdi. Fecit, prudentius neſcio, an felicius, cum eius voce ac renunciatioue Rudolphus primus ex Habſpurgenſi Comite ſceptra Imperii ſuſcepit, & fataliter deinde ad poſteros tranſmiſit. Alterum, quod eadem prouidentia rebus ſuis & genti priuatum decus intulit, ducta in vxorem Mechtilde, eiuſdem Rudolphi filia, è qua mixtione, & velut inſitione, omnes iſtæ ſtirpes Palatinorum & Boiorum Principum fruticarunt.*

Idem Ludouicus Seuerus, Elector Palatinus, caſtrum Fridburgum, pro defenſione Ducatus Bauariæ, contra Epiſcopum Auguſtanum, à fundamentis condi-

dit.

dit. Anno 1261. aduerſus Mareſchallos Pappenheimios arma mouit: Weiſſenburgum, Nariſcorum Vrbem, cepit, diruit, exuſſit.

Poſt mortem Rudolphi Habsſpurgenſis Imperatoris, fundatoris Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, deliberatio de ſucceſſore inſtituta fuit Francofurti Kal. Maii, anno 1292. In ea Moguntinus Elector, Gerhardus ab Eppenſtein, cum Collegis fraude ademptum ius ſuffragandi in ſeſe omne tranſtuliſſet, vno Ludouico Seuero, Septemuiro Palatino aduerſante, qui inclinabat ad Albertum Auſtriacum, Rudolphi filium: præter omnium ſpem & expectationem, Imperatorem renunciauit Adolphum Comitem Naſſouienſem, ob nobilitatem quidem generis, & editum bellicæ virtutis ſub Rudolpho Imp. ſpecimen, non indignum Imperio: ſed ad cætera imparem prorſus: quod alio nullo conſilio factum eſſe docuit euentus, niſi vt Moguntinus, & cæterorum è ſacro ordine Collegarum conſiliis res Imperii adminiſtrarentur. Totus enim ex Epiſcopis Adolphus Naſſouius pependit, ita vt ne hiſceret quidem, niſi ad illorum oſcitationes. Odium ex incitatione horum Adolphus Naſſouius Imp. in Ludouicum Seuerum Electorem Palatinum tam hoſtile

ſtile concepit, vt hic dum in viuis eſſet, vti placato illo nunquam potuerit. Liberos tamen Ludouici Adolphus in gratiam recepit: & vni ex illis Rudolpho filiam in vxorem, firmandæ amicitiæ cauſa dedit. Tentauerat tamen Ludouicus Elector Palatinus pacem componere inter Adolphum Naſſouium, & Albertum Auſtriacum, ſed re duntaxat inchoata, nec dum confecta, Ludouicus Septemvir Palatinus morbo correptus, Heidelbergæ in eodem, quo in lucem editus fuerat, cubiculo, exſpirauit. Kalend. Febr. Anno Domini 1294. ętatis LXV, poteſtatis XL.

Coniuges habuit tres. I. Mariam Brabantinam, ex Illuſtriſſima Brabantinorum Principum ſtirpe, & Thuringiæ Haſſiæque regulis ortam; quæ Patrem habuit Henricum, cognomento Magnanimum, Brabantini nominis II, auum Henricum Primum, ac deinceps alios atque alios Brabantinæ terræ nobiliſſimos dynaſtas, vſque Godefridum Barbatum tritauum, primum Brabantiæ Ducem. Mater Maria, natæ cognominis, Philippi Cæſaris ab Othone Wittelſpachio cæſi filia, prima Henrici Magnanimi, Brabantini Ducis coniunx. MARIA ergo, Mariæ Philippicæ filia, nupta

nupta LVDOVICO SEVERO, Præfecto Prætorio ad Rhenum, Boiorum Duci, patri Ludouici Imperatoris, Othonis Electoris palatini filio, Ludouici Nepoti, pronepoti Othonis Wittelspachii, cognomento Maioris, primi Boiorum Ducis.

Nouam nuptam Ludouicus Seuerus, Elector palatinus, Werdeæ Sueuorum collocat, quam hodie Donavverdam vocamus, quæ id temporis Boio per Conradum, olim Hieroſolymorum & Siciliæ Regem, centum viginti octo millibus aureorum, cum aliis oppidis, foris, & pagis, oppignerata parebat. Ipſe interim in Rheno fœdere cum ciuitatibus contra prædones inito fortiter fecit, latronumque receptacuſa excidit, captos vel occidit, vel in fugam coniecit, pacem Rheno, viatori ſecuritatem peperit. Agebat tum ſextum & vigeſimum annum, Ludouicus Seuerus, Elector palatinus, floremque æui maximis rebus gerendis conſecrabat.

Cum ecce tibi draco Orcinianus venenum ſuſpicionum euomit in ſinum Ludouici, & iuuenem ætate florentem, & rebus gerendis maxime intentum, in inſidias præcipitauit. Fons mali ab errore tabellarii promanauit. Is ab coniuge

Ludo-

Ludouici Verdeæ binas literas acceperat, alteras atra cera ſignatas, dynaſtæ Ruchoni, ſeu Hirſuto deſtinatas; alteras rubra cera Ludouico marito tradendas. Internuncius ordinem Epiſtolarum inuertit, & illas Ruchoni inſcriptas, Ludouico porrexit, qui ſententiam epiſtolæ non aſſecutus, vt eſt improba ſuſpicio, arbitratus eſt, erotica contineri. Ergo primus errorem tabellarius velut leno & perductor ferro obtruncatus luit: Princeps ipſe minarum plenus, ardensque ira, ab Rheno citatis equis, paucis comitatus, maximis itineribus Donavverdam advolat, vindictæque imminens, præter omnium exſpectationem, vxori infeſtus adeſt. Ardebant oculi, pallebat vultus, totoque ex ore furor eminebat, trepidabat familia, hærebat coniunx, Regina ſoror Principis, attonita mirabatur, quid tandem frater moliretur: expectabant omnes, quo tandem progreſſurus, aut in quem tam atrox tempeſtas eruptura eſſet. Obuiam arcis Præfectum per ſatellitem extemplo interficit, tum corripi vxorem Mariam Brabantinam iubet: & *Haccine fides*, inquit, *eſt thori? Dum ego abſens in caſtris ab latronibus purgo prouinciem, tu hoſtem, in arcem, in domum, in cubilum, in lectum accerſis? ac regiam ſtirpem tuam*

tuam iuxta ac meam tam fœdo flagitio contaminas? Quid tibi cum Ruchone negotii? (Rucho Comes Sylueſtris fuit ex Othonis Wittelspachii ſtirpe, qui Philippum Cæſarem interfecerat) *an vti maiores illius Cæſarem in lecto decumbentem domi ſuæ impio ferro conciderunt, ita me tu per nepotem eius adulterum tecum in thoro decumbentem, Ægiſtæo ritu, tanquam altera domi ſui Clytemneſtra Agamemnonem inter hoſtes tutum interficias? anteuertam parricidium. I lictor, ferrum expedi, corripe adulteram, feri ſceleratum caput.*

Hîc Mariam, omnia excuſantem, & Diuûm hominumque fidem implorantem, teſtantemque ſuam innocentiam, ſurdus tamen reiicit, vti nec quicquam vel lachrymæ coniugis innocentis, vel familiæ trepidantis metus, vel ſororis Reginæ Eliſabethæ ad fratris pedes iacentis preces proficerent. Orabat hæc Ducem, ne tam præcipiti ira in cędẽ rueret inſontis: daret ſpacium animo: omnia poſtero die iuſtius executurum. Sed clauſæ erant aures obſtrepente ira, vindicem ſuppliciorum exequi iubet imperium, qui lamentante tota domo, Principem fœminam, ab omni flagitio alienam, & prorſus inſontem gladio percutit, & caput ab ceruicibus amputat. Funere poſtmodum ad S.Cru-

S. Crucis Werdeæ condito, Epitaphios talis eſt:

ANNO. DOMINI. M. CC. LXVI. XV. KAL. FEBR. IN. CASTRO. VVERD. MORTVA EST. DOMINA. MARIA. DVCISSA. BAVARIÆ. FILIA. DVCIS. DE. BRABANT.

Nec facinus Ludouici Electoris hic ſtetit, Helicam Breunebergiam, nobilem è gynecæo virginem, tanquam conſciam, pugione traiicit; tandem omnes egreſſa limites ſæuitia, aulæ præſidem, clariſſimã & innocentiſſimam matronam, ex alta turris arce præcipitem deturbari imperat. Ita quinque funeribus iræ litatis, furor indignantis reſedit. Rucho errore cognito, principiſque cæde monitus, prouincia exceſſit, vbique ſuam & Mariæ cęſæ innocentiam lachrymis, verbis, & tabulis, conteſtatus, ita cauſam omnibus probauit, vt ipſe Ludouicus, poſteaquam ira mente deceſſerat, magnitudinem facinoris ſera æſtimatione perſpiceret, ſanguineque vxoris cruentus vehementer erubeſceret. *Male nempe* (inquit Q. Curtius de cæde Clyti) *humanis ingeniis natura conſuluit, quod plerunque non futura, ſed tranſacta perpendimus.*

Ergo funere Werdeæ condito, Ludo-
vicus

vicus Seuerus, Elector palatinus, Romam, vt ægro animo medicinam quæreret, profectus, facinus apud pontificem Alexand.IV.edidit, pacemq; numinis, & delicti veniam exorauit. Ad placandam etiam ſibi Mariæ animam, & parricidium expiandum, iuſſus eſt religioſis S Brunonis ſodalibus domicilium ponere. Sed quia id genus hominum in Boica nullum erat, Ciſtercienſium contubernio amplum & nobile cænobium in principis-campo, Fürſtenfeld / qui inter Auguſtam & Monachium eſt, condidit, prædiis, & annuo victu auxit, quod hodieque floret. Aiunt etiam, Ludouicum, Electorem palatinum, Ducem Bauariæ, prima ſtatim nocte, quæ cædem ſecuta eſt, tantis curarum fluctibus agitatum, vti non ſolum ſomnum capere non poſſet, ſed vrgentibus Mariæ manibus adeo exagitaretur, vt qui iuuenili decoraque coma (ſeptimum enim & vigeſimum agebat annum) barbaque florente, cum ſe cubitum contuliſſet, per noctem ita incanuerit, vti ſenem ſeptuagenarium mane referret: quod tamen plurimi vt mendoſam narrationem damnant. In ipſa tamen facta cæde Mariæ nulla eſt dubitatio; ſed in facti modo, numero cæſorum, Ruchonis fide, nonnihil diſcrepat Auentini narratio.

Lubet

Lubet addere mantiſſæ loco, nihil inter coniuges exiſtere poſſe grauius, quam mutuæ fidei diffidentiam, ex qua naſcitur coniugum peſtis ſuſpicio, è ſuſpicione obſeruatio dictorum, factorum, nutuum omnium, è dubiis falſiſque ſignis perſuaſio, ex hac cædes & parricidia. Nihil ago, niſi documentis oſtendo, quibus erudiri poſſit orbis. Theodoſius minor, Arcadii Fil. Theodoſii Magni Nepos, Eudoxiam Auguſtam coniugem, ob pomum Paulino donatum ab ſocietate thori ſeiunxit: Paulinum, vt alii tradunt, eadem nocte occidit, vel in exilium deportari mandauit. Otho III. Imperator falſo delatum Comitem occidit. Henricus V. Imperator Kunegundis innocentiam ferro ignique explorauit. Sed prope ſimilis eſt & caſus, & hiſtoria, quæ apud Freherum in vltimis paginis, & Orig. Palatin. Volum. II. legitur ex antiquo ſacello exſcripta de Genoueſa, Ducis itidem Brabantiæ filiæ, Sigefrido Palatino nupta: quam Sigefridus nobiliſſimus Palatinus, (temporibus Hildolfi Archiepiſcopi Treuirenſis, qui mortuus ſcribitur an. 754.) conſilio & calumnia cuiuſdam equitis, cui nomen erat Golo, voluit igni tradere. Omitto Ioſephum Hebręum ab Ægyptia Putifaris vxore apud maritum accuſatum,

tum, & in caueam compactum. Criſpum ab nouerca ſollicitatum, & ab Conſtantino Patre mactatum. Idem docuere fabulæ priſcorum in Hippolyto de Phædra. Sed nihil opus fictis narrationibus, vbi ſuppetunt veræ, & nimium quam multæ.

Scribunt, Ludouicum Seuerum, Bauariæ Ducem, Electorem Palatinum Rheni, in Cœnobio Furſtenfeld, à ſe conſtructo, ſepultum eſſe: quanquam alii Heidelbergæ in Auditorio Theologico monumentum eius ponant. Vno diſticho cauſa eiuſdem conditi Cœnobii Furſtenfeldiani aperitur, quod in eodem cœnobio legitur.

Ad Hoſpites.

Coniugis innocuæ fuſi monumenta cruoris
Pro culpa precium clauſtra ſacrata vides.

Et de Conditore.

Boiorum clarus iacit hæc fundamina Prin-*ceps,*
In precium culpæ coniugis innocuæ.

Altera coniunx Ludouici Seueri, Electoris Palatini fuit Anna, Ducis Glogouienſis in Sileſia filia, ex qua Ludouicum filium genuit, cui Eliſabetha Hungariæ filia deſponſata erat. Sed Ludouicus Norinbergæ in quadam haſtarum concurſione, (haſtiludium alii vocant) lancea

H Crato-

Cratonis Comitis Hohenloënſis perfoſſus interiit, anno Chriſti 1289.

Tertia vxor Ludouici Seueri fuit Mechtildis Habspurgica, Rudolphi Habspurgici Imp. filia, ex qua plures liberos peperit. Rudolphum primogenitum, Electorem palatinum Rheni, qui in electione Imperatoris Fridericum Pulchrum, Auſtriæ Archiducem, præterito fratre Ludouico Bauaro, elegit: quamobrem à fratre Palatinatu expulſus, in Anglia exulauit. Secundogenitum Ludouicum Bauarum, Iuniorem cognomine, IV. eius nominis Imperatorem, Friderici Pulchri Auſtriaci competitorem. Mechtildin filiam dehinc tertio peperit Ludou. Seuerus, vxorem Othonis Luneburgici: & Annam filiam quarto, vxorem Rudolphi, Ducis Saxoniæ, Alberti filii. Tertiam itidem filiam, cuius nomen ignoratur, quæ monialis Vlmæ facta, illic decumbit.

Ludouico filio Bauariam, Rudolpho vero primogenito Palatinatum cum Electoria dignitate, & parte Ducatus Bauariæ donare voluit, hac adiecta conditione; *vt viciſſitudinario iure eandem Electoriam dignitatem poſſiderent*. Quod obtinere non potuit. Neque enim Imperii Principes, & ſubſequentes Imperatores ferre voluerunt, tantam authoritatem & dignita-

gnitatem, quæ ſolis Comitibus Palatinis debebatur, & ad eos pertinebat, à nuopiã quam qui Comes Palatinus, Palatinatũq; poſſideret, vſurpari aut vindicari. Quod ipſum Carolus IV. Imp. poſtmodum Norimbergæ publico iudicio, aſſidentibus omnibus Electoribus, declarauit, & edicto cauit: *Ne quis ad Electoriam & Archidapiferi dignitatem ius ſibi vindicare præſumeret, niſi qui prius Palatinatum ipſum iure obtinuiſſet.* Et hinc factum, vt Comites Palatini continua ſerie multos Reges Romanorum, ſiue Imperatores, ſine Ducum Bauariæ, aut quorumcunq; aliorum contradictione, elegerint, & ſuis ſuffragiis ad Imperiale culmen promouerint.

Ex his duobus fratribus, Rudolpho & Ludouico, diſiuncta hæc inclyta gens Palatina fuit, & diuerſæ quaſi familiæ prodierunt: quarum quæ à Rudolpho deſcendit, Electoralem dignitatem, & Palatinatum Rheni, vicinaſq; ditiones, continua quadam ſerie, poſſedit. At ex Ludouico Romanorum Imperatore prognata, maximam Superioris & Inferioris Bauariæ partem obtinuit.

III. RVDOLPHVS EXVL.

Rudolphus I. Patri Ludouico Seue-

ro in Septemuiratu Palatino ſucceſſit, anno Domini 1294. ætatis 20. Pro ſocero Adolpho aduerſus Albertum Auſtriacum fortiſſime pugnauit: haud tamen ſecunda fortuna. Defuncto namque Rudolpho I. Habſpurgenſi Imp. filius eius Albertus, ab Electoribus Imperii, ob abſentiam in electione præteritus, & in locum eius Adolphus Naſſouius, ſocer Rudolphi Electoris Palatini, Francofurti in Romanorum Regem electus eſt. Cum v. Rex Adolphus Naſſouius poſtea cognouiſſet, Electores Moguntiam indicto conuentu, Albertum eo vocatum, in Romanorum Regem eligere conſtituiſſe, eius conatum impediturus, Rufacum, Alſatiæ vrbem, quã oppugnabat, obſidione ſoluit, & Spiram ducit: rei & conuentus Electoralis exitum operiturus. Ad eum interim cum copiis confluxere, Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Otho Bauariæ Dux, & vrbes Imperiales, Wormatia, Spira, alię. Electione ergo facta, & abſoluta, Albertus Auſtriacus Moguntia ſoluens, Adolpho Naſſouio obuiam procedit, & pugna acriter cõmiſſa, ambo Reges Romanorum forte fortuna inter ſeſe congrediuntur, & prior Adolphus magna animi vi Albertũ adortus: *Hoc in momento* (refert) *Imperium pariter & vitã mihi trades.* Hoc vero in Dei

Opt.

pt. Max. ſitum eſſe poteſtate, ſubinfert
bertus, & grauiſſimo vulnere pariter in
cie inflicto, ex equo proturbat, qui de-
de ab alio quodã vulnere collo inflicto,
mum occiſus eſt. Sic finita pugna, fuga
, & præter occiſi Regis Adolphi Naſſo-
i filiũ, ipſumq; Adolphum, ſexaginta Il-
ſtres Comites & Barones occubuere.
tho, Bauariæ Dux, qui Adolpho Naſſo-
o auxiliari manu ſuccurrerat, trib⁹ vul-
ribus ſauciatus, vix mortem euaſit. Ru-
lphus, Elector Palatinus, Adolphi Naſ-
uii gener, cum paucis Wormatiam vix
ga elapſus, vitam ſeruauit. In loco com-
iſſæ pugnæ Monumentũ extat, murus
adratus cum imagine crucifixi, & hac
ſcriptione: ANNO. MCCXCVIII. ADOL-
VS. A. NASSAVV. ROM. REX. INTERFICI-
VR. APVD. GELLINHEIM. Hac clade irri-
tus Rudolphus, Elector Palatinus Rhe-
, cũ Epiſcopis, Moguntino, Treuirenſi,
Colonienſi, fœdus contra Imp. Albertũ
uſtriacũ fecit. Id cũ reſciuiſſet Albertus,
agnũ ex Auſtria & Sueuia producẽs ex-
citũ, de improuiſo ditionẽ Palatini Ele-
toris inuaſit, miſereq; deuaſtauit: tandẽ
udolphũ Electorẽ ſupplicẽ in gratiã re-
epit. Obtenta v. hac victoria, quamuis
nte eam in Romanorũ electus eſſet Re-
em, abſentibus Electore Treuirenſe &

Palatino, Francofurtum conceſſit, & Electoribus Imperii conuocatis, ſolenniter Imperatoriam reſignauit Maieſtatem, ab omnibus nempe, & communi voto eligi deſiderans. Electione igitur noua inſtituta, priori confirmata, Albertus Aquiſgrani vſitatis cæremoniis coronatus eſt.

Albertus poſtmodum Imp. à Iohanne fratris filio, perfidioſe ex inſidiis, an. 1308. obtruncato: Rudolphus Elector Palatin⁹ expeditioni, quam Henricus VII. Lucelburgenſis Imperator (Alberti ſucceſſor) in Italiam contra Vrſinos ſuſcepit interfuit, eiuſq; virtus in prœliis cum Vrſinis habitis maxime enituit. Tandem per Ludov. Bauarum Imperatorem, fratrem ſuum, è Palatinatu pulſus, omnibuſq; bonis & dignitate ſpoliatus, eo quod ei ſuffragium ſuum in electione, poſt Henrici VII. Imp. obitum, denegauerit, & Frid. pulchro Auſtriaco dare maluerit, fugit in Angliã, vbi poſt triẽnium admodum inops, in exilio ex hac miſeriarum valle deceſſit. Anno Domini 1319. Vxor Mechtildis, filia Adolphi Naſſouii Imp. in Auſtria commorata ibidem exulans obiit. Ex hac Rudolphus quatuor liberos progenuit: Rudolphum II. Adolphum Simplicem, Rupertum Ruffum, Academiæ Heidelbergenſis fundatorẽ: & filiam vnicam Mechtildim, Comi-

omitiſſam Spanheimenſem. Hi filii eius
latinatu ſpoliati non manſerunt, ſed in
nne ius paternum, & dignitatem ſucceſ-
runt: quos Ludouicus Bauarus Imp. ple-
ſſimam in gratiā receperat. Monumen-
Rudolphi Exulis, ac Lud. Seueri, Hei-
lbergæ in choro Templi Auguſtinianę
ie Sapientiæ Domûs, tale ſpectatur:
ILLVSTRISSIMORVM PRINCIPVM E-
VITVM. AVRATORVM RVDOLPHI. AC.
VDOVICI. COMITVM. PALATINORVM.
AVARIÆ. DVCVM. AC. SACRI. ROMANI.
IPERII. ARCHIDAPIFERORVM. ET. ELE-
TORVM. LAMENTABILIA. DEPOSITA.
LTARE. QVOD. CERNIS. RECONDITA.
ENET. LVBRICA. SORS. RARVM. FAVO-
EM. BREVITATE. GLORIÆ. AC. VITÆ.
OMPENSAVIT. ET. HVNC. TANTVM. EX.
ANTIS. FORTVNIS. RVDEM. ETSI. SAN-
TVM. TVMVLVM. CONCESSIT. QVORVM.
RIOR. TOTA. PATRIA. ILLACRVMANTE.
CERBO. FVNERE. RAPTVS. EST. ANNO.
DOMINI. MCCCXIX. DIE. XI. AVGVSTI.
LTER. ANNO. MCCXCIV. DIE. II. FEBRV-
ARII. NIHIL. INVIDEMVS. REMANENTI-
BVS. QVOS. MVNDI. HVIVS. PVGNA. MA-
NET. NOBIS. QVIES. PARTA. ET. TV. QVIS-
QVIS. HÆC. LEGERIS. ET. TIBI. MORIEN-
DVM. ESSE. MEMENTO. Licet tamen hic de
fide hiſtorica ambigere, certis de cauſis.

IV. ADOLPHVS SIMPLEX.

Adolphus, cognominat⁹ ſimplex, patri Rudolpho Exuli in Septemuirali dignitate ſucceſſit. Huic enim à parentis obitu Ludouicus Bauarus Imperator gratiam faciens, palatinatum Rhenanum, & quaſdam Noricorũ Bauariæq; vrbes reſtituit. Verum Adolphus, cum natura quietis ac tranquillitatis priuatæ, quam onerum & moleſtiarum Reip. eſſet amantior: Rudolpho fratri Electoratum palatinũ reſignauit: nulla præterea re memorabili geſta, placide obdormiuit, anno Domini 1327. ætatis 21. ſepultus Schænauię In eius matrimonio fuit Irmengardis, Ludouici Comitis Oetingenſis filia: de qua nati ſunt Rupertus II. Ruperti Romanorum Regis pater: & filia quædam, nupta Meinhardo Comiti Ortenburgico.

V. RVDOLPHVS II. COECVS.

Rudolphus II. cognomento Cœcus, filius Rudolphi I. Exulis, ex ceſſione primogeniti fratris Adolphi, ad Electoratũ palatinum peruenit, anno ætatis ſuæ vix XVIII. & per XXVI. annos ſubditos ſibi cõmiſſos in placida pace ſemper gubernauit. Neapoli Nemetum, quod vulgo Neoſtadium ad Hartam dicitur, Eccleſiam collegiatam conſtruere incœpit, ſed morte præuentus, an. Domini 1353. ætatis

44. fratri Ruperto Ruffo perficien-
m, & Palatinatum Rhenanum, Electo-
ımque dignitatem regendam reliquit.
us thori conſors fuit Anna Carinthica,
thonis Ducis Carinthiæ filia, ex qua fi-
m vnicam, Annam, ſiue Agnetem no-
ine, progenuit; poſtmodum elocatam
arolo IV. Imp. laudatiſſimo, Chryſobul-
architecto.

VI. RVPERTVS RVFFVS.

Rupertus, cognomento Ruffus, Ru-
olphi I. filius tertiogenitus, aliquandiu
ım fratre Rudolpho II. Electuram geſ-
, ingerente ſe quidem ſimul etiam Ste-
ıano, Ludouici Bauari Imp. filio: ſed hoc
oſtea per decretum Electoralis Collegii,
uius cognitioni ſe ipſe ſubiecerat, & Cę-
ıream Caroli IV. deciſionem Norimber-
æ latam, reiecto: & Rudolpho II. fratre
efuncto: ſolus Palatinatus ad Rhenum
ena feliciter in pace tenuit. Senior vo-
atus eſt, ad differentiam Ruperti Iunio-
is, filii Adolphi ſimplicis: poſt (vt in Si-
iſmundi Bullis) Præſenior, quia nempe
um & Adolphi Electoris Nepos Ruper-
us exſtabat, poſtea Romanorum Rex in
ıbrogati Wenceslai locum electus & ſur-
ogatus. Rupertus hic Ruffus, Elector Pa-
atinus Rheni, primus Academiam Hei-

delbergenſem, Germanicarum omnium antiquiſſimam, fundauit & conſtituit, ſub Vrbano VI. Pōtifice, & Wenceslao Ignauo Imperatore. Cum enim videret, ſtudia doctrinarum Eccleſiæ & Reip. in Germania & alibi pœne concidere, & facile intelligeret, curam iuuenturis recte inſtituendæ, quo ad ſapientiam ac virtutes à teneris aſſuefiat, non minus quam curam tuendæ amplificandæq; dignitatis, virtute maiorum partæ atq; conſeruatæ, ad ſe pertinere, nec tam armis, quam ſapientib. conſiliis gubernatori opus eſſe: Vniuerſale ſtudium, ſiue Academiam in ſua ditione inſtituendam eſſe cenſuit; atq; ad eam rem adhibuit conſanguineos ſuos: Rupertum, Adolphi fratris ſui iam defuncti filium; & Rupertum præiuniorē, Ruperti illius filium, qui poſtea Imperatoriam dignitatem adeptus eſt. Formam Academiæ talē eſſe voluit, qualis tunc erat Academię Pariſiēſis, vt hæc illius veluti pedis ſequa greſſus imitaret, & ad illius plane normā diſponeretur ac regeretur. Primus huius Academię Rector Magnificus creatus eſt, M. Marſilius ab Inghen, S. Theologiæ Doctor, anno Domini 1386. 17. Nouemb: quem ætas illa propter opinionem doctrinæ ſuſpiciebat. Erat tunc Pontifex Romanus Vrbanus VI. à quo Rupertus

Elector,

lector, vt mos ferebat illorum tempo-
um, Bullam impetrauit: quam poſtea
Bonifacius IX. confirmauit. Noua illa A-
ademia ita delectatus fuit laudatiſſimus
Elector Rupertus, vt eam ſæpe vocaret
dilectam filiam ſuam: & vt parentes tene-
ius amare liberos teneriores ſolent, ita
hunc quaſi fœtum ſuum maiori beneuo-
entia complecteretur.

Sed huic fundationi non diu ſuperfuit. Nam quadriennio poſt ex hac mortali in cœleſtem & ſempiternam Academiam translatus eſt, anno reparatę ſalutis, 1390. a. d. 16. Februarii. Ex duabus vxoribus, Eliſabetha Namurcenſi, & Beatrice Bergenſi, nullam ſobolem ſuſtulit. Tumulum habet Neapoli Nemetum in choro Templi S. Ægidii, quod ipſe magnificentiſſime ſibi educandum curauerat: cui tale quid inſcriptum legimus.

ANNO. DOMINI. MCCCLXXXI. IPSA. DIE. BEATE. IVLIANE. VIRGINIS. OBIIT. ILLVSTRIS. PRINCEPS. RVPERTVS. DVX. SENIOR. FVNDATOR. HVIVS. ECCLESIÆ.

ANNO. DOMINI. MCCCXCV. XVI. DIE. MAII. OBIIT. GENEROSA. DOMINA. BEATRIX. FILIA. DVCIS. DE. MONTE. VXOR. ILLVTRIS. PRINCIPIS. RVPERTI. SENIORIS. ELECTORIS. IMPERII. COMITIS.

PALATINI. RENI. ET. BAVARIÆ. DVCIS.

prioris vxoris Monumentum Heidelbergæ in templo Franciſcanorum tale legitur.

ANNO. DOMINI. MCCCLXXXII. DIE. XXIX. MENSIS. MARTII. θ. GENEROSA. DOMINA. ELISABETH. COMITISSA. DE. NAMVR. NATA. DE. DOMO. FRANCIÆ. VXOR. ILLVSTRIS. PRINCIPIS. RVPERTI. SENIORIS. ELECTORIS. IMPERII. COMITIS. PALATINI. RENI. AC. BAVARIÆ. DVCIS. AN. R.

VII. RVPERTVS IVNIOR cognomento Durus & Tenax.

Rupertus Iunior, (aliis Senior dictus) Adolphi Simplicis Electoris filius, Ruperti Romanorum Regis pater, cognomentatus etiam Durus & Tenax, quod præliis acer eſſet & aſper; patruo ſuo Ruperto Ruffo, tranquillitatis publicæ ergo, ius Electionis ad dies vitæ permiſit, ſucceſſionis iure ſibi reſeruato. Ruperto igitur præſeniore defuncto, Electoratum palatinum adeptus eſt: poſt obitum Caroli IV. Imp. Wenceslao Cæſari bello indicto, vrbes, arces, & caſtella Bauariæ Aquilonaris, in Hercynio ſaltu, q̄ Carol. IV. dotis

is pignoriſque loco occuparat, vi &
nis repetiit, Anno Domini 1388. Qua-
pter ab Imperii ciuitatibus, Ratisbo-
Rhætorum, Sueuiæ Auguſta, aliiſque
eno conterminis, iuſſu Cæſaris Wen-
ſlai oppugnatus, hoſteſque in Neme-
n agro adortus, ducentos illorum oc-
it, trecentos cepit, reliquos fugatos
Nemetum Auguſtam cedere coëgit:
adraginta graſſatores, qui latrociniis
flamma longè lateque terras Palatinas
triuerant, in laterariam candentem
piecit: *Vos in me* (inquiens) *clanculum*
Ɛtu igne ſauiiſtis: at ego vos propalam alto
e, atque ipſo meridie comburam. Vrbem
eidelbergam, quæ tunc anguſto admo-
m fuerat corpore, multum ampliauit.
cademiæ itidem Heidelbergenſis mu-
ficus patronus fuiſſe perhibetur, & al-
r illius velut conditor: beneficus præ-
rtim erga Profeſſores iuris, quibus ex
ſco ſuo ſtipendia numerauit. Vita fun-
us eſt Anno Domini 1398. ſepultus
chænauiæ, ad pedes Adolphi ſimplicis,
atris ſui, humili Monumento. Ex V-
ore Beatrice, Friderici Siciliæ Regis fi-
a, genuit Rupertum III. Romanorum
Regem: & duas filias: Annam, ſociatam
Gulielmo I. Duci Iuliacenſi & Bergenſi:
Eliſabetham vxorem Procopii, Marchi-
nis Morauiæ.

VIII. RVPERTVS PRAEIVNIOR, cognomine Clemens.

RVperto II. Iuniore defuncto, Electoratus gubernationem ſuſcepit Rupertus III. Præiunior, Adolphi ſimplicis Nepos, vulgò nuncupatus Clemens, à naturæ bonitate & morum comitate. Cum verò Electoris & Archidapiferi munus biennium aut circiter geſſiſſet, poſt Wenceslaum Ignauum, Imperio, Germanorum Procerum conſenſu deturbatum: Bopardiæ Romanorum Rex à Principibus Electoribus declaratus eſt, Anno Domini 1400. die 21. Auguſti. Sequenti anno cum Aquiſgranum deduceretur inaugurationis cauſa, ab Aquenſibus, prætextu iuramenti, quo adhuc Wenceslao obſtricti videri volebant, non intromiſſus, Coloniæ Agrippinæ ab Archiepiſcopo Friderico coronatus, Pontifice Bonifacio IX. approbante. Aquiſgranenſes poſtea compeſcuit, quinquennali proſcriptioni ſubiectos, ob pertinaciam. Bella non niſi coactus geſſit, memor illius Auguſti Cæſaris: *Idem eſſe bellare, quod aureo hamo piſcari, cuius ſemel amiſſi iactura nulla vel lucroſiſſima piſcium captura cõpenſari queat.* Marchionem Badenſem ad offi-

ſficium redegit. Pragâ, Wilhelmi Mar-
hionis Miſniæ, & Friderici Landgrauii
Haſſiæ copiis, obſeſſa, Wenceslaum coë-
it ſe plane abdicare Imperio, & Ordines
nperii iuramento fidelitatis ſoluere.
onſentire tamen (ſi Hagecio credimus)
ohemiæ Proceribus nunquam voluit,
egnum ei vna pariter cum ipſo Rege
Venceslao Excæſare offerentibus. De
piſcopo Moguntino Iohanne pœnas la-
ocinii & aſſaſſinii ſumpturus, Vrbem
ctu, immiſſis ſtratagemate perſonatis,
ſiſque obuiis, cepit. Eodem imperan-
in Italia Galeacius, Mediolani Dux,
multuatus eſt, & regnum affectauit.
omam verò Ladislaus Neapolitanus
x oppugnauit, Papam expulit, capito-
m occupauit, caſtellum S. Angeli ex-
gnauit, & oppida multa Pontifici de-
xit. Rupertus igitur, Romanorum
x, in Italiam à Pontifice & Florentinis
atus, comprimere quidem conatus
arios Galeacii ope ſumma nitebatur;
obſiſtebat ei Præſul Moguntinus, vt
are & efficere nihil poſſet. Etſi enim
a conceſſerat, vt decimas à ſacerdoti-
ad eam expeditionem exigeret; Mo-
tinus tamen non ſolum exactionem
ediebat, ſed Leopoldum etiam Au-
æ Ducem, & Colonienſem Præſulem

ab ea,

ab eo abalienabat. Itaq; congreſſus contra Galeacium armatus, in prælio ab eo victus eſt, & in fugam coniectus. Hac clade affectus, cum deſeri ſe & negligi à Papa & Florentinis ſentiret, re infecta in Germaniam rediit, & abiecta Italiæ cura, domi Remp. bene feliciterq; geſſit. Quid enim facias ægro, qui Medicum accerſit, poſt venienti inſultat? elleboro curetur ſane, & Anticyras nauiget. In Imperio ea, quæ Wenceslaus Ignauus neglexerat, magna ex parte reſtituit. In vtraque dignitate, Electorali & Regia, conſtitutus, ſingularem erga Academiam Heidelbergenſem amorem ſtudiumque ſemper declarauit. Non ſolum enim priuilegia & iura Academiæ ipſe confirmauit, & ſarta tecta conſeruauit; ſed etiam de iiſdem defendendis & conſeruandis duos filios ſuos, Ludouicum & Iohannem, Academiæ ſolenne iuramentum præſtare voluit, Anno Chriſti 1401. Poſt pleraque in Imperio laudabiliter geſta, Rupertus, Romanorum Rex, gentis Palatinæ, quã ta hodie viuit, proſator immortali nomine dignus, Oppenhemii ex mortali hoc Regno ad cœleſte imperium emigrauit, Anno Domini 1410. die 18. Maii. Templum illud regale Heidelbergæ, S. Spiritui dedicatum, cum Collegio Canoni-

corum,

orum,fundauit:in quo eius ſepulchrum
egantiſſimum ſpectatur, cui talis in-
riptio inciſa.

ROBERTVS. BAVARIÆ. DVX. COMES.
HENI. PALATINVS. ROMANORVM.
EX. IVSTVS. PACIS. ET. RELIGIONIS.
MATOR. DIGNVS. DEO. VISVS. QVI.
O. IVSTITIA. PATERETVR. HVIVS. SA-
RÆ. ÆDIS. ET. COLLEGII. INSTITVTOR.
C. CVM. CASTISSIMA. CONIVGE. E-
SABETHA. NORICI. MONTIS. BVRG-
AVIA, QVIESCIT. VITA. FVNCTVS.
NNO. CHRISTI. MCCCCX. KAL. IV-
I. XV.

Vxorem etiam habuiſſe dicitur, cuius
men genus, & familia incognita eſt, ex
a genuit Rupertum, cognomine *Pi-*
n, qui ſub Sigiſmũdi Imp. ſignis, cum
n Iohanne Burgundiæ Duce, Anno
94. in Mæſia ad Nicopolin à Turcis
rus: poſt liberationem vitam exegit
bergæ, ductâ in Vxorem Eliſabetha,
a Iohannis, poſtremi Comitis Span-
menſis, quæ quintam illius Comita-
partem, cum oppido Creutzenach,
is nomine ad maritum attulit.

x Eliſabetha, filia Burggrauii No-
bergenſis, quinque filios ſuſtulit.

Fridericum, qui iuuenis ſine liberis
mor-

mortuus, in Eccleſia Ambergenſi tumulatus eſt.

II. Ludouicum Barbatum, ad quem Friderico fratre defuncto, principatus Electorius iure deuolutus eſt.

III. Iohannem, dictum Neoburgium, qui in magna gratia & authoritate fuit apud Sigiſmundum Imperatorem ob auxilia contra Bohemos lata in bello Huſſitico: mortuus Anno Chriſti 1443. a. d. 13. Martii, ſepultus Bradtenburgi. Vxores habuit duas: *Prima* fuit Catharina, filia Ducis *Pomeraniæ:* altera filia Erneſti, Ducis Bauariæ, ſterilis. Ex priori coniuge ſex filios genuit: Chriſtophorum, Othonem, Iohannem, Iohannem alterum, Fridericum, & Adolphum: ſed hi quinque poſteriores omnes in pueritia ſine prole immaturo fato deceſſerunt. Chriſtophorus, filius primogenitus, electus eſt in Regem Daniæ, Sueciæ, & Norvvegiæ: cui ſi vita contigiſſet diuturnior, valdè glorioſus euaſiſſet. Nam ad Hanſeaticas ciuitates coercendas & refrenandas, (quæ Regnis & *Principibus* extrema quæque minitabantur) videbatur oppido quam idoneus. Aquilonenſes Iutos, excitata graui ſeditione rebellare tentantes, perdomuit. Vxorem duxit Dorotheam, filiam Iohannis Marchio-

nis

Brandenburgenſis. Migrauit ex hac
ſine liberis, Anno Domini 1447. Re-
ſui ſeptimo. Danis quidem erat gra-
Suecis vero inuiſus; quibus tamen
mortem vſque dominatus eſt. Atque
Iohannis Neoburgii familia non vl-
filium Chriſtophorum progreſſa de-
.
V. Stephanum, natum anno 1585. Du-
Bipontinum & Comitem Veldentia-
n: ad quem in diuiſione Electoralis
reditatis, interuenientibus Proceri-
vti familiæ erciſcundæ arbitris, do-
ium Simmeren & Stromberg, quod
Electoratu connexum fuit, deuolu-
eſt.
. Othonem, qui poſt mortem primo-
iti fratris Ludouici Barbati, licet cæ-
fratribus ætate iunior, Adminiſtra-
Electoralis Palatinatus, ob virtutes,
onſtitutus. Migrauit ad æterna bea-
m gaudia, Anno Chriſti 1461. Se-
us Reichenbaci. Vxorem habuit Io-
am, Henrici Ducis Landshutenſis fi-
, ex qua quatuor filios ſuſtulit. Au-
edem habuit Mosbachii, quod fuit
n vna ex Imperialibus Vrbibus, ſed
e ſæcula plura, Cæſare conſentien-
iuriſdictioni Principum Palatino-
ceſſit. Inde Mosbacenſes Palatini
cogno-

cognominati ſunt, quorum ſtirps cito deſiit. Nam Othoni II. huius Othonis Mosbacenſis filio primogenito, *Principi* docto, & cum aliarum ſcientiarum, tum Mathematicarum ſtudioſo cultori: cæteriſque tribus fratribus, cælibibus eſſe lubuit. Rupertus, Epiſcopatui Ratiſponenſi præfuit. Iohannes, Auguſtanus *Prælatus* eſſe maluit, quam proſapiam *Palatinam*, in Germania Nobiliſſimam, propagare: prout eius ſæculi mores ferebant. Albertus, electus eſt Epiſcopus Argentinenſis, vnanimi totius cleri conſenſu, Anno Domini 1478. *Præfuit* huic Epiſcopatui optime & vtiliſſime annis 27. menſibus 9. dies 5. *Princeps* erat humilis, mitis, placidus, omnib. benignus, &iccirco etiam omnibus chariſſimus. Infenſus Iudæis omnes è ſuo Epiſcopatu expulit: portentoſi quoque Sacerdotum concubinatus ſummus oſor fuit & vindex acerrimus: pietatis ſtudio nemini ſecundus. Obiit cum ſummo omnium ſuorum luctu, Anno à nato Chriſto 1506. d. 20. Auguſti. Sepultus in Tabernis Alſatiæ, ſacello, in quo viuus ſibi ſepulturam adornarat. Atque ita in iſtis quatuor fratribus genealogia Othonis I. Ducis Mosbacenſis, Ruperti Romanorum Regis filii natu minoris, defecit: & Mosba-

m cum omnibus pertinentiis ſuis ad
us Philippi, Electoris Palatini, ite-
reuolutum eſt.

ephanus ſupradictus Ruperti Roma-
m Regis filius, Ludouici Barbati E-
ris Palatini, & Othonis Mosbacen-
ucis frater: ex coniuge Anna, filia
erici, vltimi Comitis Veldentiani &
ntini, duas diſtinctas ſtirpes produ-
Ex primogenito filio Friderico Cy-
to, Simmerenſem ſeu Spanheimen-
ex ſecundo genito Ludouico Ni-
Bipontinam & Veldentianam. Ad
m æternæ quietis ambulauit Anno
ſti 1459. ſepultus Meiſenheimii, cum
nnos laudabiliter gubernaſſet. Ex
ge Anna, filios ſex, & filias tres ſuſ-
.

Fridericum, cognomento Cynono-
Ducem Simmerenſem, & Comitem
heimenſem, à quo deſcendit moder-
ea Electoralis Palatina.

Ludouicum Nigrum, à quo linea
ntina & Veldentiana recta linea ge-
æ deſcendit.

I. Rupertum, qui aſſumptus eſt in
opum Argentinenſem, ſummo con-
totius cleri, & populi; facta prius
entione de perpetua pace vtrimque
ruanda: quandoquidem priorum
ali-

aliquot Epiſcoporum cum Vrbe habitæ diſſenſiones pernicioſiſſimæ fuiſſent cum Vrbi, tum Epiſcopatui. Hac confœderatione Haganoæ facta & confirmata, Rupertus Epiſcopus Argentinam ingreſſus eſt inſigni pompa, Anno 1439. Comitabantur eum Pater Stephanus, & frater ipſius; multi item Comites ac Barones. Epiſcopatui præfuit feliciter annis 38 Inter homines eſſe deſiit Anno 1478. ingenti poſt ſe theſauro relicto, ſepultus in Tabernis Alſatiæ, vbi ſedere plerunque & habitare ſolitus eſt.

IV. Iohannem, qui Epiſcopatui Monaſterienſi præfuit annis aliquot vtiliter: inde translatus, Magdeburgenſium factus eſt Archiepiſcopus. Vitæ ſpiritum extremum edidit Anno 1457. ſepultus Magdeburgi.

V. Stephanum, Decanum Eccleſiæ Colonienſis, mortuum & ſepultum Coloniæ Agrippinæ, Anno 1481.

VI. Iohannem, Canonicum Argentinenſem.

Filias præterea habuit tres.

I. Margaretham, quę virgo ex hac vita deceſſit, Anno 1426. ſepulta Anuillæ.

II. Margaretham, nuptam Comiti Leyningenſi Iuniori, Anno 1443.

III. Annam, Coniugem Vincentii Co-

mitis

mitis Mörſenſis & Saarvverdēſis factam, Anno 1455.

DVCES SIMMERENSES & Spanheimenſes.

Fridericus, primogenitus Stephani Bipontini filius, Ruperti Romanorum Regis Nepos, cognomento Cynonotus, Germanicè dictus der Hundsrücker/ primus Dux Simmerenſis, Comes in Spanheim; Vxorem duxit Margaretham, Ducis Geldriæ filiam, quæ peperit ei tres filias, Moniales Treuirenſes: & tres filios: quorum primus Iohannes Patri in Principatu ſucceſſit: Rupertus ſecundogenitus Epiſcopatui Ratiſponenſi piè ac prudenter præfuit. Fridericus tertiogenitus, Canonicus fuit Treuirenſis, Moguntinenſis, Colonienſis, & Argentinenſis.

Iohannes I. Friderici Cynonoti primogenitus filius, nuptias celebrauit cum Iohannetha Naſſouica, Iohannis filia: ex qua genuit ſucceſſorem Iohannem II. Princeps fuit pacis & otii potius, quam bellicæ gloriæ ſtudioſior; contentus eo, quem à Patre acceperat Principatu. Obdormiuit in Domino, Anno reparatæ ſalutis 1509.

Iohan-

Iohannes II. Iohannis I. filius, Friderici Cynonoti Nepos, natus anno 1468. Princeps fuit Sapientia, Iuſtitia, prudentia, morum integritate & moderatione, omnique virtute præſtantiſſimus: quo nomine etiam à Carolo V. Cæſare plurimum amatus ac honoratus, ſummo Iuris Tribunali, ſeu Cameræ Imperiali præfectus eſt. Etſi vero per totam vitam Pontificiæ Religioni addictus fuit; paulò ante mortem tamen profeſſus eſt, ſe in ſolo Chriſti merito omnem ſuam ſpem collocare, atq; ita in ardentiſſima inuocatione nominis Chriſti vitam feliciter clauſit, Anno 1557. die 18. Maii, Ætatis 71. Vxores habuit duas. Beatricem, Marchioniſſam Badenſem, Chriſtophori filiam: & Mariam Oetingenſem, quæ triam filiorum eum parentem fecerunt.

Horum primus Fridericus, vero cognomento Pius, Ludouici Barbati Electoris Palatini linea in Othone Henrico extincta, Deo ita ordinante, & Cæſare adiuuante, Electoratum Palatinum Princeps in Simmerenſem familiam intulit; & Eccleſiam à fermento humanorum commentorum de Euchariſtia, ac de perſona Chriſti, perpurgandam curauit.

Georgius, huius Friderici Pii, & Richardi frater, natus Anno 1514. nuptias cele-

celebrauit cum Eliſabetha, Haſſiæ Landgrauia, Gulielmi Senioris filia. Adoleſcens ſacris deſtinatus, tandem illis deſertis, doctrinam Evangelii agnouit, & conſtanter amplexus eſt. Militauit etiam Philippo Hiſpano: euocatus placide ex hoc mortali ſæculo, Anno 1569. ſepultus Simmeræ.

Richardus, Friderici Pii Electoris Palatini, & huius Georgii Ducis Simmerenſis frater, Iohannis II. filius tertiogenitus, Principatum Simmerenſem prudenter gubernauit; à Reformatarum vero Eccleſiarum religione fuit alieniſſimus, aduerſus quas minas ſæpe atroces ſpirauit. Mortuo Iohanne Caſimiro, Adminiſtratore Palatinatus fortiſſimo, Tutelam Electoralem ad ſe pertinere contendit. Verum cum Illuſtriſſimus Princeps Fridericus IV. pupillus, annum ætatis decimum octauum mox completurus eſſet; tutela mox egreſſus, & ſui iuris factus, gubernationem Electoratus Palatini, vigore Aureæ Bullæ, ipſe adiuit, & Richardum Palatinum Simmerenſem, patruum ſuum Magnum, Tutoris & curatoris munus ſibi deberi, ex aurea Bulla, & declarationibus à Sigiſmundo Imperatore datis, ſumma ope euincere conantem, citatis iiſdem Bullis & declarationi-

 bus,

bus, refutauit. Nihilominus Richardus Simmerius ſeu vi, ſeu aſtu, quaſdam Præfecturas in Electorali Palatinatu inuaſit, iamque res ad arma ſpectabant: ſed tandem interuentu aliorum Principum motus hi compoſiti ſunt, reſtitutis vltrò à Richardo, quas occupauerat, Præfecturis. Haud multò poſt Illuſtriſſimus Princeps Richardus, in oppido Simmerenſi aulæ ſedem habens, vitam cum morte commutauit, Anno 1598. menſe Ianuario, ætatis 73. Ex tribus Vxoribus: Iulia Widena, Wilhelmi Comitis; Æmilia Wirtembergica, Chriſtophori Ducis; & Anna Margaretha Palatina, Georgii Iohannis filia, nullam prolem reliquit. Itaque Simmerenſis ditio iure hæreditario rediit ad Sereniſſimum Principem Fridericum IV. Electorem Palatinum, glorioſæ recordationis, & ſic cum Septemuirali Ducatu poſtliminio eſt vnita; à quo poſt obitum Ruperti Romanorum Regis, Stephano Palatino Bipontino in portionem hæreditariam fuerat aſſignata.

DV-

DVCES BIPONTINI & COMITES VELDENTIANI.

Ludouicus, cognomento Niger, Stephani filius ſecundogenitus, Ruperti Romanorum Regis Nepos, lineam Bipontinam & Veldentianam propagauit. Cum Friderico Victorioſo Electore Palatino bella geſſit, ſed non ſine ſumma rerum ſuarum iactura. Naturæ conceſſit Anno 1489. die 19. Iulii, ſepultus Meiſenheimii. Vxorem habuit Gallicanam, Iohannam Croianam, quæ peperit ei hos liberos.

I. Dauidem, immatura morte extinctum.

II. Caſparum, natum anno 1458. qui ducta vxore Amalia, Alberti Achillis Marchionis Brandenburgici filia, cum eſſet impotens & inutilis ad generandum, teſticulos ſibi, Patre neſciente, fecit præſcindi. Vnde commota vxor ab eo diſceſſit, ad genitorem ſuum reuerſa. Dux vero Caſparus pro fatuo habitus, à fratre cuſtodiæ mancipatus eſt: mortuus Anno Domini 1481.

III. Alexandrum, de quo paulò poſt.

IV. Albertum, Epiſcopum Argentinenſem, mortuum Anno 1523.

V. Philippum, Canonicum Argentinenſem, qui deceſſit ex hac vita, Anno 1489. ſepultus Meiſenheimii.

VI. Iohannem, Canonicum Argentinenſem.

VII. Sampſonem, qui Anno Chriſti 1480. ætatis 6. die Aſcenſionis Domini, Biponti de turri præcipitatus, miſerrima morte periit.

Filiæ Ludouici Nigri, Ducis Bipontini.

I. Catharina Monialis, & Abbatiſſa Treuirenſis.

II. Margaretha, nupta Generoſo Comiti Philippo Naſſouio.

III. Eliſabetha, nupta primum Iohanni Comiti Solmenſi, Anno 1488. Meyſenheimii. Poſtea Iohanni Ludouico, Comiti Naſſouio, Saræponti.

IV. Iohanna Monialis.

V. Anna, Monialis Veſalienſis & Bopardiana, mortua Bopardiæ, Anno 1520.

Alexander, filius Ludouici Nigri, Nepos Stephani, pronepos Ruperti Romanorum Regis, natus Anno 1462. & fratri Caſparo captiuo ſuccedens, cum claudus ex morbo puſtularum, & valetudinarius, Ducatum Bipontinum gubernaſſet annos

nos XXV. ex hac vita migrauit Anno 1514 vltimo die Octobris. Sepultus Biponti in templo à ſe conſtructo. Bellum geſſit cum Philippo Electore Palatino, à Cæſare Maximiliano I. proſcripto. Ex coniuge Margaretha, Cratonis Comitis Hohenloenſis filia, procreauit hos filios.

I. Ludouicum; qui Patri ſuccedens, feces fermenti Papiſtici ex Eccleſiis Bipontinis, Iohannis Schvvebelii miniſterio, primus expurgauit, nihil moratus vicinorum Epiſcoporum minas.

II. Georgium, Canonicum Colonienſem & Treuirenſem.

III. Rupertum, à quo deſcendit linea Lützelſteinenſis.

Filiæ Alexandri, Ducis Bipontini:

I. Iohanna, nata 1499. Monialis Treuirenſis & Bopardiana. Denata Anno 1520.

II. Margaretha, Monialis Bopardiana, mortua Anno 1542.

III. Catharina, nupta Othoni Comiti Riedbergenſi.

Ludouicus, Alexandri filius, Ludouici Nigri Nepos, Princeps Marte togaque inſignis, Carolo V. Cæſari militans, Franciſcum Galliarum Regem ad Traiectum repreſſit: & pauciſſimis ſacri Ro-

mani Imperii Principibus exceptis, primus ferè inter aſſertores doctrinæ Evangelicæ extitit, eamq; per electum Dei organum, Iohannem Schvvebelium, repurgatam, ſerio ac magno zelo intrepidè amplexus eſt; quantumuis viciniores Epiſcopi, magnis inſultibus, minis & terroribus ſe oppoſuerint, atque ab inſtituta ſuarum Eccleſiarum prouincialium reformatione retrahere atque impedire omni ſtudio conati ſint. Vxorem duxit Eliſabetham, ex Landgrauiorum ſtirpe Illuſtriſſima prognatam, filiam Wilhelmi Senioris, quæ ſingulari quoque religionis ac pietatis zelo accenſa, tota deſiderio verbi Dei flagrabat. Annos natus vix XXX. in ipſo flore ætatis exſpirauit, Anno Domini 1532. Sepultus Biponti: ingenti ſui deſiderio, & vnico filio Wolfgango pupillo relicto: vnica item filia Chriſtina, quæ huic mundo valedixit, Anno 1534. humata itidem Biponti.

Wolfgangus, Ludouici filius, Alexandri Nepos, ab Illuſtriſſimis parentibus non vitam ſolummodo & ditionem mediocrem, ſed etiam ingenii virtutumque Heroicarum ſemina accepit. Patrem iuvenem; ipſe vix ingreſſus primam pueritiam, amiſit: poſt cuius obitum, ſapientis & pientiſſimæ Principis matris Eliſa-

bethæ,

bethæ, vt & Patrui Ruperti Tutoris, diſciplina, ad pietatem, & omnium virtutum Principi conuenientium officia excitatus & excultus eſt: præceptorem in ſtudiis literarum nactus M. Caſparum Glaſerum, virum integritate vitæ, doctrina & pietate inſignem. Adoleſcens ad Agnatum Palatinum, Fridericum II. Principem ſapientiſſimum, ſicut Achilles ad Chironem miſſus eſt, vt illius præceptis ac exemplis, in domeſtica conſuetudine, & deliberationibus, quibus adhibebatur, ad Reip. gubernationem præpararetur. Fridericus etiam Palatinus, vbi indolem adoleſcentis generoſiſſimam perſpexit, ſingulari beneuolentia eum deinceps toto vitæ tempore complexus eſt: ac poſtquam Sereniſſimo fratri Ludouico Pacifico in Electorali dignitati ſucceſſiſſet: huic agnato Principi Wolfgango iuueni adhuc, ſed ante annos curam gerenti, animoſque viriles, vices ſuas in ſuperiore Palatinatu Ambergæ regendo, commendauit: quod munus ille ſumma cum prudentiæ, iuſtitiæ & moderationis laude, vſque ad Friderici II. Septemuiri Palatini obitum, poſtea adminiſtrauit. Paternæ ad Bipontem prouinciæ gubernationem, ſuadente Friderico II. Electore Palatino, & volun-

tate patrui Ruperti Tutoris, plane adhuc adoleſcens, natus annos 18. Germania tum mediocriter adhuc pacata & tranquilla, ſuſceperat. Initio ſtatim Adminiſtrationis, grauiſſima deliberatione omnium ordinum decreuit, vt pia Euangelii doctrina, cuius ſemina ſub Patre Ludouico, & Ruperto Patruo, Tutore ſuo paſſim ſparſa erant, iuxta Confeſſionem Auguſtæ Carolo V. Imp. Anno 1530. exhibitam, vbique in Eccleſiis ſuæ ditionis æquabiliter ſine diſſenſione proponeretur. Poſtea etiam toto vitæ ſuæ curriculo nihil prius aut antiquius habuit illuſtratione gloriæ Dei, & Eccleſiarum ac Scholarum ſalutari conſtitutione: neque vllis ſumptibus in negociis ad veram religionem, & doctrinarum ſtudia pertinentibus, vnquam pepercit. Ardente bello Smalcaldico, victoreque Carolo V. Imperatore, fines eius tranſeunte, à ſemel recepta, & in Eccleſias ſuæ prouinciæ introducta ſincera Euangelii doctrina, dimoueri ſe minime paſſus eſt. Cum etiam non vnis literis à Cæſare vrgeretur, vt ab ea, quam hactenus profeſſus fuerat, religione diſcederet, & promulgato decreto religionis, quod vocarunt Interim, pareret: reſcripſit, ſe quidem inuulnerata conſcientia ipſi ſatisfacere non

poſſe,

poſſe, quod ad religionis mutationem attinet: alioquin paratiſſimum eſſe, more & exemplo maiorum, ſui cauſa nihil non facere. Si vero miniſtros ſolum vertere iubeat, quanquam id admodum graue ſit & ſibi & ſuæ ditionis populo, illos tamen mandatis eius obtemperaturos. Agitata ſunt deinde, obſidionis Magdeburgenſis tempore, inter aliquot Principes Germanię conſilia belli aduerſus Carolum V. Imp. tuendæ religionis, & liberandorum Principum captiuorum igitur, ſuſcipiendi: quibus ſe immiſcere noluit prudentiſſimus Princeps VVolfgangus, cum prioris belli ciuilis exitum infelicem & funeſtum meminiſſet: Henricum tamen II. Galliarum Regem, Principibus illis confœderatum, occupata Mediomatricum Vrbe, Bipontem cum exercitu venientem, ſplendide & reuerenter excepit, cum quidem ille omnia regia bonitatis & clemẽtiæ ſigna viciſſim oſtenderet. Poſteaquam vero Deo clementer gubernante optimorum & publicæ tranquillitatis amantiſſimorum Regum, Ferdinandi I. & Maximiliani II. interceſſorum ſapientia ac moderatione, intra ſemeſtre, finis bello impoſitus, & Pax religioni, libertas Germanico Imperio, & Principibus captiuis reditus ad

ſuos confectus eſſet: reſpirantibus in tota Germania Proteſtantium Eccleſiis: Princeps Palatinus VVolfgangus aurea quoque illa pace non ad ocium & voluptates Principe indignas, ſed ad ornandas ſuarum regionum Eccleſias, neruos iuſtitiæ ac pacis publicæ ſtabiliendos, & reliquias controuerſiarum, quæ ſocero Philippo Landgrauio, & aliis Principibus, ex fœdere Smalcaldico, & aliunde intendebantur, amicè placideque componendas, vſus eſt. Præter inferiores ſingulorum oppidorum & pagorum ludos literarios, in quibus legendi ac ſcribendi rationem, & initia Grammatices ac Catecheſeos pueri diſcerent; duas etiam ſuperiores Scholas, & Gymnaſia celebriora condidit; alterum Lauingæ ad Danubium, in Neoburgenſi Ducatu, quem partim ex titulo, partim ex donatione, à Sereniſſimo Electore Othone Henrico accepit: alterum in Bipontino ſuo Ducatu, Hörnbachiæ. Eruditorum & iuſtitiæ amantium Conſiliariorum familiaritate inprimis delectabatur, quos exemplo Alexandri Principis Romani, magno numero alere, & in deliberationibus ſingulorum ſententias attente audire ſolitus eſt. In publicis Imperii negociis & periculis conferebat pe-

cuniam,

cuniam, & milites officioſe mittebat aduerſus Turcas. Militauit ipſe Anno 1566. ſuis impenſis & ſtipendio, trecentos equites lectiſſimos in Hungariam ducens, vbi ad exitum belli vſque in ſtatione manſit. Cum vero in Gallia omnes ii, qui in Pontificis verba iurare nollent, ad necem quærerentur; Germanorum Principum Proteſtantium auxilium implorarunt. Horum precibus permotus Illuſtriſſimus Dux Bipontinus VVolfgangus, Germanos Ludouico Borbonio Principi Condæo (vt ante obitum efflagitarat) adduxit, cui Caſpar Colignius Amiralius, & alii Principes Galli obuiam properarunt, vt exciperent. Habebat ſecum VVolfgangus ſepties mille, & quingentos equites, & ſexies mille pedites. Sed in itinere ex laborum aſſiduitate, & calorum ac curarum æſtu, febri ardentiſſima correptus, Neſſunii, inter Ludouici Naſſouii Comitis manus, die vndecimo Iunii, placidè exſpirauit, Anno Domini 1569. ætatis quadrageſimo tertio. Corpus exenteratum ad Limouices in templo Vrbis Engoliſmorum depoſitum fuit. Vnde poſt biennium, ne qua ob religionis diſſidia contumelia afficeretur, Rupellas delatum; & pia coniugis ac filio-

rum cura, per ampliſſimos maris Gallici, Anglici, Germanici, & Cimbrici Cherſoneſi tractus, diuerſa fortuna iactatum, tandem portum Lubeccenſem appulit. Inde per Saxoniam, Haſſiam, & Rheni ripam deductum, die 23. Septembris, Anno 1571. Meyſenheimii in ſepulchro maiorum honorificè terræ mandatum eſt. Ex Illuſtriſſima coniuge Anna, Philippi Landgrauii Haſſiæ filia, ſuſcepit V. filios, & VII. filias.

Filii Wolfgangi, Ducis Bipontini.

I. Philippus Ludouicus, à quo linea Neoburgica moderna deſcendit.

II. Iohannes I. qui Patri in Ducatu Bipontino ſucceſſit.

III. Otho Henricus, natus Ambergæ, Anno 1551. 22. Iulii. Nuptias celebrauit cum Dorothea Maria Wirtembergica, Chriſtophori filia, 1582. Mortuus Sultzbaci, Anno 1604. d. 19. Aug. nullo hærede maſculo relicto.

IV. Fridericus, natus Meyſenheimii, Anno 1557. d. 11. Aprilis. Nuptias celebrauit cum Sophia Dorothea Lignicenſi, Henrici Principis filia. Obiit Fridenichsburgi, 1598. ſepultus Lauingæ.

V. Ca-

V. Carolus, à quo linea Birckenfeldenſis promanat.

Filiæ Wolffgangi, Ducis Bipontini.

I. Chriſtina, nata Biponti, an. 1546. d. 28. Februarii.

II. Dorothea Agnes, nata Ambergæ, anno 1551. die 16. Nouembr. denata & ſepulta ibidem, anno 1552.

III. Anna, nata Ambergæ, anno 1554. d. 2. Iulii, defuncta, 1576. d. 13. Nouembr. ſepulta Meyſenheimii.

IV. Eliſabetha, nata Ambergæ, anno 1555. d. 14. Iunii.

V. Barbara, nata Neoburgi ad Danubium, anno 1559. d. 27. Iulii: nupta Gothofredo, Comiti Oetingenſi, anno 1591.

VI. Maria Eliſabetha, nata Neoburgi ad Danubium, anno 1561. d. 4. Octobr. nupta Emichio, Comiti Leyningenſi, Iuniori, anno 1585.

VII. Suſanna, nata Neoburgi ad Danubium, anno 1564. d. 3. Octobris: denata anno 1565. d. 27. Iunii, ſepulta Lauingæ.

Iohannes ſenior, Wolffgangi Ducis Bipontini filius ſecundogenitus, natus

Meyſenheimii, anno 1550. d. 18. Maii gubernationem Ducatus Bipótini ſuſcepit anno 1570. Fuit ſingularis exempli Princeps, diuina ſapientia ſolide imbutus, exquiſita doctrina politiſſime excultus, iudicio acerrimo, ingenioq; excellenti, & memoria ſtupenda, vera deniq; & vitæ & fidei puritate inſigniter præditus. Reformatæ doctrinæ propagationem ſedulo promouit, & Eccleſiæ ædificationem, vt Zerubabel Chriſtianus, fortiter & conſtanter iuuit, ſeriamque animi ſui pietatem coram toto mundo teſtatus eſt, ēdito libello Catechetico, cui Præfationem præfixit ſua manu exaratam. In itineribus hoc ei fuit ſolenne, vt diebus iis, qui concionibus habendis deſtinati, viam nunquam ingrederetur, niſi audita prius concione, precibuſq; habitis. In ea porro ſtudia, quæ ſibi ab Hiſtoriis nomen aſciuerunt, quaſi in hortum amœniſſimum, ſumma cum oblectatione diuertere toto vitæ tempore cōſueuit: quin etiam Opus Genealogicum Illuſtriſ. Comitum Palatinorum, ab Antenoris Troianorum Principis proſapia, cōtinua ſucceſſionis ſerie, per Sicambrorum & Francorum Regū familias, ad Pharamundum, Carolum M. Othones, Schirenſem & Wittelsbacenſem, vſque ad Illuſtriſſimos Palatinos ad

Rhenum,

Rhenum Comites noſtri ſæculi, diuturno labore atque ſudore, per 2773. annorum ſpacium deduxit, & perfecit; totamq; adeo inclyti generis Palatini Genealogiam, à multis annis tanto ſtudio ac ſucceſſu indagauit, vt ſi quo humana ſagacitas peruenire poteſt, ſua penetrauerit, nec quicquam in ampliſſimo illo campo tam ſit abſtruſum, reconditum, & inexplicabile, quod non repertum & euolutum, animo complexus; digitis ſuis cognitius promptiuſq; habuerit. Præter pietatis & Hiſtoriarum ſtudium, eiuſdem Celſitudinis prudentia, moderatio, temperantia, clementia, beneficentia, liberalitas erga benemeritos, cæteræque virtutes plane heroicæ ita notæ ſunt; vt non, qui eas laudes, aſſentator; ſed qui eas nō laudet, maleuolus & inuidus iure pronunciandus ſit. Cum vero in Ducatus Bipontini ſolio Rempublicam 29. annos feliciter adminiſtraſſet, placide in Domino obdormiuit, & hanc fragilem vitam cum cœleſti commutauit, anno 1604. 12. Auguſti, Germersheimii in Palatinatu, quo ad Sereniſſimum Electorem Palatinum Fridericum IV. negociorum quorundam gratia profectus fuerat. Princeps pius, Sapiens, Doctus, Eccleſiarum ac Scholarum nutricius munificentiſſimus. Corpus

eius inde ad Tabernas Montanas delatum, in Templo ibi collocatum permanſit, vſque ad 24. diem Ianuarii, anni 1606. Inde Bipontum translatum; die 25. Ianuarii, ſolenni pompa, terræ mandatum fuit. Ex Illuſtriſſima coniuge Magdalena, Iohannis Gulielmi, vltimi ſuæ familiæ Ducis Iuliacenſis, Cliuenſis & Bergenſis, ſorore tertia, ſex filios, & ſex filias progenuit.

Filii Iohannis Senioris, Ducis Bipontini.

I. Ludouicus Gulielmus, natus Biponti, anno 1580. d. 28. Nouemb. denatus & ſepultus ibidem anno 1581.

II. Iohannes II. natus Tabernis Montanis, anno Chriſti 1584. d. 26. Martii, Electoralis Palatinatus pro tempore Adminiſtrator digniſſimus & meritiſſimus: hodie Ducatus Bipontini habenas, in decumanis hiſce Germanici belli fluctibus, feliciter gubernat, magno piorum ſubditorum, & multorum exulantium Palatinorum gaudio, quos ob conſtantem veritatis Evangelicæ profeſſionem, patria eiectos, clementiſſime recepit, & liberaliter ſubleuauit. Erit fortaſſe, vt alias plura de tam pientiſſimo Principe ſcribamus;

mus: quem vt Deus Opt. Max. omni incolumitate florentem, & diutiſſime patriæ afflictæ ſuperſtitem, cum tota Illuſtriſſima familia Palatina, conſeruare dignetur, toto pectore optamus, & humili corde precamur.

III. Fridericus Caſimirus, natus Biponti, anno 1585. 10. Iunii, qui anno 1516. matrimonio ſibi iunxit Ameliam, Arauſionenſis Principis Gulielmi filiam.

IV. Filius quidam N. N. natus, & ex hac mortali vita ſubito auocatus Heidelbergæ anno 1588.

V. Iohannes Caſimirus, natus Biponti anno 1589. d. 12. Aprilis; anno 1615. die 11. Iunii Stockholmiæ nuptias celebrauit cum Catharina, Caroli, Regis Sueciæ, filia; Sereniſſimi & Inuictiſſimi moderni Regis Guſtaui Adolphi, Germanicæ libertatis, & Euangelicæ Religionis vindicis glorioſiſſimi, ſorore.

VI. Filius quidam N. N. natus, & mortuus Biponti, anno 1593. die 18. Septembris.

Filiæ Iohannis Senioris, Ducis Bipontini.

I. Maria Eliſabetha, nata Biponti, anno 1581. die 7. Novembr. nupta eſt Illuluſtriſſimo Principi, Georgio Guſtauo

Pala-

Palatino, Comiti Veldentiano, an.1601. d.18.Maii.

II. Anna Magdalena, nata Biponti anno 1583.d.1.Ianuarii, denata eodem anno & menſe.

III. Eliſabetha Dorothea, nata anno 1586.d.16.Iulii: denata anno 1593.23.Novemb.ſepulta Biponti.

IV. Filia quædam N.N. nata & denata eodem die 7.Iunii, anno 1590.

V. Amelia Iacobæa, nata Biponti, anno 1592.18.Septembr.

VI. Anna Catharina, nata Biponti, anno 1597.d.22.Iulii, eiuſdem anni menſe Novembri diem ſuum obiit.

PRINCIPES NEOBVRGICI.

Philippus Ludouicus, Wolfgangi Palatini Comitis, Ducis Bipontini, filius primogenitus, natus Biponti anno 1547. d.2.Octobris, ad principatus Neoburgici promotus eſt adminiſtrationem, anno 1560. Vixit annos LXVI. menſes X. dies X in hoc miſerabili ſæculo. In cœleſtem patriam migrauit, anno 1614. die 12. Auguſti: humatus honorifice Lauingæ, in templo arcis; ſubditis triſte ſui deſiderium reliquit. Condito Teſtamento, Du-

ccm

cem Wirtembergicum, & Marchionem Durlacenſem executores eius conſtituit. Ex Illuſtriſſima coniuge Anna Iuliaca, Ioannis Gulielmi ſorore ſecunda, quatuor filios, & tres filias ſuſcepit.

Filii Philippi Ludouici, Principis Neoburgici.

I. Wolffgangus Gulielmus, natus anno 1578. qui defuncto Iohanne Gulielmo, vltimo huius familiæ Duce Iuliacenſi, Cliuenſi, & Bergenſi: partem Ducatus iſtius obtinuit: & anno 1613. nuptias celebrauit cum Magdalena, Gulielmi Bauariæ Ducis filia: nec multo poſt, 15. Maii, anni ſequentis 1614. in Põtificiorum caſtra tranſcendens, neglecta Auguſtana Confeſſione, Romano-Catholicam Religionem amplexus eſt, & Miſſa in Parochiali Templo Düſſeldorpienſi magna ſolennitate celebrata, Euchariſtiæ Sacramentum, cum coniuge ſua, more Pontificio, accepit.

II. Otho Henricus, natus anno 1580. in cunis extinctus eſt.

III. Auguſtus, natus anno 1582. Sultzbaci hodie rerum potitur, & Auguſtanam Confeſſionem contra Pontificiorum machinas defendere pergit.

IV. Io-

IV. Iohannes Fridericus, natus anno 1587.

Filiæ Philippi Ludouici, Principis Neoburgici.

I. Anna Maria, nata Neoburgi ad Iſtrum, anno 1575. quæ poſtea vixit in coniugio Friderici Gulielmi Saxoniæ Ducis, & Electoratus illius Adminiſtratoris.

II. Dorothea Sabina, nata anno 1576.

III. Amelia Hedvviga, nata 1584.

PRINCIPES LVTZELSTEINENSES.

Rupertus, filius Alexandri, Nepos Ludouici Nigri, Ducatum Bipontinum, mortuo Ludouico, Wolffgangi Patre, Tutorio nomine ad tempus adminiſtrauit; & lineam Lützelſteinenſium Principum propagauit, euocatus ex hac vita, anno 1544. Vxorem habuit Vrſulam, Comitiſſam Syluestrem, & Rhenanam: ex qua ſuſceptus eſt Georgius Iohannes, qui vitæ mortalis curriculum abſoluit anno 1592. Princeps pius & doctus. Vrbem Lützelſteinam auxit & illuſtrauit, ac nouum inſuper oppidum Pfaltzburg condidit. Reliquit ex Anna Maria, Sereniſſimi

niſſimi Guſtaui Regis Sueciæ filia, quatuor filios: Georgium Guſtauum, Iohannem Auguſtum Ludouicum Philippum, Georgium Iohannem; & filiam Vrſulam, Ludouici Ducis Wirtembergenſis Coniugem ſecundam.

Georgius Guſtauus, Ruperti Nepos, filius Georgii Iohannis primogenitus, anno 1587. nuptias celebrauit I. cum Eliſabetha Würtembergica, Chriſtophori Ducis filia, vidua Georgii Erneſti, Hennebergici Principis. II. Anno 1601. die 18. Maii cum Maria Eliſabetha, Illuſtriſſimi Principis Iohannis Senioris, Ducis Bipontini filia, quæ quatuor itidem liberorum eum parentem fecit. I. Magdalenæ. II. Iohannis Friderici. III. Caroli Ludouici, qui, ſub ſignis Inuictiſſimi Regis Sueciæ Guſtaui Adolphi, fortiſſime pro patria dimicans, nuper glorioſa morte occubuit. IV. Sophiæ.

Iohannes Auguſtus, Georgii Iohannis filius, Georgii Guſtaui frater, qui anno 1599. nuptias celebrauit cum Anna Eliſabetha Palatina, Friderici III Pii Electoris filia; viduata à Philippo II. Haſſiæ Landgrauio: Philippi I. Filio, rebus humanis eſt exemptus anno 1611.

Ludouicus Philippus, dum anno 1601. frequens Nobilitas Heidelbergæ haſtiludiis

ludiis ſeſe exercet, feſtuca confractæ lanceæ per apertam caſſidem in oculum impacta vulneratus, immatura morte ſua hilaritatem illam turbauit.

Georgio Iohanni, ex Suſanna, Othonis Henrici Comitis Palatini filia, natus eſt Georgius Otho.

PRINCIPES BIRCKENfeldenſes.

Carolus, Wolffgangi Ducis Bipontini filius natu minimus, à quo linea Birckenfeldenſis promanat, natus eſt anno Domini 1560. d. 4. Decembris, Neoburgi ad Danubium. Ab ineunte adoleſcentia liberalis & elegantis doctrinę adeo inflammatus, vt quod tempus ſui ordinis homines in ludos & voluptates conferre ſolēt, ipſe ſtudiis literarum tribuerit, in quibus eos fecit progreſſus, eaque exhibuit virtutis documenta, vt Ornatiſſimus Inclitæ Academiæ Heidelbergenſis Senatus Rectoratum Vniuerſitatis vltro ei obtulerit anno 1580. Pſalmorum Dauidis librum integrum, vnico illo longiſſimo 119. excepto, memoriter recitare potuit. Aliis quoque virtutibus præditus fuit, quas in gubernatore pio & ſapiente merito ſuſpicimus ac veneramur. Harum egregia docu-

documenta dedit non in domeſtica ſolum vitæ conſuetudine, quæ fuit plena integritatis ac ſāctimoniæ; ſed in publica quoq; Reip. adminiſtratione, vbi ſatis apparuit, Celſitudinis ipſius cogitationes, conſilia & actiones omnes directas fuiſſe, ad propagandam gloriam nominis diuini, ad patriæ commoda iuuanda, & tutādam ciuium populorumq; ſalutem & trāquillitatem. Cum vero Birckenfeldenſem Principatum iam inde ab anno 1586. laudabiliter gubernaſſet, placide in Domino obdormiuit, anno 1600. d. 6. Decembris, ſepultus Meyſenheimii in tumulo maiorum. Vxorem habuit Dorotheam Brunſuicenſem & Luneburgenſem, Gulielmi filiam, quę ipſi genuit hos liberos. I. Georgium Wilhelmum: II. Sophiam, Illuſtris Comitis Hohenloenſis Cratonis coniugem. III. Fridericum IV. Chriſtianum. Faxit Deus Opt. Max. vt Illuſtriſſimi hi Principes, Comites Palatini ad Rhenum, & Duces Bauariæ, florenti rerum ac regionum ſuarum ſtatu, felices viuant annos multos, cum lætiſſima ſpe poſteritatis etiam felices ad longæuitatem propagatæ; propter gloriam nominis diuini, & hominum ſalutem.

ELE-

ELECTORES PALATINI ad Rhenum:

Qui poſt Rupertum, Romanorum Regem, Electoralem gubernationem ſuſtinuerunt, & adminiſtrarunt.

IX. LVDOVICVS BARBATVS, alias dictus pius & Cæcus.

Ludouicus Barbatus, Cognomento pius, Vicariatum Imperialem in tractu Rhenenſi, & Francia Orientali, Sueuiaq; vniuerſa, cum laude & patriæ magno bono geſſit: cum Rupertus Romanorum Rex, pater eius, exercitum in rebellem Inſubriam duceret, anno Domini 1401. Tunc enim filio ſuo gubernationem in terris Teutoniæ, cum certo modo, quid & quatenus ipſi licere debeat, proficiſcēs commendauit, ordinibuſque Imperii id denunciauit, eique interea parere, & inter ſe pacem tenere iuſſit. Qui etiam abſente patre Ruperto, inter alia negotia rite geſta, diuerſis Imperii principibus, Comitibus, ciuitatibus, & ingenuis feuda Imperii conceſſit, fidem pro Rege ab eis accepit, priuilegiaque eis confirmauit. Sublato è viuis Ruperto Romanorum Rege, cum quatuor eius filii ſuperſtites, Ludo-

Ludouicus, Iohannes, Stephanus, & Otho Superioris & Inferioris Palatinatus regiones diuiſiſſent: Heidelberga & Electoralis dignitas Ludouico huic Barbato ceu primogenito attributa eſt, Principi domi militiæque inclyto. Ita enim obtinuit, vt primogenitus ſemper, (ſecundum eum, quem Aurea Bulla præſcripſit, aut potius confirmauit, modum) cum potiſſima ditionis parte Electoratum etiam Imperii obtineret. Idem Ludouicus Barbatus, Elector Palatinus, in Palæſtinam ſeu terram ſanctam profectus, ibidem militauit. Teutonicorum Ordini in Pruſſia auxiliares adduxit copias. Comiti item Videmontano contra Lotharingos opem tulit, miſſis in eius auxilium ſelectiſſimis quibuſvis, qui tamen miſeranda, leuium Gallorum quorundam ſiue fuga, ſiue proditione, circũuenti, omnes occubuere. In bello, quod aduerſus Archiepiſcopum Moguntinum, & Bernhardum Margrauium Badenſem geſſit, ita Academiæ Heidelbergenſi proſpexit, vt nihilominus florere literarum ſtudia poſſent. In Concilio Conſtantienſi Præſes, iuſſu Sigiſmundi Imperatoris, inſignes illos Dei famulos & martyres, Iohannem Huſſum, & Hieronymum Pragenſem, lictoribus tradi-

dit comburendos. Cuius quidem execu-
tionis & officii, vtvt ab erroris ſuis igna-
ro obitam neceſſitatem, pronepos eius
Otho Henricus, Elector Palatinus, ita
deploraſſe fertur, vt cum in reliquis vitæ
huius commodis ſuauiſſimum fructum
ingenti cum laude à ſe inchoatæ Refor-
mationis, & ſuperſtitionum Romana-
rum abolitionis, à diuina benedictione
experiretur, illorumque meritorum con-
ſcientia ſæpe ſe conſolaretur; aliter ta-
men ſecum non poſſet ſtatuere, quam e-
normis illius Conſtantienſis ſupplicii vl-
tionem, (ſecundum Decalogi, peccato-
rum paternorum vindictam, ad quartam
vſque progeniem, communicantis, ſen-
tentiam) ad ſe vſque pertingere, cauſam-
que eſſe à zelote Deo precibus ſuis, ne in
ea ſtemmatis palatini linea, è quâ primus
Fidei Reformator ipſe extitiſſet, vltimus
recenſeretur, tam fortiter denegatorum
liberorum. Cum in eodem Concilio Cō-
ſtantienſi Ludouicus Barbatus, Elector
Palatinus, Imperatorem Sigiſmundum
ſæpius conqueri audiuiſſet, nullum ex
Imperii Septemuiris Politicis Latinæ
linguæ peritum eſſe; domum reuerſus,
grauiter negligentiam primæ ætatis ſuæ
deplorauit, & ſeneſcens iam Latinas lite-
ras diſcere cœpit: quod etiam Auguſtum
Saxo-

Saxoniæ Electorem, & Eberhardum Ducem Wirtembergicum feciſſe legimus. Balthaſarem Coſſam, in ſchiſmate Iohannem PP. XXIII. dictum, à Concilio Conſtantienſi depoſitum intercepit, & Heidelbergæ primum, dein Manheimii in triennali carcere detinuit: nullis ei aſſiſtentibus famulis, niſi ſolis Germanis, Latinæ & Italicæ linguæ ignaris: quibuſcum Iohannes Pontifex nutu & ſignis loquebatur, cum nec ipſe linguam Teutonicam calleret. In illo carcere Manheimenſi Pontifex tales verſiculos compoſuiſſe dicitur:

Qui modo ſummus eram, gaudens & nomine Præſul,
Triſtis & abiectus nunc mea fata gemo.
Excelſus ſolio nuper verſabar in alto,
Cunctaque gens pedibus oſcula prona dabat:
Nunc ego pœnarum fundo deuoluor in imo,
Vultum deformem quemque videre piget.
Omnibus in terris aurum mihi ſponte ferebant,
Sed nec gaza iuuat, nec quis amicus adeſt.
Sic varians Fortuna vices aduerſa ſecundis
Subdit, & ambiguo nomine ludit atrox.

Tandem Ludouicus Barbatus, Elector Palatinus, ſenio multo confectus, cœcus euaſit, vnde & cœci cognomen inuenit. Diem ſuum obiit anno Chriſti 1436. penultima Decembris, ac poſtridie ſepultus Heidelbergæ in choro regali Eccleſiæ ad Spiritum ſanctum, vbi in chori teſtudine tale eius legitur monumentum:

RVPERTVS ROMANORVM REX. HVIVS CHORI ET COLLEGII FVNDATOR.
ELISABETHA REGINA ROMANORVM.
LVDOVICVS COMES PALATINVS. REGIS FILIVS. HVIVS. COLLEGII CONSVMMATOR.
DOMINA. PLANCHIA. FILIA. REGIS. ANGLIÆ. VXOR. EIVS.

Fratrem ſuum Iuniorem omnium, ſiue vltimogenitum, Othonem Mosbacenſem, filiorum ſuorum Tutorem conſtituit: Iohanne Duce Bauariæ, & Stephano Duce Simmerenſi, fratribus ſuis proximioribus, poſthabitis. Inde recte colligimus, Tutelam Electoralem in familia Palatina proximiori Agnato Electorali ſic ſimpliciter Nodo Gordio connexam, vel ſub eodem cum ſucceſſione Electorali vexillo comprehenſam: vel, ſi ita loqui volu-

volumus, adplumbatam, aut ferruminatam neceſſario non eſſe; quin poſſint Sereniſſimi Electores Palatini Teſtamento ſuo proximiorem fratrem vel adgnatum, remotiori fratri vel adgnato poſtponere.

Ex Blanca coniuge, Henrici IV. Regis Angliæ filia, genuit Rupertum, cognomento Anglum, natum anno 1406. denatum anno 1426. Altera eius coniux fuit Mechtildis, Ludouici Sabaudiæ & Pedemontium principis filia; cuius Epitaphium Heidelbergæ in choro Templi ad Spiritum S. tale conſpicitur:

ANNO. DOMINI. MCCCCXXXVIII. PRIDIE. IDVS. MENSIS. MAII. OBIIT. ILLVTRISS. PRINCIPISSA. DOMINA. MECHTILDIS. DE. SABAVDIA. CONTHORALIS. ILLVSTRISSIMI. PRINCIPIS. ET. DOMINI. LVDOVICI. COMITIS. PALATINI. RENI. ET. BAVARIE. DVCIS. CVIVS. ANIMA. REQVIESCAT. IN. PACE AMEN.

Ex hac genuit tres filios. I. Ludouicum Manſuetum. II. Frider. Victorioſum. III. Rupertum. Tres item filias: quarum vna Gandaui fuit Monialis: altera ſimiliter fuit monacha Coloniæ: tertia primo nupſit Comiti Wirtembergico: poſtea Alberto, Auſtriæ Archiduci, Frid. III. Imp. fratri.

Ludouicus Placidus, ſeu Manſuetus, cum eſſet natus anno 1424. & poſtea anno 1436. in tutelam Ducis Othonis Moſbacenſis, patrui ſui, veniſſet, annum ætatis XVIII. aſſecutus, è tutoris ſui manibus, Electoratum & Principatum pariter accepit, & à Friderico III. Romanorum Imper. ſolenniter inueſtitus fuit.

Fridericus Victorioſus, felicibus bellis rebuſque bene geſtis inclytus, defuncto fratre Ludouico Manſueto, Nepotem Philippum adoptauit, & exinde Electoralem dignitatem aſſecutus eſt.

Rupertus, Dux Bauariæ, Ludouici Manſueti, & Friderici Victorioſi frater, anno Domini 1463. electus eſt totius Canonicorum ac Nobilitatis Senatus ſuffragiis, Archiepiſcopus Colonienſis: Princeps generis, animi, ingeniique virtute ac nobilitate clariſſimus. Præfuit varie ac tumultuarie annis 16. Cum Capitularibus ſuis ſimultates exercere cœpit, anno 1472. qui Hermannum Landgrauium Haſſiæ Gubernatorem totius prouinciæ conſtituerunt. Rupertus à partibus ſuis habuit Fridericum Victorioſum fratrem ſuum, & Carolum Audacem ſeu Bellatorem, Burgundiæ Ducem potentiſſimum, Caroli Quinti Imp. proauum. Vires tamen Ruperti paulatim decreſce-

creſcebant, & Hermanno, Haſſiæ Landgrauio, tota prouincia Colonienſis paulatim ceſſit. Poſt depoſitionem Ruperto Palatino ſatis honeſta erat aſſignata pro ſuſtentatione portio, qua cum non eſſet contentus, in ſuperiori Germania exulabat, mortuus anno Domini 1480. Delatus Bonnam, ac in D. Caſſii Monaſterio ſepultus. Eius Epitaphium apud Mauſoleum tale eſt:

ANNO. DOMINI. MCCCCLXXX. XVI. MENSIS. IVLII. OBIIT. REVERENDISSIMVS. IN. CHRISTO. PATER. ET. DOMINVS. DOMINVS. RVPERTVS. ARCHIEPISCOPVS. COLONIENSIS. CVIVS. ANIMA. REQVIESCAT. FELICITER. AMEN.

TVTOR ET ADMINISTRATOR Electoralis Palatinatus.

Otho Mosbacenſis.

Otho Mosbacenſis, Tutor Teſtamentarius, frater Ludouici Barbati, Electoris palatini natu minimus, defuncto illo, à Sigiſmundo Imp. incontinenti ad tutelam admiſſus eſt. Interfuit duorum Regum Romanorum electioni, Alberti II. & Friderici III. E pupillis ſuis, Ludouicum primogenitum, ad Electoratus ſucceſſionem; Fridericum I. Martis pullum,

 ad

ad bellicæ rei gloriam: Rupertum, ad Archiepiſcopatum Colonienſem educauit & prouexit. Cum vero Ludouicus pupillus annum XVIII. expleſſet, tota adminiſtratione ſua Electoratus, & vtriuſque prouinciæ Palatinæ vltro deceſſit, eamque adulto Ludouico Manſueto, & iam ipſo iure Electori facto, totaliter reſtituit & aſſignauit, ANNO DOMINI 1442.

X. LVDOVICVS PLACIDVS, ſeu Manſuetus.

Ludouicus igitur Iunior, cognomento Placidus ſeu Manſuetus, Ludouici Barbati filius primogenitus, Ruperti Romanorum Regis Nepos, cum legitimæ ſuæ ætatis terminum aſſecutus fuiſſet, & compleſſet integre annos XVIII. plenæ pubertatis; finita tutela patrui ſui Othonis Mosbacenſis, aſſumpſit ipſe regimen Domini ſui, anno 1442. & in Vrbe Aquiſgrano à Friderico III. Auſtriaco, tunc Romanorum Rege, pleniſſimam Inueſtituram Electoratus, Archidapiferiæ, & Comitatus Palatini accepit: Elector Palatinus è domo Bauarica in ordine decimus: Princeps Dei, iuſtitiæ, paciſque ſtudioſiſſimus, mitis præterea & affabilis, vnde

vnde inanſueti ſeu placidi cognomentum ſortitus eſt. Aduerſus Ludouicum Delphinum Viennenſem, primogenitum Regis Franciæ, multas Alſatiæ ciuitates occupantem, bellum ſuſcepit, anno 1444. Academiam Heidelbergenſem, more maiorum, ſummo amore & ſtudio proſecutus eſt. Sed non diu frui potuit tam placido Electore Reſpublica; & Academia palatina tam benigno Mæcenate: quippe anno Domini 1449. a. d. 13. Auguſti, Wormatiæ per mortem præmature bonis omnibus ereptus, poſtridie Heidelbergæ in choro regali Eccleſiæ Spiritus S. ſepultus eſt, vbi tale eius Monumentum poſitum vidi:

ANNO. DOMINI. MCCCCXLIX. DIE. HIPPOLYTI. MRIS. O. ILLVSTRIS. PRINCEPS. DNVS. LVDOVICVS, IVNIOR. COMES. PALATINVS. RENI. SACRI. ROMANI. IMPERII. ARCHIDAPIFER. PRINCEPS. ET. ELECTOR. BAVARIÆ. DVX. CVIVS. A. R. IN. PACE.

Vitæ ſociam ſibi adſciuerat Dn. Margaretham, Ludouici Siciliæ Regis relictam viduam, filiam Amedæi, Ducis Sab-

 audiæ,

audiæ, qui à Concilio Baſilienſi in Papam electus fuit, Felix dictus. Ex hac genuit filium poſthumum Philippum, cognomento Ingenuum, qui poſt obitum patrui Friderici I. Victorioſi, Electoratum & principatum Palatinum pariter adeptus eſt: Vnicam item filiam Mechtildem, ſororem Philippi Electoris; quę primo Ludouico Wirtembergico Comiti, deinde Alberto VI. Exarcho Auſtriaco nupſit. Poſt aliquot annos Margaretha, vidua Ludouici Placidi Electoris mulier adhuc iuuenis, ſpe (vt credit Nauclerus) prolificandi, in tertium matrimonium conſenſit, & ſic thoro iuncta eſt Illuſtri Comiti Wirtembergico Vlrico: quod matrimonium poſtea ſeminarium fuit ingentium malorum.

XI. Fridericus I. Victorioſus, vulgo der böſe Fritz.

Fridericus I. Ludouici Barbati filius, Ruperti Clementis, Romanorum Regis, Nepos, ob felices in bellis gerendis ſucceſſus, Victorioſus cognominatus, vulgo der böſe Fritz / natus anno 1425. poſt obitum fratris Ludouici Manſueti, Philippi Nepotis infantis Tutelam ſuſcepit anno 1449. ætatis ſuæ 24. Ratus autem, quod

res

res eſt, ſtirpis gloriam per ſe ad principatum laudabilem haud ſufficere, niſi propria quoque ſuffragetur virtus: Virtutis ille viam ab ineunte ingreſſus ætate, ad ſumma quæque contendit, & penſitatis inimicorum viribus, hoc egit vnice, ne iuxta tenorem Aureæ Bullæ ſuſceptam Electoratus Adminiſtrationem deponere cogeretur, finito legibus præſcripto annorum curriculo. Inuenit igitur remedium, quo ſimul prouinciæ & ſibi conſuleretur. Anno enim 1454. Philippum, Electoratus hæredem, ſolenniter in filium adoptauit, & vnicum vtriuſq; principat⁹ hæredem dixit, ſeipſum exinde Electorem Imperii ſcripſit; cœlibatum tamen perpetuum promiſit, ne arrogato filio Philippo præiudicium faceret. Reclamauit Cæſar Frideric. III. aureæ Bullæ fraudem ſic fieri, non ferendam hanc calliditatem exemplo pernicioſam, & ad ſubuertendum ius Regni excogitatam. Verum Fridericus Palatinus Nicolai Pontificis authoritate ſubnixus, id genus adoptionis confirmantis, matris inſuper Margarethæ Sabaudæ conſenſu, & ex pacto conuento cum omnibus procerib. Palatinis, vſque ad extremum vitæ ſpiritũ, Elector Palatinus permanſit & à reliquis Imperii Septemviris vti Elector ſalutat⁹,

in Collegium eorum receptus eſt: eiuſdem etiam legati, vti Electorales, ad Comitia Imperii, & actus Collegii Electoralis admiſſi fuerunt. Quin etiam, vti Elector Palatinus, annis 1463. & 1468. Vicarius Imperii fuiſſe perhibetur. Bella geſſit aſſidua, & ea feliciſſime, circiter annos XXVI. aut plures: & conſtans fama eſt, intra trecentos annos Germaniam bellicoſiorem Principem non habuiſſe. Comitatum Lützelſteinenſem ſuo dominio ſubiecit. Ludouicum Nigrum, Ducem Bipontinum, & Comitem Veldentianum, qui Palatinatum ferro & igne deuaſtauerat, eò redegit, vt pacem aliquoties petere ſit coactus. Richardum de Homburg, virum inquietum, qui & ipſe Palatinatum Rhenanum variis incurſionibus fatigabat, eo redegit, vt amplius nocere non potuerit. Sed & domi res inquietas ſumma prudentia & æquanimitate ſedauit. Ambergenſes ſeditioſos, qui fidelitatis iuramentum præſtare recuſabant, compeſcuit, & ad iuſtam obedientiam adegit. In Palatinatum inferiorem reuerſus, latronum latibula & receptacula ſolo æquauit, & itinera viatoribus tutiſſima fecit. Epiſcopũ Spirenſ. Io. Entzẽbergenſem, qui cognomẽto Nix dicebat, debel-

debellauit. Leiningenſes Comites ſubiugauit. *Præter* has victorias, illa memoranda fertur præ reliquis, quam obtinuit Anno Chriſti 1462. ipſis Kal. Iulii. Erat tunc *Pontifex* Romanus Æneas Sylvius; *Pius* II. dictus, qui à Diethero Iſenburgio Archiepiſcopo Moguntino poſtularat; vt obligaret ſe, nullum deinceps *Præſulem* Moguntinum conuocaturum eſſe Electores Imperii, niſi conſulto & aſſentiente Romano *Pontifice*. Ita enim aſtute authoritatem Septemvirorũ languefacere, & ad ipſos *Pontifices* Romanos transferre conabatur. Id cum facere recuſaret Dietherus Iſenburgius, à Papa fulmine ex Epiſcopatu excuſſus eſt, & in eius locum ſuffectus Adolphus Comes Naſſouius, qui totum triennium pro Archiepiſcopatu cum Diethero lites continuauit. Vterque adiutores inuenit. Dietherus Iſenburgius quidem Fridericum Victorioſum, *Palatinum* Rheni Septemvirum; & Ludouicum Bauariæ Ducem, cognomento Diuitem: Adolphus vero Naſſouius; Ludouicum Nigrum, Ducem Bipontinum, & Comitem Veldentianum; Albertum Marchionem Brandenburgicum, Carolum Marchionem Badenſem, huiuſque fratrem Georgium, Epiſcopum Mediomatricum; & Vdalri-

cum Comitem Wirtembergicum, à voce, qua ſæpe vtebatur, Nieſvvurtz cognominatum. Hi contra libertatem Imperii, Pontificum tyrannidem armis propugnabant. Adolphi quoque partibus fauit Cæſar Fridericus III. & Pontifex Æneas Syluius: vterque Fridericum Palatinum odit: aduerſus quem Pontifex etiam Carolum Audacem, Burgundiæ Ducem, incitare conatus eſt. Verum enimuero Fridericus Palatinus Victorioſus Elector, nihil veritus anathematis Pontificii aut Imperatorii terriculamenta, Dietherum Archiepiſcopum Moguntinum, proſpero ſucceſſu ſtrenuè defendit: principatum etiam ſuum per circuitum muniuit, & huic rei ſpeculam illam Heidelbergæ, in latere montis Geisbergi poſitam, latè vndiquaque proſpectantem, quam vocabat Trutʒ Käyſer / militari opere in vſum bellicum excitauit. Adiuuit Deus Friderici Palatini conatus in cauſa Dietheri, vt quanquam longè inferior eſſet numero militum, & apparatu bellico, tamen hoſtes contemptu quodam audacius irruentes, non ſemel fortiter exciperet ac profligaret. Tandem prælium atrox, inter anguſtias Rheni & Nicri commiſſum eſt, Anno 1462. ipſis Kalendis Iul, victorque euaſit Fride-
ricus

ricus Palatinus, cum ferox, & nil niſi Martem ſpirans, etiam cæſo equo, in quo ſedebat, in pedes erectus, certamen inſtauraſſet, neque ſe victum fateri voluiſſet, niſi vulneratus, aut trucidatus. In eo conflictu multi Generoſi Comites, & Nobiles occubuerunt. Capti tres Principes, Pontificis propugnatores: Carolus Marchio Badenſis, eiuſque frater Georgius, Epiſcopus Mediomatricum, & Vdalricus Comes Wirtembergicus, præter alios Nobiles atque ignobiles fermè quingentos. Reliqui, quos Martis vis haud perculit, fuga ſalutem quęſiuerunt. Acta ſunt hæc in campo latiſſimo, iuxta villam Seckenheim, olim Sigenheim dictam, ſuper flumine Nicro, in pago Lobodunenſi ſitam: quos campos eundem locum eſſe aiunt, vbi Gratianus Imperator olim Germana agmina fudit, & vltra Nicrum fluuium repulit, vbi tum oppidum habebant Lobodunum, Auſonio teſte, quod hodiernum eſſe Ladenburgum creditur. Inde loco & villæ ab inſigni victoria factum nomen Sigenheim, veluti Nicopoli aut Niceæ: qui locus poſtea hac eximia Friderici Palatini victoria æternum nobilitatus eſt: cuius ibi in agro pręlii conſcio crux lapidea erecta viſitur cum tali inſcriptione:

Als

Als man zahlt nach GOttes Geburt/MCCCCLXII. ſeynd auff dieſer Wallſtadt / auff S. Paulus Gedåchtnuß Tag/ durch Hertzog Friederich / Pfaltzgraffen bey Rheyn/ vnnd Churfürſten / niedergeworffen worden / Herr Georg Biſchoff zu Metz/ Marggraff Carl von Baden / vnd Graff Vlrich von Wirtenberg / mit einer mercklichen Zahl ihrer Diener/ Graffen/ Herren/ vnd Knecht; Vnd denſelben / die in ſolchem Geſchåffte todt blieben ſeynd / wolle GOtt barmhertzig ſeyn.

Iuuat quoque apponere elegans illud Eteoſtichon Teutonicum:

Als ein A mit eim I gezieret/
Vier Hufeiſen warden formiret/
Ein Axt vnd der Apoſtel Zahl/
Geſchach die Schlacht am Necker-
thal/
Da ſchlug vnd fieng ein junger Pfäl-
tzer/
Ein Bader/ Jåger / vnd Sålzer/

Frie-

Friederich der Siegreiche wolgenañt/
Der Chur Pfaltz zier durch alle Land.

MCCCCLXII

Hoc tum bello Fridericus Victorioſus Electoratui Palatino quatuor in longitudinem miliarium, (à ſede Moguntina, cuius dignitatem ac iura contra perfidas Æneæ Sylvii Pontificis Romani molitiones, ſuis defenderat ſumptibus) Imperium acquiſiuit, & prouentus, in Strata Montana, vulgò dicta die Bergſtraſſen: Vexilla Principum captiuorum Heidelbergæ ad tholum templi S. Spiritus ſuſpenſa ſunt: Ipſis verò in arcem deductis Fridericus Elector Palatinus apparabat ſplendidum quidem conuiuium, ſed ſine pane: quem cum deſiderarent & poſcerent conuiuæ, renunciari illis iuſſit: non æquum eſſe panem iis præbere, qui contra belli iura, ſegetes perdidiſſent, agricolas innocentes fame necaſſent, & frumentum in horreis paſſim combuſſiſſent. Eoſdem tamen breui poſt iræ moderatus, laudeque contentus tantæ victoriæ, ſub honeſtis conditionibus, incolu-

columes dimiſit. Etſi vero Friderici III. Imperat. authoritate bellum hoc compreſſum eſt: Fridericum tamen Electorem Palatinum victorioſum in gratiam ille nunquam recipere voluit. Et durauit ſane animi ille rancor ad vtriuſque ſucceſſorem: Maximilianum I. Imperatorem, & Philippum Electorem Palatinum. Anno 1471. Fridericus Imperator Comitia celebrauit Ratisbonæ, & poſtea Fridericum victorioſum, Sacri Romani Imperii Archidapiferum, iudicialiter depoſuit Auguſtæ: ſed Principes in circuitu pene omnes ſæpius experti, quid valeant humeri Atlantis illius Palatini, cõtra eum ne hiſcere quidem amplius audebant; more anguium, qui obtrito capite fruſtra deinceps cauda minantur. Rebus adeo præclarè geſtis, tandem Fridericus, Hercules ille Palatinus, in ipſo victoriarum flore, naturæ debitum perſoluit, Anno reparatæ ſalutis 1476. 12. Decembris, quinquagenario maior vnico: cuius corpus in habitu fratrum minorum Heidelbergæ ſub marmore cælato ſolemni pompa fuit ſepulturæ mandatum: quod Monumentum etiamnum extat, dignum ſane viſu. Ipſe Fridericus, Bellicoſus Elector, in habitu Electorali, Imperiale pomum dextra tenens, Leo-

nem

nem ſuppedaneum habens, ſuperne in ſaxo eleuato, & quatuor columellis ſuſtentato, conſpicitur: in ſaxo autem inferiore, quod terræ incumbit, ſceletum hominis, oſſeum faberrimè ſcalptum; mortalitatis etiam maximorum *Principum* nos admonens. Inſcriptio tanto Heroë digna per ſaxi ſuperioris circuitum legitur talis:

FRIDERICVS. BAVARIÆ. DVX. COMES. RHENI. PALATINVS. SACRI. ROMANI. IMPERII. ELECTOR. SALVS. PATRIÆ. PRÆDONVM. FVLMEN. TREIS. ILLVSTRES. HOSTES. VICIT. PRINCIPATVM. AVXIT. ET. PIE. VIVIS. EXCESSIT. ANNO. CHRISTI. MCCCCLXXVI. PRIDIE. IDVS. DECEMBRIS. FVIT. EIVS. VITÆ. SOCIA. VIRTVS. GLORIA. MORTIS. COMES.

Huic Achilli Germanico, Friderico Palatino Electori, Principi maximo, nihil non virtus & Fortuna contulerant: inquit Marquardus Freherus, Conſiliarius Palatinus Nobiliſſimus. Magna erat ſtirpe natus, maiori animo præditus, maxima fortuna vſus. Genus eum Philippi ex fratre Nepotis Tutorem, mox patrem fecit, non volente tantum illo, ſed prouincia

cia tota expetente; & bono vtique publico. Animus excelſus, & ad omnia imperterritus, non prouinciæ tantum ſuæ, ſed totius patriæ Germaniæ libertatem, quietem, ſalutem curans: non maiorum minas, non factiones parium, non inferiorum inſidias extimeſcens. Bono fine cœpta conſtanter peregit, parta gloria non adquieuit, vlteriora parans, & occaſiones rei bene gerendę nullas negligens. Neque minus ei conſilium domi, quam arma foris. Sapientibus Conſiliariis abundauit; curiam iudicii, officinam Iuſtitiæ de nouo erexit: Academiam Heidelbergenſem fouit, doctos pariter cum fortibus amauit. Iam Fortunam, cui non certum alias cum virtute fœdus, velut in manu habuiſſe viſus, perpetuo victoriarum curſu graſſatus. Nulli Leonem hunc vellere impune fuit: neque tum patriæ focos tutari ſatis habuit; ſed victoria vti gnarus, neque illud neſciens; quod

arma tenenti
Omnia dat, qui iuſta negat,

adgreſſores ſuos male multauit. Qua ratione non ditionis tantum ſuæ & pupillaris fines, ſupra quam vllus priorum Principum Palatinorum, protulit; ſed & tale nomen ſibi peperit, vt quantum ſuis amabilis, tantum aliis formidabilis, nemo

mo ei virtute conferendus, videretur: & (quod magnum eſt) ſolus ipſe, ſi ciuilia bella permiſiſſent, Turcam, fatalem illum Chriſtiani nominis hoſtem, reprimere poſſe cenſeretur. Iohannes Trithemius, Abbas Spanheimenſis (qui Illuſtriſſimam familiam Palatinam, quantum potuit, calamo ſuo exornare ſtuduit, & huius laudatiſſimi Electoris Palatini, Friderici I. victorioſi, res geſtas in Chronico Spanheimenſi per annorum ſeriem cum cura conſignauit) de eo inter alia ſic ſcribit: *Anno MCCCCLXXVI. 12. die menſis Decembris, obiit Fridericus Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, Tutor Philippi, frater Mechtildis, Ludouici quoque Patris Philippi, & Ruperti Archiepiſcopi Colonienſis: cuius corpus in habitu fratrum minorum apud eoſdem in oppido Heidelberg, ſub marmore cælato, in abſidula dextrorſum, ſolemni pompa, fuit ſepultum. Magnus Princeps, amator cleri, defenſor pauperum & viduarum, aduocatus integerrimus: qui tanta fecit, quanta nullus in Germania Princeps in trecentis retro annis, pro pace & defenſione ſuorum omnium, adiutorium eius poſtulantium. Qui (vt mea fert opinio) ſi Romanorum fuiſſet Imperator, non tot regna, tot prouincias, tot Vrbes à Chriſtianorum dominio Turcus rapuiſſet: aut, ſi Imperator fuiſſet,*

qua-

qualis iſte erat. Hunc tantum Principem non Homerum, non Virgilium, non Meliſſum aliquem habuiſſe, cum cogito, dicenti vere Horatio libet accinere:

Vixêre fortes poſt Agamemnona
Multi: ſed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.

Sed bene habet, quod à Monacho Trithemio ſaltem, ſumma rerum faſtigia conſignata habemus. Ea publico reddidit Marquardus Freherus, Anno 1602. conquiſito diligentius & adiecto, quidquid vſpiam apud eius ęui ſcriptores huc pertinens legitur. Inde nos iſta ſummatim excerpſimus. Habuit tamen etiam proprios rerum ſuarum ſcriptores tantus Heros, vernaculo ſermone vſos. Inter quos duo eximii fuerunt; vnus Matthias de Kemnaten Theologus, Principis Capellanus, & (vt Trithemius meminit) Mathematicus: alter Michael Bohemus Weinſpergenſis Poeta: quorum ille proſa, hic rhytmis Teutonicis, vterq; ab origine Palatinæ ſtirpis exorſus, Friderici huius Victorioſi geſta diffuſe & copioſe celebrarunt.

Extat quoq; elegans oratio congratulatoria per Iohannem Camerariũm Dalburgium, Epiſcopum Wormatienſem, nomi-

nomine Philippi Palatini Electoris, ad Innocent. VIII. Pont. Max. habita, ſtylo Rodolphi Agricolæ conſcripta, his verbis: *Ludouici frater Fridericus, Philippi per ætatem Tutor, difficile diiudicatu eſt, prudentior, fortior, an felicior fuerit, qui crebro admodum collatis cum hoſte ſignis cum præſens ipſe dimicauerit, victoriam, quæ natura incertiſſima eſt, vt vbiq; induſtriæ ſuæ certa eſſet, virtute perfecit. Quindecim Germaniæ Principes bellum illi vno eodemq́ tempore cupidiſſime indixerunt. Id cum acerrime gererent, inferrentq; tres ex eis vna acie victos cepit, eoque res perducta eſt, vt cōditiones pacis à nullo acciperet, omnibus daret. Primus Germaniam poſt Auguſtum Cæſarem purgare latrociniis eſt adorſus, &c.* Turcico aliquando bello deſtinatum fuiſſe Fridericum, notat Æn. Syluius in Germ. c. 67. *Per Saxoniam Sueuiã, Franconiamq; viri clari ſunt, numeroſos exercitus ducere idonei. Siquidem & Fridericus Palatinus Princeps Elector, Albertus Germanus Imp. & Carolus Marchio Badenſis, digni omnium iudicio exiſtimati ſunt, qui cōpiis in Turcos educendis præficerentur.* Eiuſdem excelſi & Inuictiſſimi Principis Friderici heroicas virtutes eleganti ſtylo celebrauit Petrus Anton. Finarienſis, in libello, de dignitate Principis, lectu digniſſimo.

Ante

Ante obitum cælibatus tandem pertæſus, ſpe prolis, animum ad legitimas nuptias adiecit: ne vero æquales quærere, conuentio de ſucceſſione arrogati filii Philippi, & principatuum vnione non diſſoluenda, minime permittere videbatur. Re igitur prius cum Philippo arrogato filio, certiſque Ordinibus deliberata, matrimonio ſibi copulauit Nobiliſſimam fœminam Claram à Tettingen præſentibus Philippo Palatino, Wormatienſi & Spirenſi Epiſcopis, aliiſq; compluribus Nobilibus, Anno 1462. Cum vero ex hac coniuge duos progenuiſſet legitimos filios, Fridericum & Ludouicum; eos ob certas cauſas ad conditionem paulò inferiorem redegit, & Comites Imperii, annuente Cæſare, eſſe voluit: deque ſuo patrimonio iis aſſignauit ſequentes dynaſtias: Scharfeneckum, Meckmühlum, Vtzbergam, Vmbſtadium, cum omnibus ſuis pertinentiis.

Senior ex filiis Fridericus, ſacris à Patre Friderico Victorioſo dicatus, immatura morte viuis exemptus eſt, Heidelbergæ in templo Franciſcanorum hoc Epitaphio exornatus:

ANNO. DOMINI. MCCCCLXXIV IPSO. DIE. GALLI. OBIIT. VENERABILIS. ET. NOBILIS.

BILIS. DOMINVS. FRIDERICVS. ILLVSTRISSIMI. PRINCIPIS. ET. DOMINI. DOMINI. FRIDERICI. COMITIS. PALATINI. RHENI. DVCIS. BAVARIÆ. SACRI. ROMANI. IMPERII. ARCHIDAPIFERI. ET. PRINCIPIS. ELECTORIS. FILIVS. LEGITIMVS. ECCLESIARVMQVE. WORMATIENSIS. ET. SPIRENSIS. CANONICVS. CVIVS. ANIMA. REQVIESCAT. IN. PACE.

Ludouicus igitur, vnicus Friderici victorioſi, Electoris Palatini, ſuperſtes fili⁹ & hæres, Principatum paternum Philippo, Electoratus hæredi, ſecundum pacta conuenta, reliquit: ipſe vero cum ſupradictis Dynaſtiis Comitis dignitatem à Cæſare Maximilian. I. ſuſcepit, ne principatuum pernicioſa diuiſio induceretur. Philippus vero Elector Palatinus, mortuo patruo Friderico Victorioſo, ſupradictas Dynaſtias pleraſq; omnes, pręter Scharfeneckum, ad ſe recepit, ſubſtituto Comitatu Lövvenſteinico, permutationis more. Contentus quidem hac ſua fortuna fuit Illuſtris Comes Ludouicus, qui veram magnitudinem non regionum ſpaciis & latifundiis, ſed ſolida virtute metiebatur, adeoque magnum ſibi inter Heroas eius ſeculi nomen com-

 para-

parauit. In bello Bauarico, Ruperti Agnati partes ſecutus, ab Vlrico Duce Wirtembergico, ſub prætextu proſcriptionis Imperialis, Comitatu Lövvenſteinico exutus eſt, quem vix tandem, ab Imperatore Maximiliano I. excuſatus, Anno 1510. recuperauit. Pro more iſtius ſæculi terram Palæſtinam adiit. Variis bellis ſupremus Dux conſtitutus, pro Palatino militauit. A Cæſare Maximiliano primum, deinde in Comitiis Norimbergenſibus, Anno 1522. à Carolo V. & Imperii Proceribus ad Turcicam expeditionem lectus Conſiliarius bellicus. Sic fortes creantur fortibus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Vltimum diem clauſit Anno 1524. die 28. Martii. Vxores habuit duas: I. Eliſabetham, filiam Hugonis Comitis in Monteforti, & Comitiſſæ Werdenbergenſis: quæ in partu exſtincta eſt, Anno 1503. II. Sophiam, Conradi Comitis Tubingenſis relictam viduam. Ex priore Montfortia multos liberos ſuſcepit, qui Illuſtriſſimam familiam Comitum Lovvenſteiniorum propagarunt.

XII. Philippus ingenuus. Poſt Friderici Victorioſi mortem, Philippus, Ludouici Manſueti filius, Ludouici Barbati Nepos, cognomine & re Ingenuus, Electo-

lectoratus Palatini gubernacula ſuſcepit, Anno Domini 1477. ætatis ſuæ 28. ante infauſtum bellum Bauaricum, Princeps opibus, authoritate, potentia, amplitudineque ditionum florentiſſimus; & tum hoc nomine, tum etiam filiorum generoſiſſimorum numero feliciſſimus. Inter hos Ruperto virtuoſo nuptias conciliauit filiæ Georgii Diuitis, Bauariæ Ducis: qui ex pacto dotis loco Ruperto genero legauit, præter auri argentique vim omnem, & ſupellectilem plane regiam, eam etiam Bauariæ partem, quam ex hæreditate tenebat. Hoc Teſtamentum, quod in Imperii leges, & iura feudorum peccaret, factumque eſſet in fraudem Alberti, Bauariæ Ducis, Maximilianus I. Cæſar, deprecante Alberto, noluit ratum eſſe. Quæſita eſt igitur, & impetrata approbatio Pontificia. Poſt Georgii diuitis obitum, Ruperto genero Georgii, Philippi Electoris Palatini filio, ex Teſtamento hæreditatem adeunte, Alberto vero Bauariæ Duce, Maximiliani I. Cæſaris ſororio, eandem ex legibus aſſerente; Maximilianus I. ſeſe interpoſuit, & ad componendam totam controuerſiam has conditiones tulit; vt videlicet de Georgii Diuitis ditione triens vnus relinqueretur Ruperto, dotis ratione: al-

ter cederet Palatinæ Domui, in compenſationem eorum, quibus illa ſeſe & defraudatam à Ludouico Bauaro Imperat. & ſpoliatam eſſe ſæpius fuerat conqueſta: tertiam partem redderet Rupertus Alberto, Bauariæ Duci, ſed cum Rupertus ius ſuum armis vindicare conaretur, fidens auxiliis Bohemorum, & Ludouici Galliæ Regis, ab Imperatore proſcribitur, & totius Imperii Ordines ad eum perdomandum incitantur: Patrique Philippo, Electori Palatino, ne opem ferret filio Ruperto, interdicitur. Ille vero potiorem rationem filii, quam Cæſaris habendam duxit, & manu armata filio ſuppetias miſit. Vtrumque igitur bello adortus Maximilianus Cæſar, Anno 1504. Principes ad auxilium ferendum euocauit, qui iuſſu ipſius multa in Palatinatu ferro & igne vaſtarunt. Ipſe vero Cæſar manu ſua Bohemos prope Ratisbonam ſtrauit, & fugauit, licet per aliquot horas Marte dubio, Ruperto Palatino pertinaciſſimè pugnam vrgente, aciemque, ſicubi ſolueretur aut fatiſceret, reficiente. Nec enim ceſſit Rupertus, donec ad eam redactus eſſet paucitatem, vt conſiſtere non poſſet. Bohemi ceciderunt circiter bis mille. Nec multo poſt Rupertus mærore animi cum cen-

coniuge Eliſabetha extinctus eſt: vel, vt alii ſcribunt, veneno necatus. Philippus Elector Palatinus, Ruperti Pater, à Gallis deſertus, qui huius belli ipſi fax & auctores fuerant, magnam ditionis ſuæ partem amiſit, multis Procerum ſuorum aut veneno deletis, vel in acie trucidatis, vel ſupplicio plexis. Dux Wirtembergenſis aliquot oppida & caſtella, vt Winsbergam, Maulbrunnam, & alia eripuit. Norimbergenſes Altorſium, Heresbruggium, & Lauffam occuparunt. Alexander, Dux Bipontinus, & Comes Veldentiæ, quædam cepit. Sed omnium grauiſſimus hoſtis Maximilianus Cæſar, oppida & arces multas, ab Imperio Palatinatui oppignoratas, ſine cæde & ſanguine recuperauit, copias Ruperti fudit, eique Alſatiæ Aduocatiam Prouincialem ademit, & Landgrauiatui ſuo Enſisheimenſi incorporauit. Haſſiæ Landgrauius intercepit caſtrum & oppidum Homburgum vor der Höhe/ quod Comes Hanouianus; & caſtrum Bickenbach, quod Comes Erpachianus à Palatino tenebat. Ingolſtadium quoque, quæ antea ad Palatinum ſpectabat, à Bauaro interuerſa; & quædam caſtella Tranſrhenana à Ley-

ningenſibus Comitibus occupata dicuntur. Sic cadente quercu, iuxta vetus veriuerbium, quiuis ligna colligit. Nemo tunc fuerat in Imperio, qui non ex proſcriptionis ſententia, quam Maximilianus Cæſar promulgarat; aliquid de Palatinatu decerpere, & in aqua illa turbida piſcari cuperet: præter vnicum Marchionem Badenſem Chriſtophorum, qui non modo pacem inuiolatam ſeruauit, ſed etiam ſuis quibuſdam momentibus, vel per literas iam recuperari ea poſſe, quæ Pater Carolus in diſſidio Moguntino amiſiſſet; reſpondit; Ehr vnd Eyd gilt bey vns mehr / dann Land vnd Leut gewinnen: *Pater meus Carolus fidem dedit Friderico I. Victorioſo, hanc ipſe inuiolatam conſeruabo.* Res tandem ad pacificationes deducta eſt, Anno 1505. precibus Chriſtophori Marchionis Badenſis: & in Comitiis Colonienſibus, interceſſione Friderici Saxoniæ Electoris, qui etſi Maximiliano Cæſari non defuit, plus tamen curæ & laborum ſuſtinuit in lenienda Maximiliani ira, ita vt eo vtcunque placato, vnicus in conuentu illo Colonienſi auſus fuerit Philippum Electorem Palatinum ad Maximilianum Cæſarem adducere, vt ſupplex fie-

fieret : qua in re exiſtimatum eſt eum nonnihil offendiſſe animum Imperatoris, quod hoſti ipſius non vehementius iraſci viſus eſſet. Cauſa tamen Conſilii fuit honeſtiſſima : inquit Melanchthon. Nam quæ ſit Electorum neceſſitudo conſiderauit, nec penitus dilacerari voluit vetuſtiſſimam cognati, & multis fœderibus ipſi deuincti Electoris ditionem, ac nobiliſſimam familiam. Hoc ipſum tamen tegendi amici officium ita moderatus eſt ; ne de authoritate ſummi Imperatoris aliquid derogaretur, ſupplicem eſſe voluit Philippum, Electorem Palatinum : quem poſtea Cæſar in gratiam recepit : & nepotibus eius, Ruperti filiis, Othoni Henrico, & Philippo Bellicoſo, partem controuerſæ regionis ex hæreditate materna conceſſit, eam quæ intra Danubium & Nabum ſupra Ratisbonam limites veteres Palatinæ ditionis attingit, & Ducatus Neoburgenſis titulo comprehenditur.

Huic pacificationi non diu ſuperfuit Philippus, Elector Palatinus. Nam poſt longam chiragræ & podagræ, calculi quoque & arenæ corporis infirmitatem, tandem in oppido ſuo Germershe-

mio extremum vitæ ſpiritum edidit, Anno Domini 1508. Kalend. Martii ætatis 59. gubernationis 32. cuius corpus Heidelbergam deportatum, in choro collegiatæ S. Spiritus Eccleſiæ, iuxta tumulum coniugis ſuæ Margarethæ, Ludouici Diuitis, Bauariæ Ducis filiæ, debito cum honore ſepultum requieſcit, tali ornatum Epitaphio:

ILLVSTRISS. DOMINVS. PHILIPPVS. COMES. PALATINVS. RHENI. BAVARIÆ. DVX. AC. SACRI. ROMANI. IMPERII. ARCHIDAPIFER. ET. PRINCEPS. ELECTOR. HIC. QVIESCENS. OBIIT. DIE. XXVIII. MENSIS. FEBRVARII. ANNO. CHRISTI. MCCCCVIII. CVIVS. ANIMA. REQVIESCAT. IN. SANCTA. PACE. AMEN.

Vxoris Margarethæ (quam in exequiis D. Pallas Spangel oratione funebri laudauit) Monumentum ibidem tale poſitum eſt:

ANNO: CHRISTI. MDI.XXV. FEBRVARII. OBIIT. ILLVSTRIS. PRINCEPS. DOMINA. MARGARETHA. DEI. GRA-

TIA.

TIA. COMES. PALATINA. RHENI. INFERIORIS. SVPERIORISQVE. BAVARIÆ. DVX. CVIVS. ANIMA. IN. SANCTA. PACE. REQVIESCAT.

Ex hac Illuſtriſſima coniuge numeroſam ſobolem procreauit: nouem filios, (qui omnes, excepto Othone Henrico, plerique ad ſenectam ætatem peruenerunt) & 4. filias.

Filii & Nepotes Philippi Ingenui, Electoris Palatini.

I. Ludouicus pacificus, grandior natū, patri in Electoratu ſucceſſit.

II. Philippus, Anno Domini 1499. electus eſt in Epiſcopum Friſingenſem, & præfuit Epiſcopatui, vſque ad annum Chriſti 1540. Factus quoque Anno 1517. Epiſcopus Naumburgenſis in Miſnia.

III. Rupertus virtuoſus, natus anno 1481. d. 14. Maii, Vxorem duxit Eliſabetham, filiam vnicam Georgii Diuitis, Bauariæ Ducis Landshutenſis: cuius occaſione exortum eſt triſte illud & funeſtum bellum Bauaricum: cuius ſu-

pra mentionem fecimus. A Cæſare Maximiliano I. proſcriptus, & victus, tota ditione ſua hæreditaria exutus eſt: & paulò poſt, vna cum coniuge Eliſabetha, vita exceſſit, non ſine pharmaci propinati ſuſpicione, Anno 1504. ætatis 23. relictis duobus filiis orphanis, Othone Henrico, & Philippo Bellicoſo, quibus Maximilianus Cæſar, moderans ſibi in victoria, ex hæreditate materna Ducatum Neoburgicum reſtituit. Otho Henricus, Philippi ex hoc filio Ruperto Nepos, poſt exceſſum Friderici II. patrui paucis annis, Septemuiratum tenuit, & cum ipſe ſine liberis pridie Id. Februar. 1559. deceſſiſſet: ſucceſſorem habuit Fridericum III. longo interuallo agnatum, à Ruperto Cæſare, communi vtriuſque ſtipite, qui anno 1410. obiit, graduum enumeratione facta. Nam à Ludouico Barbato Septemuiro, Ruperti Cæſaris filio, & Stephani Bipontini Ducis fratre, à quo Fridericus III. genus ducit, decem gradus interiacent. Is verò Otho Henricus, Ruperti filius, Philippi Electoris filius, moriens Wolfgango Bipontino, alteri agnato, totidem gradibus à ſe diſtanti, Neoburgenſem ad Danubium ditionem teſtamento legauit.

Phi-

Philippus Bellicoſus, Ruperti filius, Philippi Nepos, Othonis Henrici frater, Magnanimus Heros, natus Anno 1503. Viennam Auſtriæ aduerſus Solymannum, Turcarum Imperatorem, fortiter & ſtrenue defendit, Anno 1529. Ad Lauffam poſtea, Wirtembergici Ducatus oppidum, Ferdinandi I. Cæſaris copias ducens, à Philippo Landgrauio Haſſiæ profligatus eſt, ac in fuga, pedis calce globo bombardico amiſſa, captus. Literas non ſolum amauit, ſed etiam præclarè intellexit: ac multa non ſolum in otio, ſed etiam in ipſis negotiis, in caſtris, inter tubarum atque armorum ſtrepitum, legere ſolebat, præcipuè vero colere illam Philoſophiæ partem, de rebus cœleſtibus, digniſſimam ſummis viris. Epitaphium eius geminum Heidelbergæ in templo Vrbis primario, ad Spiritum ſanctum, extra chorum, tale viſitur:

Philipps von GOTTes Gnaden Pfaltzgraff bey Rhein/ Hertzog in Nidern vnd Obern Bäyern/ ꝛc. iſt allhie zu Heydelberg/ den ſechſten Tag Julij / Anno 48. begraben worden.

1548.

Nichts vnverſucht.

H. Philips Pfaltzgraff.

Cætera qui circum luſtras Monumenta Viator,
Hæc quoque, non longa eſt, perlege pauca, mora.
Si Ducis audita eſt forſan tibi fama Philippi,
Clara Palatinæ quem tulit aula Domus.
Qui modo Pannonicam defendit ab hoſte Viennam,
Et ſoluit trepidos obſidione Viros.
Tum, cum Threicij vaſtarent omnia Turcæ,
Et tremerent ſubito Norica regna metu.
Mox etiam impleuit magnum virtutibus orbem,
Vtilis hinc armis, vtilis inde toga.

Illius

Illius hac tegitur corpus venerabile terra,
Hic animam, hic vitam reddidit ille Deo.
Quod te ſi pietas, ſi quid mouet inclyta virtus,
Iunctaque cum ſumma nobilitate fides.
Huic opta, vt cineres placida cum pace quieſcant,
Condita nec tellus durior oſſa premat.
Nam pius ad cœli ſublatus ſpiritus arces,
Cum Chriſto viuit tempus in omne ſuo.

Diſceſſit IIII. Non. Iulii
Anno Domini M.D.XLVIII.
Ætatis ſuæ XLIV. cuius P.F. memoriæ
Dux Otho Hainricus Comes Palatinus
frater amantiſſimus M.H.F.C.
anno Domini M.D.L.

Hertzog Philips Pfaltzgraff der from
thewer Fürſt/
Den ſeine Tag nach Gott vnd Ehren dürſt/
Als er erlangt vnaußlöſchlichs Lob/
Sonderlich beym Vngerlandt thet ein Prob/
Gegen dem Feind gemeiner Chriſtenheit/
Bewieſener Hülff/ Rath/ vnd Hertzhafftigkeit/

In der edlen ſchönen Statt Wien dazumal
So vom Türcken war belägert v-berall/
Hat der ſtöltzen Welt Rüſtung vnnd Wehren/
Damit wir vnſer Leben verzeh-ren/
Vrlaub geben in dieſer Jamers-Zeit/
Vnd geſegnet alle fromme Chri-ſtenhenheit.
Dann weil er die erlöſt|vom ewigen Todt/
Durch JEſum Chriſtum ſeinen lieben Gott/
So lebt er jetzt in ſeines Vatters Schoß/
In gutem Gwiſſen alles Kummers löß/
Darumb was gedenckeſt du Für-geher/
Da ligt Adel/Tugend/Mannheit/ vnd Ehr.

Gleich-

Gleichwol der Menſchlich Leib hie begraben/
Aber die Seel bey GOtt hoch erhaben:
Kayſer/ König/ vnd alle Potentaten/
Kennen dieſes Philippi löbliche Thaten.

IV. Fridericus II. poſt fratris Ludouici obitum, pio ſtudio in Eccleſias Palatinatus Electoralis ad Rhenum, puram Euangelii doctrinam primus introduxit. Sed bello Smalcaldico præpeditus, quod cœperat, abſoluere non potuit: quæ res maximo ei dolori fuiſſe dicitur.

V. Georgius, Epiſcopatui Spirenſi laudabiliter præfuit annis XVI. Arcem Vdenheimenſem ex fundamentis ædificare cœpit, natura loci egregie munitam, vt inſurgentibus bellicis tumultibus haberet tutum ac firmum aliquod receptaculum: Multa paſſus eſt à ſeditioſa ruſticorum coniuratione, quam ſumma ſapiētia, abſque multa ſanguinis profuſione pacauit. Deceſſit ex hac mortali vita, anno 1529. Anglico ſudore correptus, quod morbi genus per totam tūc graſſabatur Germaniā. Sepultus iacet Spiræ in mediæ cathedrali baſilica, à ſucceſſore tali monumento honoratus:

Rivr-

REVERENDO. AC. ILLVSTRI. PRINCIPI. AC.DOMINO.DOMINO. GEORGIO.EPISCOPO.SPIRENSI.AC. COMITI. PALATINO. RHENI. DVCIQ. BAVARIÆ. ADMINISTRANDA.CLEMENTIA.PRVDENTIA.ET.PIETATE.VNDIQVE. CONSPICVO.AC.DEMVM.FLAGRANTI.ANGLICO. SVDORE.IMMATVRA.MORTE. DEFVNCTO. EIVS. IN. EPISCOPATV. SVCCESSOR.PHILIPPVS.A.FLERSHEIM. HOC. MONVMENTVM. CONSTITVIT. OBIIT. ANNO.SALVTIS. MDXXIX. DIE. VICESIMA. SEPTIMA. SEPTEMBRIVM. QVI.ÆTERNA LVCE.FRVATVR.

VI.Henricus, Epiſcopus Wormatienſis, Vltraiectinus, & Friſingenſis, huic mortali vitæ valedixit, anno 1553. Ante obitum Epiſcopatum Vltraiectinum reſignauit. Arcem Dirmſteinenſem, à ſeditioſis agricolis euerſam, inſtaurauit: Princeps ſapientia & humanitate ſumma præditus.

VII.Iohannes, ſeptimus Philippi Electoris filius, Ruperti Simmerenſis, Agnati ſui, in Epiſcopatu Ratiſponenſi ſucceſſor, ex hac vita migrauit anno 1538.

VIII. Wolfgangus, Comes Palatinus Rheni, Dux NouiFori, Philippi Electoris filius natu minimus, ſacro ordine relicto,

ĉto, in re militari ſuam quandoque operam nauauit: Princeps prudens, doctus, integer vitæ; quam cum morte commutauit anno 155 8. ſub initium Aprilis, in templo Spiritus ſancti Heidelbergæ poſtmodum honorifice contumulatus, addito tali Epitaphio:

ILLVSTRISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO. DOMINO. WOLFGANGO. COMITI. PALATINO. RHENI. DVCI. BAVARIÆ. ET. PHILIPPI. ELECTORIS. FILIO. INTER. EOS. QVI. AD. IVSTAM. ÆTATEM PERVENERVNT. NATV. MINIMO. PRINCIPI. BONITATE. INGENII. HONESTA. FRVGALITATE. AVITISQ. MORIBVS. SERVANDIS. PRÆSTANTI. ET. SORTE. SVA. MEDIOCRI. PER. OMNEM. VITAM. CONTENTO. ILLVSTRISSIMVS. PRINCEPS. FRIDERICVS. TERTIVS. ELECTOR. HOC. MONVMENTVM. CONSANGVINEO CARISSIMO. FIERI. CVRAVIT. NATVS. EST. ANNO. MCCCCXCIV. VLTIMO. OCTOBR. EXEMPTVS. REBVS. HVMANIS. II. APRIL. ANNO. M.D.LVIII.

Filiæ Philippi Ingenui, Electoris Palatini.

I. Æmylia, vxor Georgii, Ducis Steti-ni &

ni & Pomeraniæ, obiit anno 1524.

II. Helena, nuptias celebrauit Wiſmariæ, cum Henrico, Duce Megapolitano.

III. Eliſabetha, nupſit Gulielmo iuniori, Haſſiæ Landgrauio, & eo ſine liberis defuncto, Philippo II. Marchioni Badenſi. Obiit anno 1522.

IV. Catharina, Virginem Veſtalem & Abbatiſſam egit in Monaſterio Neoburgenſi ad Nicrum fluuium Heidelbergæ propinquo.

Ex tot vero Philippi filiis, quis nō numeroſam progeniem Electorali Palatinatui pollicitus eſſet? ſed ô vanas hominis ſpes! oēs illi licet ad ætatem grandem peruenerint, tamen intra quinque Decadas annorum rebus humanis exempti ſunt, ac tota Philippi Electoris; vel, vt altius aſcendam, Ludouici Barbati, primogeniti Ruperti Cæſaris filii, tota poſteritas deſiit, ac dignitas Septemuiralis ad Fridericum Tertium, Stephani, quarti, Regis Ruperti filii, abnepotem, ſed ea longe digniſſimum, fuerit translata. Quæ quidem mutatio, licet inuidia non caruerit, Electoratui tamen Palatino, cumprimis Eccleſiæ, totique Orbi Chriſtiano fuit ſalutaris.

Fuit hic Philippus, Elector Palatinus, Princeps inclytus, manuſuetus, magni ingenii,

genii, literarum, ac præſertim hiſtoriarũ ſtudioſus, nec minus cõſilio quam armis potens, amator pacis, & ſubditorum ſuorum defenſor acerrimus. Monachi cuiuſdam libello, manum eius deſiderantis, aliquando hæc verba elegantiſſimo charactere inſcripſit:

Simplicitas clauſtri nobis placet optime, quãdo
Sub pulla veſte candida corda latent.
At ſi corda etiam tetro ſint tecta colore,
Vah quantum monſtrum, intus & extra nigrum.

Eiuſdem Philippi Electoris Palatini tempore, omnium pulcherrimum Collegium virorum, eruditione & ſapientia præſtantium, Heidelbergæ vixit, quorum ſinguli ſingulis Academiis magno præſidio & ornamento eſſe poterant. *Rudolphus Agricola*, inſignis Dialecticus, cuius familiaritate Philippus Elector delectatus eſt, eumq; ſæpe ad graues deliberationes adhibuit. *Ioannes Capnio*, qui primus in Germania linguæ Hebrææ & Græcæ ſtudia excitauit. *Iohannes Dalburgius*, Epiſcopus Vangionum, Philippi Electoris Cancellarius, vir doctiſſimus, trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ valde peritus: *Plinius* Iuriſconſultus, nobili loco natus ex familia Pleningerorum. His prçſtantibus viris aliquanto iuniores fue-

fuerunt, *Iohannes* Abbas Spanheimenſis, *Iodocus Gallus*, & *Iacobus VVimphelingus*, qui cum eodem Principe Electore Philippo familiariter vixerunt. Et Wimphelingus quidem ſcripſit tunc Philippicam, hoc eſt, Dialogos pro inſtitutione filiorum Philippi Electoris Palatini, vbi agit de ſtudiis Principum, de bello Turcico, de laudibus Philippi Electoris. Eos curauit recitandos in palatio arcis Heidelbergenſis, ſeptimo Idus Octobris, anno 1498. Philippo Comite palatino attentiſſime auſcultante, coram generoſiſſimis filiis, Alberto Argentinenſi Epiſcopo, & aliis nobiliſſimis viris. Huic ſubmiſit Wimphelingus *Agatarchiam*, hoc eſt, Epitomen conditionum boni Principis, ad Ludouicum Pacificum, Philippi primogenitum, qui, cum illi Dialogi recitarentur, abfuerat; comitatus ſororem Eliſabetham, nuptui elocatam Gulielmo Haſſiæ Landgrauio. Epiſtolas idem multas ſcripſit nomine Palatini Comitis, Epiſcopi Spirenſis, & aliorum, quæ alibi videantur, Rudolphus Agricola, & Iohannes Capnio, Germanice Reuchlinus dictus, Philippo Electori palatino Epitomen Hiſtoriarum compoſuerunt eruditiſſimam, recitata ſerie quatuor Monarchiarum: ex ſacris Bibliis & Herodoto,

de

de Aſſyriorum & Perſarum Imperio: ex Thucydide & Xenophonte, de ciuilibus diſcordiis Græcarum ciuitatum: de rebus Macedonicis, Philippo, Alexandro Magno, eorumque ſucceſſoribus, ex Diodoro & Polybio: deinde lectiſſima quæq; excerpſerunt ex Hiſt. Romanis: poſtremo & Germanici Imperii res præcipuas collegerunt: quem libellum Philippus Elector Palatinus, auro contra chariorem ſemper habuit. De ſucceſſione Electoratus diuerſum ab eo, quod in Caroli IV. Imp. lege, ſeu de iure ordinatum fuerat, cum conſilio prudentiſſimorum ſuorum Conſiliariorum, teſtatus eſt: & defuncto primogenito ſuo Ludouico Pacifico ſine maſculis, quartogenitum ſuum filium Fridericum II. in Electoratu hæredem inſtituit: præteritis Othone Henrico, & Philippo Bellicoſo, Viennæ Auſtriæ Tutatore, Ruperti Virtuoſi filiis; qui de iure Aurearum Bullarum Caroli IV. & Sigiſmundi Impp. ab inteſtato ſuccedere debuiſſent. Et ſic hęc cauſa teſtati vicit cauſam inteſtati, anno 1544. mortuo Electore Ludouico Pacifico, ſucceſſitque ex illo Philippi teſtamento Fridericus II. ab Imperatore Carolo V. & omnibus Imperii Septemviris pro Electore iuſto & legitimo habitus ac ſalutatus, pro tali etiam

ſtatim

ſtatim anno 1545. in Comitiis Wormacienſibus admiſſus.

XIII. Ludouicus pacificus.

Philippo Ingenuo in Electoratu palatino ſucceſſit filius primogenitus Ludouicus, natus anno 1478. princeps prudens, & ſingularis Muſarum Mæcenas; qui ſua moderatione, ſapientia, pacificis conſiliis, labore & induſtria, exitiales toti Germaniæ motus aliquoties ſedauit: pacifici nomen inde merito ſortitus. Carolum V. Hiſpaniarum Regem potentiſſimum, ſuo ſuffragio cum cæteris Collegis ad Imperii faſces promouit: & fortunam illam ad palatinas fores pulſantem fortiter repulit.

In Comitiis Wormacienſibua, anno 1521. ſententiæ pontificiorum miniſtrorum, de non ſeruando Luthero ſaluo conductu, vehementer reſtitir, & labem Cõſtantienſem meliore fide cluendam cenſuit. Interregni tempore Vicarius per tractum Rhenanum in Francia, Sueuia, & Bauaria, iudicium Cameræ Imperialis conſtituit. Franciſcum à Sickingen, Equitem Germanum, Lutheranæ hæreſeos capitaneum à nonnullis dictum, ſociis armis Archiep. Treuirẽſis, & Landgrauii Haſſiæ, in arceſſa Landsſtall circũſeſſum, validiſſimis tormẽtis oppugnauit. Qua in

obſidio-

obſidione Franciſc. Sickingenſis, Nobilis ad ſumma quæq; aſpirans, decuſſo ex bõbardarum ictu tramite, lethaliter ſaucius, anno 1523. die 7. Maii, ętatis 42. occubuit, ſalutatus paulo ante quam animã efflaret à tribus illis principib. hoſtibus ſuis. Ruſticorum poſtea tumultuãtium indomitam ſeditionem, ad Pfedershemium, agri Wormacienſis oppidum, & alibi, Ludou. Septemvir armata manu repreſſit, Sleid. hiſt. lib. 4. *Aderant* (inquit) *huic ruſticorum cædi Ludouicus Princeps Palatinus, & Archiepiſc. Treuirenſis Richardus, quorum ille quidem magna vi conabatur furentem militem retinere: hic autem nõ ſolum probaſſe, verum etiam multos ipſe confodiſſe fertur.* Reliquum vitæ tempus, ſedandis & præcauẽdis iſtiuſmodi turbis intentus, domi trãſegit. Pacem primam religionis in Germania, inter Cæſarem & Proteſtantes, impetrauit Norimbergæ, an. 1532. 23. Iulii, ne videlicet religionis cauſa cuiquam in Imperio vlla moleſtia crearetur, ad vſq; Cõcilii tempus, aut ſi nullum celebraretur, tantiſper donec per Ordines Imperii alia inueniretur ratio, hoc diſſidium ſanandi & componendi. In cæteris poſtea cõventibus pacificationem hanc ſuis moderatis cõſiliis cõfirmari ac ꝓpagari curauit, aduſq; Car. V. Cæſaris bellum Germanicũ.

Tandem

Tandem bonus & pius ſenex, 16. Martii die, anno reparatæ ſalutis 1544. ætatis 66. paralyſi correptus, non ſine ingenti ſubditorum luctu, naturæ legibus ſatisfecit: cum Reip. & Academiæ commodum ſedulo promouere ſtuduiſſet. princeps vere pacificus, & Concordiæ ſemper ſtudioſus, qui tanquam agger, ne bellorum amnes Germaniam inundarent, fortiter obſtitit. Nam viuente eo nemo admodum timuit, ne erumperent in publicam cladem, & perniciem bellorum multorum animis odia ſimultateſque incluſæ; quæ veluti antecedentia tempeſtates ſæuas murmura iamdudum exaudiebantur. Non male igitur quidam dixerunt, cum eo defuncto Germaniæ pacem tum ſepultam fuiſſe. Monumentum eius in choro regali Heidelbergæ, ad ſanctum Spiritum Eccleſiæ tale viſitur:

GERMANIA. MERITO. LVGET. FVNVS. ILLVSTRISSIMI. DOMINI. LVDOVICI. COMITIS. PALATINI. RHENI. DVCIS. BAVARIÆ. SACRI. ROM. IMP. ARCHIDAPIFERI. PRINCIPIS. ELECTORIS, QVI. PROPTER. MVLTAS. DISCORDIAS. TVMVLTVSQ. PER SE. SVMMA, CVM. PRVDEN-

DENTIA. TVM. SVMPTV. SEDATOS. PACIFICI NOMEN. MERVIT. OBIIT. XVI. DIE. MARTII. ANNO. DOMINI. 1544. ÆTATIS. SVÆ. LXVI. CVI. DEVS. MISEREATVR. IN. ÆTERNVM.

Ab Evangelii fauore non vſque adeo viſus fuit alienus. Nam vna cum Friderico II. fratre octo ciuitatibus, diſtrictu vno comprehenſis in Superiori palatinatu, Ambergæ, Neoforo, Kam, Napurgo, Weiden, Neoburgo, Aurbaco & Chemnato, liberum Evangelicæ Religionis exercitium benigne indulſit. Vxorem habuit Sibyllam, Alberti Bauariæ Ducis filiam, cum qua ſine nulla querela vixit; ſed nullos ex ea liberos reliquit. Sepulta eſt Heidelbergæ in choro templi primarii, eiuſque in lapide tale inciſum Monumentum:

ANNO. DOMINI. MDXIX. auff Montag nach dem Palmtag / der da war der XVIII. Tag Aprilis, iſt verſchieden / vnd liegt hier begraben / die Hochgeborne Fürſtin / Fraw Sibylla / geborne Pfaltzgrävin bey Rhein / Hertzogin in

M Ober

Ober vnd Nider Bayrn / ꝛc. die ein Ehegemahl deß Hochgebornen Fürſten / Herren Ludwigs / Pfaltzgraven bey Rhein / Hertzogen in Bayrn / deß heiligen Römiſchen Reichs Ertztruchſes vnd Churfürſten / in den Landten deß Rheins / Schwaben / vnnd Fränckiſchen Rechtens Fürſehers vnd Vicarii, geweſen iſt: Der Allmächtige Gott wölle ihrer Seelen gnädig vnnd barmhertzig ſeyn. Amen.

XIV. FRIDERICVS II. Sapiens.

In geſtis Friderici Secundi, Electoris Palatini, cognomẽto Sapientis, denarrandis hic non ero prolixior, cum paſſim omnium manibus terantur, & olim ab Huberto Thoma Leodio ſeptem Annalium libris deſcripta, & nuper Francoſurti recens edita ſint. Natus eſt anno Domini 1483. die nona Decembris, Patre Philippo, Electore Palatino, matre Margaretha, Georgii Diuitis Bauariæ Ducis ſorore, in arce Wintzingen, iuxta Neapolin

lin Nemetum, oppidum amœniſſimum; quam in arcem mater illuſtriſſima vitandæ peſtis gratia, quæ Heidelbergam, & viciniora loca infeſtabat, ſeceſſerat. Puer ſub pædagogo ſtatim bonæ indolis & ingenii ſpecimen dedit. Literas enim ſua ſponte, vel blandis verbis admonitus, libenter præ cæteris fratribus addiſcebat; coactus minis vel verberibus, pertinaciter reluctabatur: quod equidem generoſo animo adſcribendum eſt. Literatores tunc temporis, tanquam in pueros tyrannidem exercentes, ferula & virga terribiles, Stentorea voce à diſcipulis omnia extorquebant. Qua de re grandior factus Illuſtriſſimus Princeps Fridericus Secundus, non ſemel conqueſtus eſt. Neque enim dubitabat, ſi alium pueritiæ ſuæ inſtitutorem, & qualem vel Horatius, vel Quintilianus deſcribunt, nactus fuiſſet, quin pro captu ingenii ſui literas, & præſertim linguam Latinā, facile perdidiciſſet: quam quidem vt ſemper amauit, ita præter mediocrem intelligentiam, & veluti à limine ſalutatam, non calluit: Hiſpanicæ vero apprime gnarus erat, quam adoleſcens probe didicerat, quo tempore in peregrinis aulis, ſub Philippo, Auſtriæ Archiduce, Caſtellæ

Rege; Maximiliano I. & Carolo V. Imperatoribus, verſatus fuerat. Cum Gallis, & aliis exteris gentibus multum commercii habuit: & varia peregrinationis diſcrimina ſubiit. Hiſpanias enim, Italiam, Angliam, Galliam, Belgium, Hungariam, Bohemiam, & fere maiorem Europæ partem peragrauit. Ex Hiſpaniis Heidelbergam reuerſus, Othonis Henrici, & Philippi Bellicoſi, Nepotum ſuorum ex fratre Ruperto Virtuoſo, tutelam ſuſcepit.

A Philippo Rege, Caroli Quinti Patre, tantopere diligebatur, vt ſummas dignitates in Belgio proculdubio conſecutus fuiſſet, ſi in eius obſequiis manſiſſet. In bello Veneto, ſub Maximiliano Primo Imper. prima militiæ rudimenta hauſit, & proprio ſumptu Cæſari auxiliares copias adduxit: & ab eo poſtmodum impetrauit, vt frater Georgius in Epiſcopum Spirenſem communibus ſuffragiis eligeretur. Ipſe Caroli Quinti, iuuenis Curator conſtitutus, fidem, quam Philippo Caſtellæ Regi in Belgio & Hiſpania impenderat, in filium deriuauit, eumque mundi Dominum formauit. Sed Carolus, adulatorum & ſycophantorum aulicorum morſu, in Fridericum Palatinum

num concitatus, eum poſtea ex aula ſua dimiſit. Adeo vitrea eſt aulica gratia; cum ſplendet, frangitur. Gnathones occaſionem calumniandi arripiebant ex amore Eleonoræ, Caroli Quinti ſorore, quæ Fridericum Palatinum efflictim deperiebat. Dimiſſus à Carolo Fridericus, non ſine vitæ diſcrimine, Heidelbergam rediit, & permiſſu fratris Ludouici Electoris, Palatinatum Superiorem in Norico adminiſtrauit, & Ambergæ quietam vitam egit, donec anno 1519 defuncto Maximiliano Primo Cæſare, Nepos eius Carolus Quintus, Rex Hiſpaniarum, communi Electorum calculo, Francofurti ad Mœnum Romanorum Imperator crearetur: quam quidem electionem Fridericus Palatinus, Septemvirorum Legatus, Carolo, in Hiſpaniam profectus, renunciauit, & ab eo honorifice donatus, in Germaniam reuerſus eſt. Poſtea & Cæſaris abſentis Vicarius ac Legatus, in pleriſque Imperii Comitiis inter primos ad conſilia ſecretiora, Eccleſiaſticarum rerum diiudicationes, aliaſque grauiſſimas deliberationes adhibitus fuit. Tanti certe eum Imperator Carolus Quintus Imperator fecit, vt bis exercitui, qui Imperii Romani nomine Turcæ Auſtriam deuaſtanti opponebatur, præfecit, magno

Reip. & Eccleſiæ Chriſtianæ emolumento. Fridericus enim palatinus, non tantum periclitanti Viennæ opem tulit, exercitumque Solimanni, Turcarum Imperatoris, à tanta præda auulſit, præſidiariis intus mœnia ſtrenue defendentibus, Duce Philippo palatino, Nepote ſuo ex fratre Ruperto: ſed & de Caſone, Turcico duce fortiſſimo, egregiam reportauit victoriam: Rebus adeo præclare geſtis, & iam ferme quinquagenarius, matrimonium contraxit cum Dorothea, filia Chriſtierni II. Daniæ, Norvvegiæ, & Sueciæ Regis, qui tertio poſt Stockholmienſem lanienam anno, multis cædibus efferatus, cum ne ſuorum quidem ſanguine cruentam ſitim reſtinguere poſſet, à Friderico patruo, Holſatiæ Duce, regno pulſus, à Chriſtiano III. Daniæ Rege in carcerem coniectus eſt.

Huius Chriſtierni II. Daniæ Regis exulis gener Fridericus II. Palatinus, à Cæſare Carolo Quinto ſollicitatus, grauia bella pro regni Danici recuperatione ſuſcepit, omnemque lapidem mouit, vt vel ſocerum à vinculis liberaret, vel in eius locum Rex admitteretur. Sed totus is conatus irritus euaſit:

Inuidia quoniam, ceu fulmine, ſumma vaporant

Plerum-

Plerumque , & quæ ſunt aliis magis edita cumque.

Poſt mortem Ludouici Pacifici, Electoris Palatini, anno 1544. in locum eius ſuffectus eſt Fridericus II. frater, qui Spiræ in Comitiis Electoratus ac Palatinæ ditionis inſignia à Cæſare Carolo Quinto accepit, Gulielmo, Bauariæ Duce, Alberti filio, fruſtra eandem Inueſtituram Electoralis dignitatis appetente. Ab eo tempore Sereniſſimi Electores Palatini globum illum, ſiue Pomum aureum, à Cæſare Friderico donatum, cum cruce impoſita, ſuis inſignibus inſculpi faciunt. Vt primum Sereniſſimus Princeps Fridericus, culmen Electoralis ſuæ dignitatis in Palatinatu ad Rhenũ conſcendit, multis laboribus, vt pacis Germaniæ ſtudioſiſſimus erat, exhauſtis, diſſidium illud infelix, quod inter Cæſarem & Proteſtantes propter Religionem exortum erat, fruſtra componere ſtuduit. Iam enim vbique fama de bello Germanico percrebuerat, eaque de cauſa Proteſtantes Principes Francofurti ad Mœnum conuenerant, vt in commune conſulerent, & iuxta Smalcaldicum fœdus, iniuriam, ſi quæ religionis cauſa inferretur, communibus armis & ſumptibus propulſarent. Eodem fere tempore Fri-

dericus Elector Palatiuus, Proteſtantibus & Euangelicis bonam tandem operam nauauit. Vt enim ſuorum votis ſatisfaceret, cum in religione iam multos annos conciliationem & emendationem fruſtra ſperaſſet, remque differri diutius periculoſum exiſtimaret, per ditionem ſuam reiectis Papiſticis dogmatibus, & abolita Pontificia authoritate, doctrinam Lutheri recepit, & ritus puriores introduxit: eaque de cauſa Paulum Fagium, expertæ integritatis Theologum, Argentorato Heidelbergam euocauit, vt eius opera præcipue in conſtituendis ad normam primitiuæ ditionum ſuarum Eccleſiis vteretur; cui propterea gratulati ſunt Principes Proteſtantes: vt auctor eſt Sleidanus, harum rerum diligens ſcriptor, ex quo Thuanus annotauit. De Academiæ vero vulnere curando, ſolicitudine pia multum etiam inquiſiuit Fridericus Elector, in id vnum intentus, vt quæ prima facie inter Germanas fuiſſet, primas quoque & priſtinum decus obtineret. Itaque primum factioſas illas, & in ſeſe mutuo ſtylo ruentes, Nominalium, Realium, Thomiſtarum, Scotiſtarum ſectas aboleuit & ſuſtulit, contubernia tria prius diſtincta, ſtudiiſque partium diſtracta, coniunxit, ac quo felicius

cius veritatis Euangelicæ propagationi conſuleret, ſtudioſis adoleſcentibus, in re anguſta domi conſtitutis, de liberali victu & commoda ſuſtentatione proſpexit. In eum finem Auguſtinianum illud Cœnobium, à Monachis paulatim deſertum, deſtinauit, idque vacuum meliori huic & ſanctiori vſui conſecrauit, vt fieret Sapientiæ Collegium, Schola pietatis, Gymnaſium virtutis, in quo lecta Iuuenta ſacris Scripturis, humanioribus literis, omnibuſque diſciplinis honeſtiſſimis ad Reip. & Eccleſiæ Palatinæ emolumentum exerceretur & educaretur. Sed conſilium optimi & pientiſſimi Friderici bello Smalcadico interruptum fuit, quod Cæſar cum fœderatis Principibus, & Ciuitatibus Auguſtanæ Confeſſionis, geſſit anno 1446.

Nam ob Cæſaris Caroli victoriam, qui Germaniam Germanorum viribus, arte Hiſpana, oppugnarat, in nihilum Friderici Electoris conatus tum recidit: & decennio poſt Otho demum Henricus ſucceſſor, Deo cœptis fauente, in effectum, quod pius in votis prædeceſſor habuerat, deduxit: quod pium opus Friderius Tertius poſtea continuauit, & diuina ope abſoluit. In Comitiis Auguſtanis, Anno 1547. cum à Cæſare Victo-

re ſibi metueret Fridericus II. in Tridentinum Concilium conſenſit, & famoſam illam Religionis Formulam Intermiſticam recepit. Atque ita inchoatæ Reformationis opus in Palatinatu, quod nimius metus Hiſpanici ſucceſſus & furoris retardauerat, in magis ſerenam tempeſtatem fuit dilatum. Sub initium belli Germanici, Fridericus Elector Palatinus quadringentos equites auxilio miſerat Smalcaldicis, quum eſſent ad Ingolſtadium. Itaque cum Cæſar Victor Halam, oppidum Sueuiæ, proficiſceretur, Fridericus Palatinus eum adiit, & non ipſius oppugnandi cauſa; verum, quod ex fœdere priuato teneretur Wirtembergico Duci, factum hoc eſſe demonſtrauit. Cæſar Fridericum acribus quidem verbis excepit, & enumeratis, quæ contuliſſet in ipſum, beneficiis, grauiter incuſauit; veruntamen ignouit, & vt errorem hunc atque culpam, in poſterum, accuratiore fide compenſaret, hortatus eſt: vt refert Sleidanus, lib. XVIII. & Thuan. hiſt. lib. II. his verbis, notatu digniſſimis: *Vlmenſiũ ſupplicum exemplo permotus Fridericus Palatinus, Halam Sueuiæ mox venit, & tentata per Granuellanum Cancellarium via, cum ſe coram Cæſare ſtitiſſet: Non tam potentiæ tuæ magnitudine territus,* (inquit) *quam clementia*

mentiæ fiducia fretus, genibus tuis ſupplex ad-uoluor, vt quanto maxima mea eſt erga te of-fenſio, tanto maximam erga me tuam expe-riar beniuolentiam; & quanquam culpa mea habeat iuſtas & legitimas excuſationis cauſas; ſatius duco, crimen ſateri, quam committere, vt de clementia tua dubitare vi-dear. Cum enim videam te etiam erga no-centiſſimos ſingulari indulgentia vti, malo ius meum mihi pereat, quam de clementiæ tuæ laude quicquam detrahatur. Tu me ergo per-duellem, tu fatentem, tu ſupplicem reum im-prudentia lapſum in gratiam ſuſcipe, & à me viciſſim debiti & conſtantis obſequii fidem vllis fortunæ ictibus inconcuſſam accipe. Ad hæc Cæſar truci primum, dein ſereniore vultu in hæc verba reſpondit: Vellem ab alio quouis potius, quam à te, principium clementiæ fe-ciſſem. Neque enim in hos canos, in quos citra pudorem imprudentia non cadit; neque arctiſ-ſimum cognationis, quod tecum mihi eſt, vin-culum, quod ſine impietate à te violari non potuit, hoc decebat, vt me armis peteres, vt me pro Imperii Maieſtate pugnantem coniunctis cum Imperii hoſtibus iuratis viribus & con-ſiliis bello perſequi velles. Nam excuſationis cauſæ, quas dicis, potius te onerant, quam culpa & crimine liberant. Sed quo-niam ita caſus tulit, vt etiam ex proximis clementiæ gloriam reportare me oporteat; age,

& vt ſperaſti me benignum Dominum, me indulgentem cognatum, &, quod caput eſt, victoria in victos & ſupplices moderate vtentẽ, experiare, tuique officii eſſe reputa, omni ope eniti, vt offenſionis grauitatem omni fide & obſequio in poſterum ſuperes. His dictis venerandam ſenis canitiem deoſculatus, eum in pedes erigit, & bonis omnibus, ac priſtinæ dignitati reſtituit. Quod Gulielmum Bauarum Agnatum, qui ſpe obtinendi Septemviratus Cæſarianas partes ſecutus fuerat, ægerrime tuliſſe ferunt. Sed Cæſar è re ſua & publica exiſtimauit eſſe, erga Palatinum potentiſſimũ principem, de Imperio olim optime meritum, ea benignitate vti, vt eum à fœderatorum ſocietate auulſum in ſuas partes pertraheret; ratus fore, vt eius exẽplo admonitæ ciuitates, aut defectione territæ, celerius ad officium redirent. Hæc Thuanus. Interuentu poſtmodum Friderici Electoris palatini, Cæſari reconciliati, multi principes & ciuitates, proteſtantiũ fœderi addictæ, à Cæſare veniam impetrarunt. Vixit is inter principes palatinos diutiſſime. peruenit enim vſq; ad annum ætatis 74. Deceſſit ſine liberis Alzeæ, an. 1556. 26. Febr. princeps ætate grauis, & prudentia, inq; ſummis Imp. Germ. negotiis p̃clare verſatus, mãſuetudine animi p̃ſtãs bellicis ẽt artib. clarus; eqtandi adeo perit⁹, vt in inferiore

Germa-

Germania & Hiſpania vulgare diu fuerit prouerbium; *Il eſt à cheual, comme le Palatin: Ille ceu Palatinus equitat:* In illo præterea fuit is, in patriam & ſubditos amore, nihil vt Germanię ſalute ſibi prius, incolumitate eorum, qui Imperio ſuo ſubeſſent, antiquius duceret. *P*acis vero in his ciuilibus diſſenſionibus ſtudium tantum, vt ad eam vel componendam, vel conſeruandam, nihil operæ aut facultatum intermitteret. Iam humanitate tanta præditus, vt qui dignitate multis Principibus præſtaret, affabilitate par infimis eſſe videretur. Clementia tanta, vt nihil acerbe, nihil crudeliter ageret. Liberalitate tanta, vt non modo in ſuos maxima beneficia collocaret, ſed nemınem omnino negligeret, in quo ſibi aliqua ſignificatio virtutis apparere videbatur: Multis denique aliis egregiis virtutibus *P*rincipe Chriſtiano dignis exornatus; in quibus illa etiam laus maxima effloreſcit, quod ab eruditis literis, earumque cultoribus animum haud geſſit alienum, & in id ſumma cura incubuit, vt Academiam Heidelbergenſem amplificatam redderet. Quin etiam vehementi deſiderio flagrabat, ceu parens, fœtum ſuum tandem in lucem editum aſpiciendi, atque ex horto Sapientiæ à ſe condi-

to flores quoſdam, aut ſaltem primitias decerpendi: quod extremis etiam ſuſpiriis expetiiſſe fertur. Sed inſtabat fatum, quo rebus humanis exemptus, in meliorem cælitum Academiam translatus eſt. Corpus eius Heidelbergam deportatum, in choro templi primarii humatum eſt: addita hac Epigraphe:

ILLVSTRISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO. FRIDERICO. SECVNDO. COMITI. PALATINO. RHENI. DVCI. BAVARIÆ. SACRI. ROMANI. IMPERII. ARCHIDAPIFERO. PRINCIPI. ELECTORI. QVI. OBIIT. ALTZEÆ. ANNO. MDLVI. XXVI. FEBRVARII. ÆTATIS. LXXIV.

SERENISSIMÆ. HEROINÆ. REGIAQVE. STIRPE. PROGNATÆ. DOMINÆ. DOROTHEÆ. COMITIS. PALATINÆ. RHENI. DVCIS. BAVARIÆ. REGNORVM. DANIÆ. SVECIÆ. AC. NORVVEGIÆ. PRINCIPI. AC. HÆREDI, ELECTORIS. CONTORALI. DILECTISSIMÆ. QVÆ OBIIT. NEAGORÆ. ANNO. MDLXXX.

FRIDERICVS. III. DEI. GRATIA. COMES. PALATINVS. RHENI. SACRI. ROMANI, IMPERII. ARCHIDAPIFER.

AC.

AC. PRINCEPS. ELECTOR. DVX. BAVARIÆ. AGNATIS. AC. CONSANGVINEIS. CHARISSIMIS. OPTIMEQVE. MERITIS. HOC. MONVMENTVM. GRATITVDINIS. ERGO. POSVIT. ANNO. M. D. LXII.

XV. OTHO HENRICVS Magnanimus.

Otho Henricus, cognomento Magnanimus, Ruperti Virtuoſi à Cæſare Maximiliano I. proſcripti, & Eliſabethæ Bauaricæ filius, Philippi Electoris Palatini Nepos, natus Anno Domini 1502. bonitate Cæſaris victoris Ducatũ Neoburgicum ad Danubium retinuit. Adoleſcens in terram ſanctam peregrinationem ſuſcepit, ſaluuſque & incolumis rediit Neoburgum, Anno 1521. vbi quinquennio poſt nuptias celebrauit cum Suſanna, Bauariæ Duciſſa, Caſimiri Marchionis Brandeburgici relicta vidua. Evangelii doctrinam in ſua ditione amplexus eſt, Anno 1542. & quadriennio poſt in bello Smalcaldico fœderi Proteſtantium ſeſe coniunxit, periclitatus hoc nomine de ſuis omnibus fortunis, & Ducatu Neoburgico exutus, quem potius amittere voluit, quam eo retento in Cæſa-

ris

ris & *Papæ* gratiam Religionis Euangelicæ veritatem deſerere. Voluit & Deus conſtantiam iſtam fidemque larga benedictione ornatam, dum non modo Anno 1552. prædictam ditionem Neoburgicam ipſi reſtitueret, ſed ad Electoralis inſuper ſucceſſionis dignitatem, Friderico II. patruo è viuis ſublato, glorioſe eundem eueheret, Anno 1556. Poſteaquam igitur inclytus & magnanimus Princeps Otho Henricus, à Cæſare Ferdinando I. Caroli V. fratre, conſuetudine vetuſta, poſſeſſarum beneficio Imperii ditionum inſignia accepiſſet: in ipſo aditu gubernationis ſuæ, menſe Martio, heroico planè zelo, Miſſam & Papiſticos ritus omnes aboleuit, Ordinationem Eccleſiaſticam patrio ſermone publicauit; idola & ſtatuas è templis exturbauit; & veterem illam ſancti Euangelii doctrinam in ſuis prouinciis promulgari & prædicari curauit. Sed propter citius abruptum vitæ curſum, hanc feliciter inchoatam Eccleſiarum Palatinarum Reformationem, quas à pleriſque ſuperſtitionibus Pontificiis repurgauerat, abſoluere non potuit. Nam, quemadmodum olim Templi Hieroſolymitani ædificium Salomoni (quod nomen apud Hebræos Pacificum, ſiue Fridericum ſignificat) à Domi-
no

no Deo deſtinatum fuerat: ita plenior Reformatio, & rerum Eccleſiaſticarum conſtitutio Friderico III. Pio Electori Palatino reſeruabatur. *Præter* virtutes, Palatinis Principibus communes, & ceu gentilitias dotes, Otho etiam Henricus Septemuir, ſingulari benignitate & munificentia, omnium optimarum artium ac literarum ſtudia fouit, Academiæ Heidelbergenſis Mœcenatem clementiſſimum ſe præbuit, quam opera & conſilio *P*hilippi Melanchthonis præſertim, & aliorum, meliorem in ordinem diſpoſuit, & regaliter propemodum dotatam illuſtrauit, adſcitis aliunde Viris doctrinæ laude clariſſimis. Bibliothecam illam Palatinam, quæ per totam Europam vix parem habebat, primus inſtituit, eoque nomine gloriam immortalem & ſibi, & Bibliothecæ *P*alatinæ peperit. Huic augendæ & ornandæ, per idoneos homines ex Italia & Gallia, varios authores Manuſcriptos, & raros, eos præſertim, qui ad Religionis Orthodoxæ demonſtrationem aliquid conferre poſſent, inquiri iuſſit, & magno ſumptu comparauit. Atque his quidem voluminibus euoluendis Optimus & Munificentiſſimus Elector Otho Henricus ipſus ſemet oblectabat, ac liberalibus ſtudiis, Mathematicis &

Aſtro-

Aſtronomicis inprimis, animum curis laboribuſque gubernationis fatigatum recreabat, ſua manu ſciot erica quandoq; delineans, quorum vnum horizontale cum dodecatomoriis argenteæ laminæ inciſum, à multis ſæpiuſculè magna cum admiratione ſpectatum. Doctorum inſuper colloquiis & conſuetudine mirum quantum gaudebat, & hos opibus ſuis, quoquo modo poterat, iuuabat, fouebat, prouehebat. Cum vero vix triennium Septemuiratum Palatinum laudabiliter adminiſtraſſet, inopinata morte ex hac vita abreptus, animam Deo reddidit, Anno 1559. pridie Idus Febr. nullis relictis liberis. *Principatum* ſuũ Neoburgicum, per diſpoſitionem, Illuſtriſſimo *Principi* Wolfgango, Duci Bipontino, legauit: abſque illa diſpoſitione ad Electorem Palatinum deuolutus fuiſſet. Poſtquam igitur in Othone Henrico Ludouici Barbati, Concilii Conſtantienſis Executoris, tota ſtirps deſiiſſet, qui primogenitus erat Ruperti, Romanorum Regis: & reliqui duo Ruperti filii, Iohannes & Otho Mosbacenſis, hæredes non reliquiſſent diuturnos: ex Stephano autem, quarto Regis Ruperti filio, orti eſſent Simmerenſes Principes Palatini: ex illa familia Fridericus III. Ducis Iohan-

hannis Simmerenſis filius, primus ad Electoratum peruenit; cum Otho Henricus diem ſuum Heidelbergæ placidè obiiſſet. Qua occaſione facere non poſſum, quin memorabile dictum pii & orthodoxi illius Principis Othonis Henrici chartis iterum conſignem: Solitum nimirum illum, quoties mala inualetudinis ſimul & orbitatis ſuæ ingemiſcens deploraret, vltro agnoſcere & fateri, non ſine iuſto Dei iudicio Ludouici Barbati, Abaui ſui ſtirpem tandem interire, & è medio generis humani tolli: diuina vindicta illi manifeſtè incumbente, qui in Conſtantienſi Synodo à Pontificibus dictatam in glorioſum illum Martyrem, Iohannem Huſſum Bohemum, diram & immanem viuicomburii ſententiam, & quidem tam animoſe exequutus fuerit. Cuius tanti piaculi & fuſi ſanguinis innoxii, quum ille Concilii ſcilicet Protector ſeſe, vt ignorans, conſortem & participem reddiderit, iuſtam certamque Dei; vindicis Sanctorum ſuorum, offenſam incurriſſe; quam & ipſe Ludouicus Cæcus ſub exitum vitæ ſuæ luere cœperit, & poſteritati eius in quartam generationem luenda ſuperfuerit. In Mauſoleo Othonis Henrici Heidelbergæ ad Spiritum S. talis legitur Inſcriptio:

OTHO-

OTHO. HENRICVS. PALATINVS. COMES. RHENI. S. ROM. IMP. VII. VIR. DVX. VTR. BAVARIÆ. VT. LVDOVICI. PII. ROBERTI. CÆS. F. POSTERORVM. VLTIMVS. SIC RENATÆ. EVANGELICÆ. PVRITATIS. INSTAVRATOR. PRIMVS. VIVVS. SIBI. P. NATVS. X. APRIL. MDII. OBIIT. XII. FEBR. MDLIX.

XVI. FRIDERICVS III.
Pius.

Deus Opt. Max. qui regna mundi pro ſuo arbitrio conſtituit & mutat, cum Othonem Henricum propè triennio poſt adeptum Septemuiratum, ad ſe in cœleſtia gaudia recepiſſet; in quo, vt dixi, progenies Ludouici Barbati, primogeniti Ruperti Imperatoris, ſeſquiſeculum Electoralibus honoribus vſa gauiſaque deſiit: Anno 1559. dignitatem Septemuiralem tranſtulit in abnepotem Ruperti Regis Romanorum ex filio Stephano Simerenſi, Fridericum III. Iohannis II. Ducis Simerenſis, & Comitis Spanheimenſis filium, qui Pii cognomentum meritiſſimo tulit; eique felicitatem hanc reſeruauit, vt ſub ipſius Imperio pura religio caput altius efferret, & Eccleſia magis effloreſceret, ac propagaretur. De hoc

hoc autem Frider.III. verè dici poteſt, quod Euſebius de Conſtantino Magno ſcribit; eum nimirum in tyrannorũm ædibus, vt & Moyſen in Ægypto, educatum fuiſſe: & Deum interea vtriuſque opera poſtea vſum ad tyrannos puniendos. Nam in acerrimorum hoſtium Religionis Euangelicæ, tum in Lotharingia, tum in Erhardi à Marcka, Leodienſis Epiſcopi, nec non in Imperatoris Caroli V. dum in Belgio eſſet, aula educatus fuerat: & vſq; ad virilem conſtantemque ætatem inter medios Pontificios vixit, donec deſponſata ei fidiſſima coniuge Maria, Caſimiri Marchionis Brandenburgici Onolsbacenſis filia, Euangelicis ſeſe adiungere cœpit: & Culnbaci primum, deinde Ambergæ, in quibus locis Proprincipem egit, Evangelicam doctrinam palam profeſſus eſt. Iuuenis adhuc in bello contra Turcas Signiferum Imperii egit, & laudem non vulgarem in illa ætate adeptus eſt. Cum Amberga ad Electoratum capeſſendum veniret, omnes ille neruos ingenii & corporis intendit religioſe, vt quam latiſſimè regnum Dei pateret, cuius gratia nullis ſumptibus pepercit, nullis laboribus, nullis calumniis ſuccubuit, ſed inuicta animi conſtantia conatus aduerſantium fregit & ſuperauit.

uit. Ac occaſionem rei bene gerendæ tempus ipſum, in quod adminiſtrationis initium inciderat, prudentiſſimo Electoro ſubminiſtrauit. Eccleſiam tunc Heidelbergenſem, infauſto illo certamine, pro orali corporis Dominici in ſacra cœna, eaque cum impiis communi manducatione, ſuſcepto, Tilemannus Heshuſius, irrequieti capitis homo, perturbauerat, qui cum Collega Guilielmo Clebitio, & aliis ſocietatem colere non poterat, quam nec alibi poſtea diu fouere potuit. Hic admirabilem ſtatim in initiis gubernationis prudentiam & æquitatem oſtendit piiſſimus Elector Fridericus. Nam cum illas de Religione controuerſias graues, & iudicia Eccleſiaſtica, cum ſumma æquitate & prudentia, adminiſtranda eſſe videret; duo ſibi facienda eſſe putauit, vt bonam conſcientiam, & laudem moderati ac ſapientis Principis retineret. Primum enim ablegato Cameræ Secretario Stephano Zirlero, Viro induſtrio, Witebergam, ad clariſſimos tum temporis Theologos, nominatim incomparabilem illum Germaniæ Phœnicē, Philip. Melanchthonē, ciuem ſuum, rem omnē perſcripſit: & ex eorum conſilio eos, qui irreconciliabilia odia exercere videbantur, & velut faces erant

erant diſſidiorum, dimiſit; vt finis eſſet conuiciorum & inſectationum in ſua Vrbe. Deinde, vt doctrina controuerſa explicaretur, Diſputationem ſeu Colloquium publicum de Euchariſtia, anno 1560. haberi voluit: in quo Colloquio *P*ientiſſimus Elector Fridericus facile deprehēdit, aduerſam quidem partem, nempe Thuringicos Theologos, qui tunc aderant, dicendi quadam facultate, aut potius linguæ volubilitate & audacia: eos autem, qui Orthodoxam de cœna ſacra ſententiam defendebant, ſimplicis veritatis ſolida & ingenua defenſione eſſe ſuperiores. Et ſic huic malo ſumma ſapientia & clementia ſaluberrimum attulit remedium. Vt vero de controverſiis rectius iudicaret, in earum cognitionem, & ſacrarum literarum lectionem vigili cura incubuit, eo pacto id aſſecutus, vt in vera fide tum ipſe multum proficeret; tum Eccleſias ſuæ ditionis per Orthodoxos Doctores religioſius & ſanctius inſtitui curaret: quarum ſeminarium cum Sapientiæ domum agnoſceret, eam ornandam & amplificandam ſibi ſumpſit. Cum enim hactenus in iſto recenti Collegio triuialia, principia linguarum & artium ferè tradita fuiſſent; Fridericus III. Pius Elector, idoneorum verbi diuini præ-

ni præconum ingentem his locis penuriam, ac operariorum fidelium in meſſe tam copioſa raritatem conſpicatus, illud potiſſimum S. Theologiæ dedicauit & conſecrauit, vt eſſet, quod dicitur, veræ nimirum illius supernè deſcendentis Sapientiæ domicilium, & templum, in quo iuuenes ad miniſterium ſacrum, in ſpem Eccleſiarum ac Scholarum Palatinatus, educarentur. Intellexit nimirum Celſitudo ipſius, Scholas Chriſtianas veluti ſeminaria ſiue plantaria eſſe, vbi plantulæ educantur, quæ ſuo tempore in vineam Eccleſiaſtici miniſterii tranſplantatæ, ſuauiſſimos doctrinæ cœleſtis fructus, ferunt. Eo igitur cōſilio tria quoque Gymnaſia, Anno 1565. in ſua ditione condidit & aperuit: Vnum Heidelbergæ, Franciſcanorum clauſtro in Pædagogeum commutato: Alterum Neuhuſii, in patria mea dulciſſima, vno lapide ab Vrbe Vangionum, in quo Collegio prius Canonici quidam irregulares contra regulam Chriſti & Apoſtolorum Bacchanalia vixerant: Tertium in Bauarico Palatinatu Ambergæ condidit, vt ne Bauaris quidem palæſtra literaria deeſſet. In his Scholis (vt taceam de minoribus paſſim per oppida & pagos inſtitutis) pueros minores & rudiores adoleſcentes pietatis

tatis limpidos fontes à teneris vnguiculis quaſi cum lacte ſugere & imbibere; tum elementis Latinæ & Græcæ linguæ ex authoribus probatiſſimis; diſciplinis denique inſtrumentalibus, & Philoſophiæ progymnaſmatis imbui: ſic adoleſcentum ingeniis ſubactis, mentibus cultis; veluti ſemina doctrinarum, inſeri; eoſque hoc cultu ad publicas Lectiones Academiæ, & Collegium Sapientiæ præparari; poſt in grauioribus hiſce φροντιστηρίοις amplius excoli & perfici debere, ſapientiſſimo Principi viſum, conſtitutum & decretum fuit. His quadrigis Eccleſia & Reſpublica Palatina magno cum honore & commodo inuecta triumphauit. Nam ſicut Iſraelitica Politia tum maximè floruit, Hebræis veteribus atteſtantibus, cum Vrbes, oppida, pagi ferè ſinguli ſuas Scholas haberent, quas illi *bethmidras* vocabant: in quibus Prophetæ ſuos filios, Leuitæ diſcipulos & auditores legem ac verum Dei cultum docebant: ipſos etiam Reges, vti Solomonem, Aſam, Ioſaphatum, Ioam, Ezechiam item, & Ioſiam, ad pietatem & prudentiam inſtruebant: Ita Remp. Palatinam beatam iſto tempore prædicare debemus, quo qui imperarunt, & ipſi ſapientia fuerunt imbuti; & in ciuitatibus,

N oppi-

oppidis, villis propè ſingulis, ludos literarios, Scholas ſapientiæ & pietatis aperuerunt: ex quibus deinde pueri ad illuſtria illa Pœdagogea tranſmiſſi, gratis inſtituebantur omnes, plurimi verò Principum Palatinorum ſumptibus alebantur, & ex aſſe ſuſtentabantur liberaliter, vſque dum ab imis ad altiora ſubſellia Collegii ſapientiæ traducti ſunt. Anno 1561. ad Naumburgicum conuentum profectus eſt Pius Electòr Fridericus III. vbi cum Landgrauio Philippo Seniore, laudatiſſimæ memoriæ Principe, Flacцianorum conatus & conſilia, qui diſſentientes à ſe Eccleſias damnare volebant, fregit & diſſipauit, & cum præcipuis Imperii ordinibus Euangelicis, Auguſtanam Confeſſionem recognitam, & a Philippo Melanchthone explicatam, chirographo & ſigillo proprio ſubſignauit. Anno ſequenti 1562. in ſolennibus illis Imperii Comitiis, Francofurti ad Mœnum habitis, Maximilianum II. Romanorum Regem cum Collegis Septemviris elegit, & perfecit, vt in plenis Comitiis Illuſtriſſimi Principis Condæi Ludouici Borbonii, & Eccleſiarum Gallicarum legati benignè audirentur: quibus poſtea, ſociis Landgrauio Haſſiæ, & Duce Chriſtophoro, contra hoſtium inſidi-

dias & machinationes, ſuppetias tulit. Cum vero Eccleſiarum & Scholarum miniſtri diſſentaneos Catechiſmos, quidam etiam ſua commenta proponerent: optimus Elector, vt ad harmoniam, & vniformem hypotypoſin ſacræ doctrinæ cũctos reuocaret, à Theologis pleniorem & planiorem Catecheſin ex fontibus Iſraelis, nempe ex ſolis ſcripturis Canonicis, conſcribi iuſſit: quam ipſe quoque propriis literis omnibus Eccleſiarum paſtoribus, & Scholarum Rectoribus in Palatinatu pueris inculcandam demandauit: ac tanquam certam & definitam formam (quę ſunt ipſius Pientiſſimi Principis verba) ad quam & concionatores, & ludimagiſtri in templis & Scholis iuuentutem informarent, commendauit: ne pro ſuo arbitrio noua ſubinde inſtituerent, aut ea traderent, quæ verbo Dei non ſint conſentanea. Docuerunt tunc in Academia Heidelbergenſi tres Theologiæ Doctores celeberrimi: *Petrus Boquinus*, Noui Teſtamenti; *Immanuel Tremellius*, Veteris Codicis: *Zacharias Vrſinus*, Locorum communium Profeſſor. In Eccleſia primario loco, magno zelo atque applauſu docebat, D. Caſparus Oleuianus, Orthodoxias defenſor acerrimus: qui omnes vna manu, concor-

dibus votis, Ziona & Hieroſolymam Palatinam exædificarunt. Editus eſt aureus hic libellus Catecheticus primitus in lucem, Anno 1563. Quoniam verò, communi piorum iudicio, hac Catecheſi Palatina vix alia dari poteſt ſolidior, concinnior, perfectior, & ad captum adultiorum pariter ac iuniorum accommodatior: ea merito non ſolum in Electorali Palatinatu, ſed etiam in Belgio, aliiſque Eccleſiis & Scholis Reformatis recepta eſt, & approbata. Extat hodie non tantum in lingua Latina & Germanica: ſed etiam Hebræa, Græca, Indica Orientali, Belgica: & laboratur quoque apud Belgas de eadem in Hiſpanicam linguam transferenda: vt in India Occidentali vſui eſſe poſſit.

Anno 1564. Fridericus Palatinus Septemuir, & Chriſtophorus Wirtembergicus Dux, in Maulbrunnenſi Monaſterio ex pacto conuenerunt, vt diu inter ipſos, de præſentia corporis Domini in ſacra cœna, agitatæ quæſtioni, tandem finis imponeretur, & ratio concordiæ Chriſtianæ iniretur. Adduxerat vterque Princeps ſuos Theologos & Politicos. Colloquium, menſe Aprili, totum ſeptiduum durauit, nihilque aliud eo effectum, quam quod Illuſtriſſimis Principibus

pibus ob alia negotia inde diſcedentibus, Acta confecta, quibus ſubſcripſere ab vtraque parte delecti, quæ poſtea publicata ſunt. Sic Colloquium illud Maulbrunnenſe, quod, vt incendium controuerſiæ Euchariſticæ tandem extingueretur, inſtitutum fuerat, maioris flammæ excitandæ initium extitit. Nam Anno 1566. in Comitiis Auguſtanis, coram Maximiliano II. Cæſare, & vtriuſque partis ordinibus, ab æmulis quibuſdam, iiſque agnatis Principibus, Theologorum quorundam turbulentorum inſtigatu, Pientiſſimo Principi Electori Friderico III. ob ſinceram eius de ſacra cœna Confeſſionem, grauis inuidia intentata fuit: ſed ille agnitam veritatem nihilominus, cum diſcrimine ac periculo omnium fortunarum ſuarum, adeo conſtanter profitebatur, vt Septemuiratus potius dignitate cedendum, quam ab Euangelica recedendum veritate, iudicaret: ſi illa, niſi hac perdita, retineri non poſſet. Sane Cæſar Maximilianus II. Electoribus & Principibus illis, qui Fridericum illum Pium Palatinum è religionis Pace excludere nitebantur, præclarè occurrebat: *Reſpondendum ne*, inquiens, *vobis, quod Chriſtus Salome? Neſcitis, quid petatis? An Imperij Principem illum eſſe ignoratis?*

 Diſ-

Diſſidebitis ne inter vos ipſi? Sed idem tamen Imperator, ſeuere admodum grauiterque Electori Friderico III. iniungebat, vt Religionem ſuam, quæ alia à Confeſſione in Comitiis recepta, & Caluiniſmi labe diceretur infecta, mutaret, penituſque aboleret. Deum immortalem! quoties tunc triſtiſſimi rumores de Principe Electore Friderico à Senatu & Ordine Electorum excluſo, depoſito, quin & capite plexo Heidelbergam aduolabant? Verum enimuero omnem æmulorum maleuolentiam fregit Optimi Electoris inuicta pietas atque conſtantia. Is enim cauſæ bonitate fretus, auguſtiſſimum totius Imperii conſeſſum, quo ſenſerat ſeſe excluſum, ſponte ſua ingreſſus, obmuteſcentibus aliis ſuis oratoribus, quos ſecum duxerat, ipſe apertè & diſertè, vt ſinceræ Religionis amor ſuadebat, Imperatori ita mentem declarabat ſuam: Se videlicet Cæſareæ eius Maieſtati, tanquam capiti in his terris ſupremo, obedientiam, in rebus humanis & licitis, debere ſubiectiſſimo ſtudio, & ad vitam fortunaſque ſuas omnes pro eius incolumitate, ac Imperii Romani dignitate, impendendas, promtiſſimum paratiſſimumque fore: ſed in religionis fideique negotio, vnum ſe

dun-

duntaxat Dominum, illum qui Rex Regum, & Dominantium ſit Dominus, agnoſcere; cui nempe conſcientiam ſuam atque animam deberet, vtpote cui in Baptiſmo obligatus eſſet: aduerſus huius mandata non poſſe ſe veritate agnita diſcedere. Neque enim hic agi de cappa carnis plena, Es ſeye nicht vmb eine Kappen voll Fleiſch zu thun/ ſed de anima & eius ſalute, quam ſoli Seruatori Domino ſuo Ieſu Chriſto, & debeat, & ab illo acceptam ſancte cuſtodire teneatur. Cæteros vero *P*rincipes, (Illuſtriſſimo Duce Iohanne Caſimiro, eius filio dilectiſſimo, ſacrorum Bibliorum volumen, ac Confeſſionem Auguſtanam, geſtante) placide ad collationem ſententiarum inuitauit; affirmans, ſe paratum promptumque eſſe omnibus, quicunque ſane illi fuerint, ex S. Bibliis, & Confeſſione Auguſtana, dextre intellecta iuxta normam verbi Dei rationem fidei ac Confeſſionis ſuæ reddere, & Catecheſeos ſuæ Apologiam ac defenſionem proponere. Hac conſtantis fidei animoſitate, Sereniſſimus & Pientiſſimus Elector Fridericus III. animum Imperatoris, & cæterorum *P*rincipum ita pulſauit, affecit, flexit, vt pars quidem in lachrymas ſolueretur; pars vero innocentiam eius pa-

lam teſtaretur, omnes eum ab obiectis criminationibus abſoluerent, nec ſolum pro ſocio Auguſtanæ Confeſſionis agnoſcerent, ſed & actionum, Euangelicam religionem concernentium, Directorium ei demandarent. Et Auguſtus quidem Saxoniæ Elector, felicis recordationis, hac conſtantia Friderici Electoris perculſus, humeros eius manu explicata fraternè feriiſſe perhibetur: *Friderice*, inquiens, *tu nos omnes pietate longè antecellis*: Fritz / du biſt frömmer / dann wir alle mit einander. Ad hæc Marchio Durlacenſis Carolus, laudatæ memoriæ, ægrè ferens, tam ſeuerum proceſſum contra tam religioſum Principem inſtitui: paulò poſt ad Principes aliquot conuerſus: *Quorſum*, inquit, *bonum hunc Principem Fridericum, qui plus pietatis habet, quam nos omnes, diuexamus?* Aliquot etiam poſt diebus Cæſar Maximilianus longè mitior factus, per Dominum de Heuſeſtein Pium Electorem Fridericum clementer ſalutari curauit: eumque certis negotiis domum reuocantibus, paulò ante finem Comitiorum, clementer dimiſit: tantique Herois candorem & pietatem mirari ſatis non potuit. Quin etiam quadriennio poſt,
Anno

Anno 1570. cum Spiræ Comitia haberentur, ipſemet Fridericum III. Pium Electorem Heidelbergæ inuiſere voluit: cuius ſacræ Cæſareæ Maieſtati idem prope contigit, quod de Athanarico, Gothorum Rege, memorat Hiſtoria Eccleſiaſtica; qui cum à Theodoſio inuitatus Conſtantinopolin veniſſet, & Principis pietatem, iuſtitiam, & modeſtiam conſpexiſſet; dixiſſe fertur: *ſe agnoſcere, hoc Imperium à DEO ordinatum, nec fore felices eos, qui euertere conentur.*

Ea ipſa die, qua abitum parabat Fridericus Pius, cum Principes Proteſtantes vna cum abſentium legatis, in eius, tanquam Electoris primarii, palatio conueniſſent, & quæreret à ſingulis Fridericus, an aliquis eſſet ex ipſis, qui eius Celſitudini de iis rebus, quæ ei coram Imperio propoſitæ fuerant, litem mouere vellet: nemo fuit, qui aliquid adferret, ſed plerique omnes demiſſo in terram vultu, Magnanimi Herois, quem alii in Comitiis exauthorandum, alii grauiore pœna mulctandum putabant, conſtantiam & animi præſentiam admirabantur. Cum igitur prandio eos o-

omnes excepiſſet Fridericus *Pius* Elector *Palatinus*, eiſque valedixiſſet, ſalutatis etiam Eccleſiaſticis Electoribus, die 24. Maij ſub veſperam Auguſta diſceſſit: & propridie Pentecoſtes Heidelbergam ſaluus ac ſoſpes, ingenti cum lætitia ſubditorum, rediit: & ſequente feſto, in Templo Spiritus ſancti, vna cum filio dilectiſſimo, Iohanne Caſimiro, frequẽtiſſima communione, conſtantiam ſuam publicè teſtatam fecit.

Rurſus igitur res Eccleſiæ *Palatinæ* proſperrime fluere videbantur. Verum non diuturna fuit ea felicitas. Quod enim corporibus noſtris euenire ſolet, vt cum foris longo otio aut quiete nimia diffluunt, intus corrumpi & putreſcere incipiant: id Eccleſiæ Palatinæ tunc contigit. Poſt biennium enim cùm ab externis aduerſariorum vexationibus vtcunque reſpirare videretur; Satan inteſtino diſſidio eam totum quadriennium grauiſſimè afflixit, perturbauit. Schiſma id diſciplinarium ex leui cauſa ortum habuit. Anglus quidam Theologiæ Candidatus, M. Georgius Witherus nomine, pro Doctura Theologica in auditorio Theologico, præſide D. Boquino, diſputabat, in Eccleſia vigere etiam debere gubernationis officium, vt miniſtri

cum

cum presbyterio, quoſuis peccantes, etiam Principes, arguendi, increpandi, excommunicandi facultatem habeant, & exerceant. Erat id 10. Iun. Anno 1568. Probabant hoc Thema Theologi Academici, cumque his Oleuianus maximè, qui author erat Sereniſſimo Electori Friderico, vt diſciplinæ Eccleſiaſticæ formam Geneuenſem inſtitueret. Reclamabant huic non ſolum Politici pleriq;, ſed duo cumprimis ambitioſi concionatores, Adamus Neuſerus, Eccleſiæ Heidelbergenſis ad Spiritum Sanctum Paſtor, & Iohannes Syluanus, Eccleſiæ Ladeburgenſis Superintendens; quibus contra Oleuianum Thomas Eraſtus Medicus eruditus haſtas ſubminiſtrabat ex Academia. Res magna animorum contentione & acerbitate vtrinque diu gerebatur; cum Oleuianus quidem gratia Principis alios premere: Neuſerus vero aura populari propter Sueuicam quandam ſuauiloquentiam, (erat enim Sueuus plebi valde acceptus) plurimum pollere videretur. Tandem eum habuit euentum, vt Adamus Neuſerus depoſitus à Paſtoratu, & precibus ſolum matutinis adhibitus, liuore ac furiis ſtimulatus, quo tantam contumeliam vlciſceretur, Arianis blaſphemiis tunc in Tranſylua-

nia graſſantibus clanculum ſerendis ac tuendis, cum Syluano, & duobus aliis, (quos in partes ſuas traxerant) miniſtris, Iacobo Sutero, & Matthia Vehe, conſpiraret, conſiliaque nefaria cum hæreticis Tranſſyluanis clanculum per literas tam diu agitaret, donec in Comitiis Spirenſibus, Anno 1570. res tota per legatos Tranſſyluanos Imperatori Maximiliano II. innoteſceret, & per hunc Electori Friderico detegeretur. Hæ turbæ, illa ſcandala pium Electoris pectus incredibile quantum cruciarunt. Diuinæ tamen prouidentiæ, cuius nutu omnia geruntur, ſeſe ſubmiſit: & interim eorum, quæ Religioſi & fortis Principis ſunt, nihil prætermiſit. Mox comprehenſi omnes, in vincula coniecti. Et Syluanus quidem, poſt multam actionem, & biennii carcerem, perduellionis damnatus, Heidelbergæ in medio foro capitis ſupplicium adiit, propridie natalis Domini, Anno 1572. Duo alii hæreſi eiurata relegationis pœnam luerunt. Neuſerus vero primum fuga elapſus, ſed Ambergæ retractus, iterumque cuſtodum ſeu negligentia, ſeu perfidia ex turre arcis poſtica per funem elapſus, in Poloniam & Tranſſyluaniam transfugit.

Cum

Cum vero iſthic quoque vt perduellis ab Imperatore & Electore ad ſuppliciũ quęreretur, neque in orbe Chriſtiano locum manendi tutum reperiret; deſperata reconciliatione & ſalute, abiecto palam Chriſtianiſmo ad Turcas defecit, & Turcico ritu circumciſus, non vtique Mahumetanus, ſed totus Epicuræus factus, vti ſatis conſtat, impius religionum omnium contemptor, miſerrime tandem infelix homo, ſi tamen homo, interiit.

Anno 1573. cum Heidelbergam ad Electorem Fridericum excurreret, Henricus Audium Dux, Henrici II. Galliæ Regis filius, Poloniæ Rex deſignatus, & vnanimi ſuffragiorum conſenſu renuntiatus: à Pio Electore, linguæ Gallicæ perito, & Latinæ quoque non ignaro, in conclaui (in quo tunc forte appenſa fuerat magni illius Galliæ Amiralii Caſparis Colignii imago) graui oratione admonitus fuit de lanienæ Pariſienſis enormitate, & conciliato Galliæ Regibus æterno dedecore..

Qua de re ſic ſcribit Thuanus Hiſtor. lib. LVII. *Interea (*inquit*) nouus Poloniæ Rex, Henricus, Andium Dux, iter ſuſceptum, quamuis ægre perſequebatur, magno comitatu. Ei Blamontium vſque proceſſerant obuiã ex Germanis, Chriſtophorus, Friderici Pala-*

tini Septemuiri Filius, & ex eadem familia Parua-petra Princeps, & Ludouicus Naſſouius, cum Regina in arcano de Belgica expeditione collocuti: per quos veluti itineris Duces Rex Poloniæ Tabernas, Epiſcopi Argentinenſis hodie ſedem, deducitur, à quo perhumaniter exceptus eſt. Inde per Nemetes & Vangiones ad Rhenum ventum, quo traiecto, cum aliter commode aut honeſte non poſſet, Heidelbergam ad Fridericum Tertium Palatinum Septemvirum ſtatuit diuertere: ad quem cum inſperato veniſſet, ſolitudo in arce reperta, primo ſuſpecta Regi fuit, & cum honorifice de cætero ſuſceptus eſſet, tamen noctu ex incendii metu forte orto tumultu trepidatum rurſus ab hoſpitibus. Id & moleſte accidit Regi hoſpiti, quod cum per porticum, imaginibus Principum & virorum illuſtrium egregie pictis ornatam, illum Palatinus, antiquæ ſeueritatis, & ab omni fuco alienus, deduceret, de induſtria à tabula, in qua Colinius depictus erat, velum remoueri iuſſit, ſtatimque ſubiecit: illum eſſe, quem ex omnibus Galliæ Proceribus cognouerit maxime omnium Gallici nominis ſtudioſiſſimum, & in quo proinde Rex & vniuerſa Francia magnam & nuſquam ſarciendam iacturam fecerit. Quod quoties repetebat, toties immanitatem ſimul & imprudentiam Carolo Nono Regi abſenti, & Henrico eius fratri,

Polo-

Poloniæ Regi, exprobrare videbatur; eoque minus humane cum tanto hoſpite agere exiſtimatus eſt, cum Rex interea non occultam iniuriam ſilentio affectato diſſimularet.

Quo vero laudatiſſimus princeps Elector Fridericus, ſuum erga Religionem veram zelum, non titulotenus aut inanibus verbis, ſed rebus ipſis, & magnificis factis, toti mundo teſtaretur; laborantibus in Gallia & Belgio piorum partibus, inualeſcente contra pontificiorum adminiſtrorum tyrannide; principiis obſtandum ratus; illis quidem IOHANNEM CASIMIRVM filium Ducem, quem & obedientiſſimum ſibi ſemper expertus erat, & vnice diligebat, validiſſimo inſtructum equitatu: Illuſtriſſimo vero principi Auraico, & Belgicis prouinciis, filium CHRISTOPHORVM palatinum, non minoribus armatum copiis ſubſidio miſit. Et in Galliis quidem fortibus fidelibuſque conatibus diuina ſuffragata eſt bonitas & conſtituta ibidem Caſimiri authoritate pax, ſummaque regno reſtituta tranquillitas. Apud Belgas autem, ob ipſorum inter ſe diffidentiam, frugiferi nihil effici potuit, & inſperatam, DEO ita permittente, animi pientiſſimi mercedem ſenex optimus,

mus, minore orbatus filio Chriſtophoro, retulit. Cum nuncium illud infauſtum adferretur, de cæſis Ducis Chriſtophori & Ludouici Comitis Naſſouii copiis; & de morte tamen filii Chriſtophori nihil adhuc compertum haberetur; videret autem pleroſque ex ſuis conſiliariis mœſtos: Bono animo eſtote, inquit: *Scio, filium meum natum eſſe mortalem. Quod ſi Dei fuit voluntas, eum in illa expeditione mori, malo illum pro bona cauſa fortiter depugnantem occubuiſſe; quam domi in ocio, à vitiis, quæ puluinar illud ſatanæ otium inducit, expugnatum contabuiſſe.* Poſteaquam vero Pius Elector Fridericus, anno 1576. ſub finem menſis Auguſti, filium ſuum dilectiſſimũ Iohannem Caſimirum, ex ſecunda expeditione in Galliam, pace conciliata, ſaluum & incolumem, ſuperatis multis inſidiis & difficultatibus, ſibi à Deo reſtitutum magna cũ lætitia excepiſſet: ac paulo poſt nuncium afferretur de morte Imperatoris Maximiliani Secundi. *Ne ego*, inquiebat, *Princeps iam plus quam ſexagenarius, huius vitæ quoque pertæſus, cum Simone lubens dicerem: Nunc dimittas Domine ſeruum tuum; ſi mihi à Domino Deo prius concederetur; nouum & iuuenem Dominum noſtrum Imperatorem ſalutare: & filium meum primogenitum Ducem Ludoui-*

cum

eum adhuc ſemel ante mortem videre: ac vtrumque de nonnullis ad Reipub. Chriſtianæ commodum pertinentibus admonere. Nam illi proculdubio & canitiem meam reuererentur, & animi mei ſinceritatem, ac ſummum erga ſe ſtudium ex meis colloquiis intelligerent. Sed viſum eſt Deo, ſanctam illam animam, quæ toties tot gemitus effuderat, & diu bonam militiam militarat, brauio donare, & ad ſe euocare. Morbus autem fuit capitis grauedo, (κάρον Medici vocāt) & accedebat aliquid hydropis; quem morbum extra ordinem ſe vrgere ſentiēs, quatriduo ante mortem, poſteaquam celebertimum illum Theol gum, D. Danielem Toſſanum, qui tunc eius celſitudini erat à concionibus, ad ſe euocaſſet: *Satis ego* (inquit) *vobis & Eccleſiæ vixi: me iam ad meliorem vitam vocari ſentio & gaudeo. Præſtiti ego, quod potui, in gratiam Eccleſiarum: ſed potui parum. Is qui omnia poteſt, & antequam natus eſſem, Eccleſiam ſuam conſeruauit, viuit, & regnat in cœlis: qui Eccleſiam ſuam non relinquet orphanam: nec inanes erunt meæ preces & lachrymæ, quas toties in hoc conclaui pro meis ſucceſſoribus, & pro Eccleſiis ad Dominum Deum fudi.* Superuenit paulo poſt Illuſtriſſimns & Fortiſſimus Dux Iohannes Caſimirus, ex cōclaui ſuo ad Patrem vocatus: qui vt optimo

mo parenti Auguſtæ in grauiſſimis illis certaminibus, tanquam ſacer armiger, S. Biblia & Auguſtanam Confeſſionem præferebat; ita in vltimo quoque agone feliciſſimæ migrationis parentis ex hac vita ſpectator fuit. Tanta vero fuit optimi illius Principis Electoris Friderici in ipſa etiam morte pro Eccleſia ſolicitudo, vt cum eius Celſitudinem pridie mortis exhilarare vellet filius Caſimirus, nunciaretque ei læta quædam, quæ tunc de Antvverpianæ Eccleſiæ ſtatu adferebantur, velut nouos ſpiritus reſumere ſit viſus, & de manu filii chariſſimi aliquid cibi ſub horam cœnæ ſumpſerit, ac pauliſper in conclaui, ſuſtentatus à Coniuge & filio Caſimiro, inambulauerit, & placide illa nocte dormiret. Poſtridie ingraueſcente illo ſopore lætifero, cum eius Celſitudini caput decimũ ſeptimum Iohannis, & poſtea ſub veſperam Pſalm⁹ trigeſimus primus, paraphraſtice prælectus fuiſſet: media quarta veſpertina, ipſa die Amandi, quæ tum erat 26. Octobris, Amandus ille Princeps, in confeſſione immotæ veritatis Catholicæ noſtræ & antiquæ Chriſtianæ fidei, ex hac calamitoſa vita in æternam requiem pie, vt Chriſtianum hominem decet, commigrauit, cum ætatis annum LXII. ageret.

ret. Princeps Piiſſimus, Optimus, Maximus; qui non minus ſuo merito, quam omnium piorum iudicio, inclytis illis Iudæorum Regibus, Ioſaphato, Ezechiæ, & Ioſiæ, recte comparatur. Natus eſt anno Domini 1515. die 14. Februarii, ex matre BEATRICE, Chriſtophori Marchionis Badenſis & Hochburgenſis filia: Patre Iohanne Palatino, Duce Simmerenſi, & Comite Spanheimenſi, Principe literatorum Patrono, qui Imperiali Cameræ annos aliquot ſumma cum laude Iudex præfuit: Religioni vero Pontificiæ per totam vitam addictus, diem ſuum obiit anno 1557. Ei ſucceſſit filius hic FRIDERICVS TERTIVS, qui ſtatim per totam regionem ſuam, religionis capita, prout in Auguſtana Confeſſione proponuntur, in omnibus templis doceri, eodemque modo cæremonias inſtitui iuſſit.

Poſt mortem Othonis Henrici, (in quo deſiit progenies Ludouici Barbati, quæ inſignibus Electoralibus per continuos 149. annos inde à morte Ruperti Romanorum Regis floruerat,) primus è Simerenſium Palatinorum familia, faſtigium Septemuiralis dignitatis adeptus eſt, Cęſare Ferdinando Primo approbante, & inueſtituram ſolenniter conferente.

Ad Archipalatinatus autem gubernacula à Deo vocatus, pio & inuicto zelo, totam Reformationis, à ſordibus & quiſquiliis Papalibus, telàm, à laudatiſſimis Electoribus Palatinis, Friderico II. exorſam, ab Othone Henrico continuatam, ſumma cum gloria & fructu feliciter pertexuit. Nam toto Electoralis ſuæ gubernationis tempore ſatis ſuperque demonſtrauit, ſe neque priuatim vllam aliam amplecti, & probare, neque in ſuis ditionibus conſtituiſſe religionem, quam eam, quæ Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ per omnia ſit conſentanea & conformis; quæque ab Auguſtana Confeſſione, & quæ huic adiuncta eſt, Apologia, quomodo ſubſcriptione ſua omnes Imperii Ordines, qui eam amplectuntur, eandem Naumburgi comprobarunt, non diſſentiat; nec cum ea pugnet. Sed & pro inſigni ſua pietate, & ſcientia rerũ diuinarum, quotidiana ſacrarum Scripturarũ lectione comparata; proque zelo gloriæ & veritatis Dei vindicandæ, Reip. Chriſtianæ iuuandæ, & Orthodoxæ fidei ad ſeram vſque poſteritatem inprimis in Palatinatu, propagandæ; ſuam peculiarem Confeſſionem fidei compoſuit, manu propria ſcripſit, & Teſtamento inſeruit, vel potius præfixit. Præclaram iſthanc & vere

vere Principalem exhomologeſin ſanctiſſimi Electoris Friderici III. Filius Illuſtriſſimus & fortiſſimus Princeps Iohannes Caſimirus, è paterno Teſtamento deſcriptam, non modo typis inprimẽdam Heidelbergæ curauit, anno Domini 1577. ſed conſtanter & ſincere quoque profeſſus eſt, ac legitimis modis tutatus, toto gubernationis atque etiam Electoralis Adminiſtrationis tempore, ad finem vſque vitæ. Alphonſus, cognomento Magnanimus, Arragonum Rex, Codicem ſacrum, huius animi ſui teſtem, inſignibus ſuis paſſim appingi voluit; quem etiam tam aſſiduo ſtudio euoluit, vt non modo memoriæ infixas ſingulas haberet hiſtorias, ſed ſingula etiam verba, quo ordine in ipſo textu poſita ſunt, expedite recitaret. At vero Sereniſſimus Princeps Elector Fridericus III. nomine & re Pius, tantis ſpatiis in ſacro hoc ſtadio Alphonſum præcurrit, quanto clarior ei quam alteri repurgatæ veritatis cœleſtis lux diuina miſeratione affulſit. Nunquam ille domi, nunquam foris abſque Bibliis fuit, & vt Alexander Magnus Homerum ſuũ veluti præſentiſſimum oraculum circumtulit; quem etiam viaticum rei militaris dicere, & dormiturus ſub puluino reponere ſolitus eſt: ita Pientiſſimus Princeps Fride-

Fridericus Biblia ſua, illa diuinitus edita oracula, vbique locorum circumgeſtauit; in manibus, in oculis, in deliciis habuit; cum iis ſedere, ſtare, ſermocinari, vigilare, cubare, tanquam indiuiſis vitæ ſuæ ſociis, volupe duxit. Imperante Maximiliano, eius nominis Secundo, cum in Comitiis Auguſtanis Religio Reformata, ceu crimen capitale, ipſi obiiceretur, nõ alio quam Bibliorum ſuorum clypeo ſe cauſamq; ſuam defendit. Poſtmodum quoque Pſalterium Dauidicum, abſolutum illud ſcripturarum diuinarum compendium, forma minutula excudi voluit, tantum vt geſtationi commodius, tum ſibi, tum miniſtris, ſemper eſſet ad manus. Cum aliquando à magno aliquo Principe interrogaretur; cur non arcem aliquam, aut vrbem egregie muniret, cum tot haberet hoſtes? Ego, inquit ille, arcem meam inexpugnabilem habeo. Quam, aiebat alter? Eam de qua Dauid Pſalmo quadrageſimo ſexto gloriatur, Ein veſte Burg iſt vnſer GOtt: DEVS eſt nobis protectio & robur, in quo auxilium inuenimus abunde. Atqui, inquiebat alter; vtrumque eſt vtile: externum, & internum præſidium. Reſpondit pius Elector: Quid quæſo vobis profuere in bello Smalcaldico veſtræ arces & munitiones?

tiones? Memorabile etiam eſt, quod anno 1570. in oppido Wiſeloch, poſt multa pia & præclara de Rep. cum Imperatore Maximiliano Secundo Colloquia, eius Cæſareæ Majeſtati, S. Biblia, in linguam Hiſpanicam conuerſa, his verbis vtens, obtulit: Munus offero, Cæſar, quod Cæſareæ veſtræ Maieſtati gratum eſſe debere exiſtimo; primum, quod theſauros omnibus theſauris anteponendos hic liber complectitur, & rationem, qua Imperatores, Reges, & principes, feliciter gubernare poſſunt, oſtendit: deinde, quia ea lingua expreſſus eſt, qua Cęſarea veſtra Maieſtas delectatur. Accepit Cæſar munus benigne, & promiſit, ſe diligenter lecturū. Sepultus eſt pius hic Elector Heidelbergæ, in Templo Vrbis primario, à Ruperto Romanorum Rege magnifice condito: vbi ei Monumentum, honoris ergo, à ſucceſſoribus, in choro, poſitum eſt huiuſmodi:

HERR NACH DEJNEM WJLLEN.

Friederich Pfaltzgraff der thewer Mann/
Von Weyland König Ruprechts Stam̃/

Vnd

Vnd von dem Hauß Simmern ge-
born/
Der Erſt darauß zur Chur er-
korn/
Diß Namens in der Chur der Dritt/
An jetzt allhier begraben ligt/
Er war von Gut vnd Tugent reich/
Ließ Recht ergehen eim jeden
gleich/
Befürdert auch das Vatterlandt/
Vnd thet dem Türcken Wider-
ſtandt/
Für Wien / da er mit Heldens Muth/
Jagt ab dem Feind ein Fahnen
gut/
Sein Land regiert er miltiglich/
Auff GOtt trawt allzeit veſtiglich/
In Gottes Furcht ſein Leben führt/
Wie einem ſolchen Herrn gebührt/
Sein erſt Gmahl ein Marggrävin
war/
Von Brandenburg / die jhm ge-
bahr/

Viel

Viel Kinder/ als dieſelb verſturb/
Er ziemlich alt/ ein ander wurb/
Amelyam Grävin von Newmar/
Bey der er lebet etlich Jahr/
Auch lezt bey jhr ſein Leben end/
Befahl ſein Seel in Gottes Händ.

Vxores habuit duas. I. Mariam, Caſimiri, Marchionis Brandenburgici, Bellatoris inclyti, defuncti Budæ in militia contra Turcas anno 1529. 27. Septembr. Friderici Filii, Achillis Germanici Nepotis; & Suſannæ Bauaricæ filiam: natam, anno 1519. die 11. Octobr. quæ nupſit Friderico Tertio Palatino Electori, anno 1537. die 12. Iunii, eius pietatem, philoſtorgian, grauitatem, eaque conditam humanitatem, miſericordiam, & in pauperes beneficentiam, cæteraſque matrona regia digniſſimas dotes, non ſatis prædicare poterant homines, qui proprio experimento ſæpius eas cognouerunt.

Diem ſuum obiit vltima Octobris, anno 1576. diuturnis & grauibus morbis confecta. Eam Fridericus Pius Elector, ad ſuam de Euchariſtia ſentētiam, à qua ante alienior erat, facile traduxit; poſtquam

ei iſtud axioma perſuaſit: certitudinem dogmatum Chriſtianę religionis, non ab hominum, aut doctorum, qualeſcunque illi ſint, authoritate pendere: nec videndum, quid hic vel ille, quantumuis eximius Doctor, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus docuerit. Antea enim credebat optima Principiſſa, nefas eſſe, vel à Lutheri, vel à ſui concionatoris aulici, Otomari cuiuſdam Stabii ſententia diſcedere: quę opinio adhuc hodie multos dementat & decipit. Sepulta eſt Heidelbergæ in choro templi ad Spiritum S. in quo coniux ei monumentum eiuſmodi faciendum curauit.

Von Gott aller Tugent/
Begabt von jhrer Jugent/
Allzeit trew in Ehren/
Gegen jhrem lieben Herren/
Mehr nichts dann Chriſtum acht/
All weltlich Frewd veracht/
Sanft/ruhig vnd in Fried/
Deß Himmels Erbe mit/
Den Leib hält wol die Erd/
Die liebe Seele werth/
Ins Erdreich verſcharret wird/
Hernach gantz wol geziert/

Alſo

Alſo ihr Fleiſch vnd Bein/
Sauber bekleydt vnd rein/
Vnd höchſter Ehren voll/
Die fromme Fürſtin wol/
Ein außbund Fräwlichs Bild/
Ware den Armen mild/
Die löblich Fürſtin werth/
Verſchmächt auff dieſer Erd/
In Chriſti Jeſu hand/
Willig den Geiſt auffſand/
Aber in ewigkeit/
Lebet in Wohn vnd Frewd/
Ein kleines Saamkörnlein/
Bringt viel der Früchte ſein/
Wird an dem Jüngſten Tag/
Aufferſtehen ohne Klag.

ANNO. DOM. MDLXVII. DEN. LETZTEN. OCTOB. VERSCHIED. IN. GOTT. DIE. DVRCHLEVCHTIGST. HOCHGEBORN. FVRSTIN. VND. FRAVV. MARIA. PFALTZGREVIN. BEY. RHEIN. HERTZOGIN. IN. BEYERN. PFALTZGRAFF. FRIDERICHS. DES. III. CHVRFVRSTEN. EHEGEMAHEL. GEBORNE. MARGGREV. ZV. BRANDENBVRG. &C. ALS. SIE. MIT. IREM. HERN. 30. IAHR. 4. MONAT. VND 28. TAG. LOBLICH. ZVBRACHT. VND.

VI. SÖHNE. VND. IV. DÔCHTER. GEZEVGET. IHRES. ALTERS. XLVIII. IAHR. VND. XX. TAG. ALHIE. DER. FRÔLICHEN. AVFFERSTEHVNG. ERVVARTENDE.

In coniugio facta eſt mater liberorum denûm. I. Ludouici, primogeniti, qui patri in Electoratu ſucceſſit. II. Hermanni Ludou. III. Iohannis Caſimiri. IV. Chriſtophori. V. Alberti. VI. Caroli. Et filiarum quatuor.

I. Eliſabethæ, nuptæ anno 1558. Iohanni Friderico Secundo, Iohannis Friderici Electoris Filio, Saxoniæ Duci, Thuringiæ Landgrauio, Marchioni Miſniæ, qui obiit, anno 1595. die 9. Maii, captiuitatis ſuæ anno 28. in quam propter proſcriptos receptos inciderat.

II. Suſannæ Dorotheæ, nuptæ anno 1560 Iohanni Wilhelmo, Duci Saxoniæ, Iohannis Friderici I. Saxoniæ Electoris filio, Iohannis Friderici II. fratri.

III. Annæ Eliſabethæ, nuptæ Philippo II. Haſſiæ Landgrauio, anno 1567. qui in inferiori Comitatu Catimclibocēſi Reinfelſii habitauit, & ἄπαις obiit, anno 1583. Poſt Iohanni Auguſto Palatino, Georgii Iohannis filio, Ruperti Nepoti, Principi Lützelſteinenſi.

IV. Kuni-

IV. Kunigundæ Iacobæ, nuptæ inclyto Comiti Iohanni Seniori, Naſſouio Dillenbergæ, anno 1580.

Secundas nuptias Fridericus Pius Elector repetiit anno Domini 1569. die 25. Aprilis, cum inclyta & religioſa Domina Amelia, Comitiſſa Mörſenſi & Neunaria, Henrici Baronis Brederodii vidua. Ac erat hic pius Elector Fridericus etiam eo nomine felix, quod plures ei filii præclaræ ſpei ac indolis eſſent: ſed vtinam diu ſupereſſe potuiſſent! Duos in pueritia fatis conceſſiſſe, Carolum & Albertum, auditione accepi. Quatuor ad iuſtam quidem ætatem peruenerunt: ſed vnus Hermannus Ludouicus, cum in Academia Biturigum bonis literis operam daret, vna cum præceptore ſuo Nicolao Iudice, Hieronymo Rhelingero Patritio Auguſtano, Ioanne Bellovæo Pariſienſi, & ipſomet nauta, triſti fato ſubmerſus, in Auariei traiectu, fluminis exigui, cymba inuerſa, ſummo omnium dolore & planctu: anno Domini 1556 ætatis xv. Kal. Iul. poſt horam ſextam veſpertinam. In hoc Principe adoleſcente, qui vix dum pubeſcens, & præſtantis indolis, & excellentis virtutis opinionem præbuit, familia Palatina inſigni decore, & Reſpublica Germanica ſingulari ornamento orbata fuit. Lau-

des eius Nicolaus Ciſnerus Mosbacenſis Palatinus, magni nominis Iuriſconſultus, oratione funebri proſecutus eſt: vbi inter alia ſic virtutes eius deprædicat: Natus eſt hic HERMANNVS LVDOVICVS, ex Nobiliſſima Germanorum Principum familia, Paterna Palatinorum Rheni, materna Marchionum Brandenburgicorum. De quorum Principum claritate, ſplendore, potentia, & rebus pace belloque præclare geſtis, nec tempus hic eſt dicendi; nec ſi eſſet expoſitione memorabilium virtutum, quibus illi continuatione quadam vetuſtum nobilitatis ſuæ nomen amplificatum poſteris tradiderunt, vires meæ ſufficerent. Id ſatis fuerit referre, non modo hæreditaria quadam ſucceſſione, ex vtraque ſtirpe, Palatina & Brandenburgica, ſubinde Imperii Electores, quibus ab Imperatore in Germania ſumma eſt poteſtas, creari ſolere; ſed ipſi quoque Imperio Palatinos Rheni propter generis antiquitatem, & laudem virtutum, præfectos fuiſſe.

Vt enim non dicam de ADOLPHO, filio CAROLOMANNI, ipſius Caroli Magni abnepote, à quo Comites Wittelsbachii originem ſuam duxerunt; qui itidem id temporis Palatini, Rheni, Duceſque

ceſque Bauariæ fuerunt: RVPERTVS certe, HERMANNI LVDOVICI Principis tritauus, Imperii ſummam tenuit. Ac cum non in hominibus ſolum, verum in brutis etiam animalibus, atque plantis, ex generoſis generoſa plerunque procreentur; hic quoque adoleſcens non modo corporis pulchritudine, & formæ dignitate ab excellenti natura generis ſui non receſſiſſet, ſed ingenerata quadam animi vi, aut ab auita ſtirpe deriuata potius, illuſtria maiorum ſuorum ornamenta & domeſticorum laudem exæquaſſet, ſi ad virilem iuſtamque ætatem peruenire potuiſſet. Iam nunc enim perſpicua in eo diuini ingenii indicia, magnique animi argumenta eluceſcebant; admirabilis morum ſuauitas, ſumma in maiores & ſuperiores obſeruantia, ſingularis in omnibus vitæ ſuæ actionibus modeſtia, eximia in patriam atque ſuos propenſio, incredibilis amor literarum, pietatis, earumque virtutum, quæ in Principibus communi prudentium virorum comprobatione commendantur. Sed, proh dolor, iacet præſtantiſſimus hic flos nobilitatis in ipſa velut herba ſuffocatus. O inanes ſpes noſtras! ô fragilem vitam! ô infen-

ſam generi humano mortem! quæ vt optimum quodque eſt, ita citiſſime inuadit, & ante in ipſo flore enecat, quam maturitatem ſuam conſequatur! Tametſi vero Hermannus Ludouicus Princeps Palatinus magno noſtro & Reip. incommodo exſtinctus, triſte ſuum deſiderium animis noſtris relinquat; tamen nihil ei mali accidit, qui ex mortali hac & calamitoſa vita in beatam illam & immortalem translatus in cœli regionibus ſumma cum gloria lætitiaque verſatur. Ita enim in Religione Chriſtiana, doctrinaque cœleſti, & domi educatus, & Biturigibus à Præceptore ſuo Nicolao Iudice inſtitutus fuit, vt nullum ſit dubium, quin CHRISTI iuſtitia & merito, cui confidebat, ſalutem conſecutus ſit.

Alter Chriſtophorus, Princeps Magnanimus, Inclytus, egregius, ſummæque ſpei: Natus anno Chriſti 1551. Ei dibus Iuniis, à parentibus, Friderico Tertio, Electore Palatino, Duce Bauariæ, Comite Spanheimenſi & Simerenſi, & Maria Brandenburgica, in pietate & omni virtute præclare educatus, linguarum, artium, & diſciplinarum liberalium ſcientia inſtructiſſimus, literarum, eruditorumque fautor benigniſſimus, ob ingenium,

nium, doctrinam, clementiam, amabiles mores, animi corporiſque venuſtatem, & fortitudinem armatam ac togatam cunctis dilectiſſimus; Magnifici Rectoris Academiæ Heidelbergenſis munus laudabiliter geſſit, anno 1566. Tandem bello pro vera religione, & Belgarum libertate ſuſcepto, in prælio contra Hiſpanos; in agro Mokenſi, Cliuenſis ditionis, prope Neomagum, commiſſo; vna cum Ludouico Naſſouio, heu! cecidit, incredibili cum luctu totius ditionis Palatinæ, & omnium patriæ amantium, patriſque optimi gemitu: iuuenis longævitate digniſſimus, & amplo Imperio. Accidit ea clades XVII. Aprilis, anno 1574. De horum Ducum Primariorum, Chriſtophori Palatini, & Ludouici Naſſouii morte per longum tempus dubitatum eſt. Hoc tamen creditum, eos multis vulneribus acceptis occubuiſſe, vt inter cæſorum cadauera diligentiſſime quæſiti agnoſci non potuerint.

Sic duobus his immaturo fato extinctis, duo ſuperfuerunt Friderico Tertio, Pio filii: Ludouicus, & Iohannes Caſimirus. Ille poſt patrem Septemviralis Imperii habenas ſuſcepit, & tenuit ſeptennium: princeps optimus, pacificus, & Muſarum fautor munificus, re-

licto vnico filio Friderico Quarto, ex multis ſolo ſuperſtite, tum nondum decenni; cui tutorio nomine præfuit, Illuſtriſſimus Princeps, ac Heros fortiſſimus, Iohannes Caſimirus patruus, Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bauariæ, Electoralis Tutor & Adminiſtrator ſolertiſſimus, Pater Patriæ, Eccleſiarum nutricius fideliſſimus, Scholarum literarumque Mœcenas beneficentiſſimus, libertatis Germanicæ vindex acerrimus, rebus bello paceque geſtis inclytus: qui cum abſque prole maſcula deceſſiſſet, iterum Electoralis linea vnius Friderici Quarti, ſalute & vita continebatur, & arbor Palatina, ſuccifis ramis maximis, minore ſolo germinabat, quem exareſcere leui momento poſſe maleuoli fortaſſis autumabant. Sed cõtra Devs exaudiuit vota preceſque piorum, & è cælis benedixit coniugio Sereniſſimi Electoris, Friderico Quinto primogenito, & Ludouico Philippo, parentibus & patriæ donatis: quos præparauit ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, organa ſalutaria, Orthodoxarum Eccleſiarum columina, & illuſtria ſidera, tum regionibus Palatinis, tum aliis prouinciis orbis Chriſtiani. Sic arborem Palatinam Deus firmauit, & patulis ramis duobus efflo-

reſcere

reſcere fecit: quod honoris decus horum proſapiæ ad ſeram vſque poſteritatem perenne, glorioſum, ac feliciſſimum, exopto, voueo, precor.

XVII. LVDOVICVS FACILIS.

Ludouicus, cognomento Facilis, Friderici Tertii Simmerenſis, Electoris Palatini filius grandior natu, natus anno Domini 1539. ex filia Caſimiri, Marchionis Brandenburgenſis: patre fatis functo, in Electoratu ſucceſſit: princeps optimus, natura pius, & pacificus: Literis Latinis & Gallicis probe excultus, ſacrarum Scripturarũ lector aſſiduus, Academiæ Archipalatinæ, Scholarum & Eccleſiarum Mæcenas liberaliſſimus: ſed ab Vbiquitariis hominibus ad violenta conſilia impulſus.

Cum enim facilitate eius hi abuterentur, ſecuta eſt triſtis Eccleſiarum palatinarum diſſipatio: Reformatæ Religioni addictis paſſim erepta templa: paſtores in exilium pulſi; omneſque adeo tum Doctores, tum Diſcipuli, qui Catecheſi palatina abiecta, nollent humanis placitis ſubſcribere, dimiſſi & diſperſi ſunt. Calamitas ea totos ſeptem

annos durauit, qui quidem ſuperiorum annorum ſegetem, & fructus vberrimos miſere deuorarunt; non ſecus atque ſeptem vaccæ turpes Pharaonis ſeptem vaccas pulchras leguntur deuoraſſe. Et videbatur tunc quidem de Orthodoxia Eccleſiæ PALATINÆ plane conclamatum.

Verum DEVS pro ſua clementia lucernam aliquam conſeruare voluit in IOHANNE CASIMIRO, paternæ virtutis & religionis hærede, Principe fortiſſimo. Is quamuis initio à fratre Ludouico Electore multum ſollicitaretur, vt relicta paterna religione, libro Bergenſis Concordiæ, quæ tunc circumferebatur, ſubſcriberet, neue plus aliis Principibus Imperii ſolus ſapere vellet, ſplendidiſque pollicitationibus fere expugnatus fuiſſet, tamen & diuina gratia, & hortatibus ac conſiliis virorum, quos ſecum habebat, præſtantiſſimorum, in ſententia tandem confirmatus, Orthodoxias patrocinium in ditione ſua conſtanter & ſincere ſuſcepit: Gymnaſium publicum Muſis Neapoli Nemetum, ingenti ſumptu, & ſingulari munificentia erexit, euocatis ad illud Theologis & Profeſſoribus clariſſimis

riſſimis, Heidelberga eiectis, Zanchio, Vrſino, Toſſano, Dobbino, Smetio, Stenio, aliis: Paſtores exules, quos quidem ditio eius aliqua ratione capiebat, clementiſſimè excepit: reliquos, Synodo Theologorum Neoſtadii Anno 1578. menſe Martio conuocata, cum teſtimoniis & viatico ex collecta publica liberaliter inſtructos, in prouincias alias dimiſit. Miſera apparebat facies ea, ſed ingens Eccleſiæ bonum Dominus tunc operabatur per hos exules: qui in Hollandiam, Friſiam, Geldriam, Haſſiam, Wederauiam, Sileſiam, diſperſi, ſemina Orthodoxias ſuo quique loco fideliter iecerunt: Inde factum, vt cum Religio Reformata, in vnum Caſimirianæ ditionis angulum concluſa putaretur, in plurimas prouincias ſeſe breui diffunderet.

Cum vero fabri illius diſcordis Concordiæ cernerent, à multis Principibus, & in his potiſſimum ab Illuſtriſſimo & Clementiſſimo Electore Palatino Ludouico, felicis memoriæ, librum Bergenſem, ob vbiquitarium dogma, & condemnationes inſertas, aliaque incommoda ſecutura, non approbari: σοφὸν hoc φάρμακον inuenerunt, vt in Præfatione libri duriora, præſertim Vbiquitatis τέρας

mollioribus verbis exponeretur, ac tegeretur, aut inuolueretur: quo facilius Recuſantes ad ſubſcriptionem pellicerentur. Ac ſucceſſit iſte dolus. Perſuaſus fuit ab illis Optimus Elector Ludouicus blandis verborum ambagibus, ea Præfatione ſatisfactum ſuis cenſuris & monitis, ideoque librum bona conſcientia probari, ſuumque nomen in eo ſaltem extare poſſe: quod vnicè deſiderabant Vbiquitarii.

Poſt ſubſcriptionem Libri Concordiæ, nunquam tamen Optimus Elector Ludouicus probauit fictitium illud diſcrimen mutatæ & immutatæ Auguſtanæ Confeſſionis: Schiſmatica nomina Lutheranorum, Zvvinglianorum, Caluiniſtarum: & condemnationes temerarias exterarum Eccleſiarum. In præſentia quoque Illuſtriſſimorum Principum, Erneſti Friderici, & Georgii Friderici, Marchionum Badenſium, paulò ante obitum, Heidelbergæ in arce Electorali, haud obſcurè teſtatus eſt, quod ſe non parum ſubſcriptionis huius pœnituerit. Academiam Heidelbergenſem nouis reditibus liberaliſſimè ditauit. Politiam iuſtitiæ & pacis amore, prudenter conſtituit. Cum vero Electoratum Palatinum circa ſeptennium gubernaſſet, &

vixiſ-

vixiſſet annos 44. Menſes 3. Dies 8. ex terrenis hiſce miſeriis in cœleſtem Patriam migrauit, Anno Chriſti 1583. 12. Octobris. Heidelbergæ maximo ſubditorum luctu ſepultus in æde S. Spiritus, ad tumulum Maiorum.

Vxores habuit duas. I. Eliſabetham, Philippi Haſſiæ Landgrauii filiam pientiſſimam, ingenii dotibus & fide coniugali Principem laudatiſſimam: defunctam Heidelbergæ, Anno 1582. Ex hac X. liberos ſuſcepit.

1. Annam Mariam, quę nupſit Sereniſſimo Regi Sueciæ Carolo, Guſtaui Regis filio, tunc Principi Summerlandiæ, Nericiæ, & Wermelandiæ: Sereniſſimi & Inuictiſſimi hodierni Regis Sueciæ Guſtaui Adolphi Patri prægloriofiſſimo.

2. Eliſabetham.

3. Dorotheam.

4. Fridericum Philippum.

5. Iohannem Fridericum.

6. Ludouicum.

7. Chriſtinam.

8. Philippum.

9. Dorotheam: qui liberi omnes aut immaturè, aut in primis pueritiæ annis mortem obierunt.

10. Fridericum IV. Electoralis dignitatis vnicum hæredem ac ſucceſſorem, cuius

cuius tutelam & adminiſtrationem ſuſcepit Illuſtriſſimus & fortiſſimus Iohannes Caſimirus.

II. Amiſſa priore Vxore Eliſabetha, Sereniſſimus Elector Ludouicus, Anno 1583. in Vxorem Heidelbergæ magna pompa, præſente Carolo, ſponſæ auunculo, duxit Annam, XVI annorum puellam, Sereniſſimi Guſtaui Sueciæ Regis, ex filia Catharina, Ezardi Friſiæ Principis coniuge, neptem. Verum in ipſis nuptiarum diebus, Sereniſſimus Elector Palatinus Ludouicus lento morbo tentari cæpit, quo tandem 4. Id. Octobr. viuis exemptus eſt. Ipſa Anna vidua poſtea vixit in coniugio Illuſtriſſimi Marchionis Badenſis Erneſti Friderici.

TVTOR ET ADMINISTRATOR Electoralis Palatinatus:

IOHANNES CASIMIRVS: Conſtans.

MVlti res, per Illuſtriſſimum & Fortiſſimum *Principem*, Iohannem Caſimirum, auſpice Deo, geſtas, literis conſignarunt. Ego ex omnibus illuſtriſſima quæque delibata conferam in pauca. Vix enim eſt inter omnes Comites Pala-

Palatinos, qui plures habeat virtutum præcones, atque hic omnium literis meritiſſimo celebrandus Princeps Iohannes Caſimirus.

Qui virorum Principum vitas ſcriptis complecti ſolent, eos ſcimus à natalium ſplendore, ſtemmatiſque nobilitate exordiri: Parentum gloriam, auorum triumphos, maiorum præclara Monumenta, multis elogiis ad cœlum extollere, atque ſic ex atauorum vſque virtutibus ac feliciter geſtis maiorem ſuis, quos ornare cupiunt, authoritatem, gratiam, ſtudium, & dignitatem conciliare. Nec equidem iſta contemſero. Sunt enim magna & præclara omnia, nec in nulla laude ponenda: immo ſæpius gloriæ & virtutum propriarum adiumenta ſane quam opportuna. Veruntamen ſapientum virorum iudicio parum probantur, niſi vera ſolidaque gloria, propriis parta virtutibus, illuſtrentur ac confirmentur. Scitum extat in hanc ſententiam Alphonſi, Regis Arragonum laudatiſſimi, Apophthegma. Cum eum à nobilitate quidam laudarent, nihil ſe minoris ducere reſpondit. Laudem enim iſtam non ſuam, ſed maiorum ſuorum eſſe, qui virtutibus Imperium comparaſſent: Succeſſoribus quidem oneri Regna cedere, honori tum de-

demum, ſi virtute potius, quam Teſtamento illa ſuſcipiant. Idem planè iudicauit prudentiſſimus, totoque orbe Clariſſimus Princeps Iohannes Caſimirus; qui tum voce, tum vita tota declarauit, hoc ſibi decretum eſſe, vno maximarum virtutum præſidio niti, nec alieno, vel à maioribus mutuatitio, ſed proprio ſplendore coruſcare.

Natus eſt Nonis Martiis, Anni à Chriſto nato 1543. Patre Friderico III. Pio, poſt Othonis Henrici mortem ad Septemuiralem dignitatem, legitima ſucceſſione prouecto: Matre vero Maria Brandeburgica, Illuſtriſſimi & fortiſſimi Marchionis Brandeburgenſis Caſimiri, Alberti Achillis Germanici nepotis, filia: vtroque ſane parente virtutibus magis, quam genere illuſtriſſimo.

Vt vero ex generoſis generoſa plerunque procreantur: ſic ipſe quoque à præſtanti genitorum natura minimè receſſit: ac mox in pueritiæ limine præclaram indolem, animum, ingeniumq; magnum luculenter prodidit. Cum enim octennis, Anno 1552. in Galliam ab Henrico II. Rege, vna cum Carolo Lotharingiæ Duce abductus, in aula regia educaretur, ita ſe in actionibus omnibus oſtendere, in honeſtis & liberalibus certaminibus, e-

que-

queſtribuſque ludis exercere, vt æquales anteiret, maioreſque vinceret, ac tum Regis Henrici, & Procerum Gallicorum animos ſibi mirificè conciliaret: tum auunculum, Marchionem Albertum, Mauortium Heroa, celeberrimumque bellatorem, tum aliquantiſper in Gallia diuerſantem, plurimum oblectaret: adeò vt iam tum hunc adoleſcentulum admirarentur, magnificis donis proſequerentur, omnia ſumma, nil vulgare ſibi de eo pollicerentur. Ac cum alias aularum mores à ſapientibus notentur, inprimis Gallicæ licentia ſit vituperata, tamen natiua virtus, altis fixa radicibus, à contagione Caſimirum purum conſeruauit, vt magna ſua cum laude, parentum gaudio, propinquorum admiratione, felix in patriam redierit, prudentia, linguæ Gallicæ, variaque cognitione inſtructus. A Patre igitur Friderico III. Pio recens Electore reuocatus, Religionis Reformatæ primum guſtum in Eccleſia Heidelbergenſi hauſit. Elucebant tum magis in ipſo adoleſcente perſpicua naturæ heroicæ argumenta, morum ſuauitas admirabilis, eximia modeſtia, & in ſuperiores obſeruantia, ſumma in omnibus vitæ actionibus elegantia, in verbis comitas, omnis denique virtutum chorus,

quæ

quæ in Principe potiſſimum commendantur. Quarum conſpectus cum alios Germanos Principes, tum Maximilianum II. Imperat. in amorem Caſimiri rapuit, cui & inſignia equeſtris ordinis contulit Anno 1562. quo tempore Francofurti ad Mœnum Romanorum Rex coronabatur, & poſtea in Comitiis Auguſtæ celebratis, Anno 1566. primas in equeſtribus certaminibus tenenti, palmamque cæteris Ducibus præripienti, lauream impoſuit.

Ex his pueritiæ rudimentis, & adoleſcentiæ tyrociniis, ſic exiſtimauit Caſimirus à tenella ætate, indignum ſua perſona fore, niſi maioribus ſe dignum præſtaret: immò gloriam ab iis relictam amplificaret, eorum res geſtas in luce poneret, præſtantiamque ſuperaret: quo nomine non tam Caſimirum maiores, quam hos ipſum illuſtraſſe; nec plus illis hunc, quam huic illos debere, fateamur oportet. Id quod luculentius apparebit, ſi progrediamur ad annos ſequentes, quibuſcum virtutes creuerunt, & ea, quæ à iuuentute, ad vitæ finem geſſit, perſequamur. Sic enim ille rationes vitæ ſuæ inſtituit, hoc ſibi proprium & totum vendicauit, vt non tam dignitate, iiſque ornamentis, quæ vulgus propè ſola mira-

tur,

tur, vel inſignibus, quæ cum aliis communia haberet: quam vera pietate, & religionis cura, quam iuſtitia & fortitudine, quam fide & integritate in Eccleſia & Republica defendenda, quam clementia & moderatione, denique omni virtute ſinceriſſima conſtantia, cæteros antecelleret. His pretioſiſſimis gemmis totam ipſius vitæ periodum fulſiſſe, facilime poſſim & fuſiſſime demonſtrare, ſi panegyrico more ſingula conſectari velim. Sed quia me copia ſentio opprimi, rem in pauca conferam, & in illas virtutes quaſi digitum intendam, ætatis ſeriem in hac ſimplici narratione ſecutus.

Pietatis in Deum, Patrem, & patriam, animi excelſi, reliquarumque virtutum, quas ei modo tribuimus, ſpecimen luculentiſſimum exhibuit in Comitiis Auguſtanis, Anno 1566. ante annos animumque gerens curaſque viriles. Cum Sanctiſſimo Principi Friderico III. Pio Electori negotium faceſſerent nonnulli tum Pontificii, tum alii Proceres, & ii quidem, quos minime decuit, eumque de faſtigio dignitatis ſuæ tantum non deturbare molirentur, ſub religionis prætextu, quam hæreticam (ſi Deo placet) foueret: adſtitit optimo Patri, falſiſſimas accuſationes grauiter & ſolidè confutanti,

tanti, pius filius Caſimirus, ſacra Biblia, & confeſſionem Auguſtanam, tanquam ſacer armiger, manibus geſtans, & Ordinibus Imperii proponens, ex iis vt Pater erroris conuinceretur, (quod tamen à nullo tentatum, nec dum perfectum eſt) paratus & ipſe de Fidei Confeſſione, ex authenticis Prophetarum & Apoſtolorum libris, reſpondere, & pro Patre, ſi res ita poſtularet, vitam profundere. Quæ pietas erga *Patrem*, ingenuitas & alacritas præclaram iam tum ſpem de Illuſtriſſimo Adoleſcente in multorum pectoribus excitauit, & vel hoſtibus ipſis admirabilis ac formidoloſa fuit.

Flagrabat nimirum Herois Caſimiri pectus iam tum pietatis zelo, qui non paſſus eſt intus ſe concludi, ſed foras erupit, effecta pulcherrima edens, ac indies auctus eo tandem ipſum permouit, vt pro veræ Religionis, & Eccleſiarum patrocinio, non fortunas ſolum, ſed & ſalutem ſuam in diſcrimen adduxerit, Teſtis eſt expeditio ſub finem Anni 1567. in Galliam ſuſcepta, ad quam eum, ſicut & Patrem Fridericum III. Pium Electorem, nec vanæ gloriæ, laudis, & honorum cupido, nec opum, potentiæ, & Imperii alieni ſitis, (quæ alios ferè ſolent) impulit; ſed vnicum gloriæ Dei vindi-

candæ,

candæ, fideliumque ab immani duriſſimæ conſcientiarum ſeruitutis iugo liberandorum ſtudium incitauit. Erat tum orbis Chriſtiani ſtatus vndiquaque turbatus, Pontifice Romano, potentiſſimos Monarchas ad fœdus ſacrum (vere profecto ſacrum, vt auri ſacra fames) ſollicitante: Cuius hoc eſt caput, vt Concilii Tridentini decreta mandentur executioni, ſtabiliatur idololatria Antichriſti, Eccleſiæ Orthodoxæ euertantur funditus. Rapiebant ad ſe præterea dynaſtæ nonnulli Galliæ dominationem, quam vt ſtabilirent, & ipſi pias Eccleſias, earumque Patronos inprimis, horrendum in modum infeſtabant, adeo vt nemini integrum eſſet, ex verbo Dei religionem Chriſtianam profiteri, quin præſentiſſimum vitæ periculum immineret. Quotidie cædes, lanienæ, rapinæ, latrocinia, direptiones, alia nefanda patrabantur: piorum miſerabiles eiulatus, vociferationes, lamentationes exaudiebantur: prouinciæ vaſtitate, incendiis, populationibus implebantur: denique ad exitium vniuerſi Chriſtianorum cætus nullæ non machinationes adhibebantur. Quæ cum priuatim ſingulis eſſent luctuoſa, integris Eccleſiis pernitioſa, primarii Galliæ Proceres ab Electore Pala-

tino Friderico III. *Pio*, promptiſſimo veterarum Eccleſiarum Nutricio, auxilia petiuerunt, quæ is, pro ſua in afflictos συμπαθείᾳ non ſolum deſtinauit, ſed & filium ſuum dilectiſſimum, Iohannem Caſimirum, copiarum Ductorem eſſe voluit, ineuntiſque ætatis ac roboris primitias Eccleſiæ Chriſti conſecrare: adiunctis ei ex prima Nobilitate ſummis viris, & prudentiſſimis Conſiliariis, qui illius ætatis conſilia & actiones temperarent. Sic igitur Iohannes Caſimirus ad ſalutem Gallicarum, vel potius omnium Chriſtianarum Eccleſiarum fatalis Dux deſtinatus, in Gallias exercitum magna prudentia & felicitate, ſub ipſum Anni 1568. initium, traduxit, exiguoque temporis ſpatio, vires hoſtium fregit, conatus diſſipauit, ingenti metu pios bonoſque liberauit. Dici certè non poteſt; quantopere talis Princeps, in illo ipſo ætatis flore, in Gallia educatus, Gallicum idioma egregiè ſonans, ciuilis, humanus, vniuerſæ Nobilitati, & nominatim Ludouico Borbonio, *Principi* Condæo, qui cum Magno Galliæ Amiralio, magnaque parte exercitus in Lotharingiam vſque eius Celſitudini obuiam proceſſerat, carus & acceptus fuerit. Memorabile eſt etiam, quod nullus hoſtium in Gallia

lia aut alibi exercitum, cuius Leo ille Palatinus Ductor fuit, laceſſere vnquam eſt auſus. Oppugnabat amplam & opulentam Vrbem Carnutum, & tormentorum vi conquaſſatam, in poteſtate ſua tenebat: cum ecce pacis conditiones à Rege Carolo IX. offerrentur: quas cum Ludouicus Borbonius, Princeps Condæus, accepiſſet, Caſimirus quoque arma lubens depoſuit, quæ firmæ pacis conſtituendæ cauſa ſumpſerat. Neglexit tum optimus Dux Caſimirus, egregiam ſuorum commodorum ſtabiliendorum, augendæ dignitatis & potentiæ, congerendorum theſaurorum oportunitatem; Eccleſiis, & Francicæ coronæ Principibus ſecuritatem attuliſſe, gladios à bonorum iugulis depuliſſe, frenum Antichriſto inieciſſe, contentus. Vnde Caſimirum omnes laudibus in cœlum efferre, pietatem, fortitudinem, prudentiam, & raram in victoria moderationem prædicare: Galli cumprimis, hunc ſuæ libertatis vindicem agnoſcere, & de tam præclaris in ſe tali tempore beneficiis immortales gratias agere.

Ad pacis igitur conditiones adactis coniuratis in Gallia ante oppidum Carnutum, quod à Condæo & Caſimirianis militibus cingebatur: patrios lares cum

integro & ſaluo exercitu repetiit fortiſſimus Heros Caſimirus: quem non ita multò poſt, Anno nimirum 1570. fulgentem gloria & virtute, generum ſibi adſciſcere voluit Potentiſſimus ille Saxoniæ Elector Auguſtus. Neque in coniugio tamen, vt ſæpe fieri ſolet, languori & inertiæ ſe tradidit cordatiſſimus Princeps, qui ſe ad magnæ virtutis opus, magnoſque labores natum & factum eſſe ſentiebat. Patris optimi ille latus ſæpe claudere, grauibus ſæpe deliberationibus & conſiliis intereſſe, rationemque gubernandi addiſcere ſolebat. Lautrεæ in Palatinatus finibus verſus Occidentem, quaſi Limitaneus Dux, qui pro patria in excubiis eſſet, ab Illuſtriſſimo Electore Friderico III. Pio parente ſuo collocatus.

Caſimiro autem ex Gallia vix digreſſo, Pontificii violato pacis edicto, iuriſiurandi Religione proculcata, perfide & crudeliter in optimos quoſque ſæuire, quoſque armatos opprimere nequirent, inermes, nec hoſtile quid metuentes, ad internecionem delere conari: quæ truculentia, cum neque tum ex voto ſuccederet, ad priſtinas perfidiæ technas recurrêre, paciſque nomen oſtentando, primarios religionis reformatæ, ſub nu-

ptia-

ptiarum ſpecie, Anno 1572. Lutetiam euocatos, crudeliſſimè mactauêre: qua immanitate neſcio an poſt homines natos ália ſit audita terrior & ſceleratior. Extant quidem in Hiſtoriis aliquot dirarum lanienarum exempla. Mithridatem ferunt in Aſia pariter trucidanda curaſſe Romanorum octoginta millia: funeſtam in Pythagoræos cædem olim in ea Italiæ parte, quam magnam Græciam dixêre, perhibent admiſſam. Sic in recentioribus Hiſtoriis, Templarios, quos vocant, in Gallia ſimul omnes occiſos à Philippo Pulchro: Gallos contra, à Siculis, ad Veſperas (vt vulgo loquuntur) eo facinore nobilitatas ad vnum omnes miſerabiliter interemptos legimus. Verum has cædes, vtut barbaras, deteſtabiles, tartareas, immanitate, ſæuitia, & flagitioſiſſima perfidia, longè vicit Gallica ſeu Pariſina laniena, quam ſicarii ſcelerati, efferata rabie, in omnes promiſcuè pios, in homines nobiliſſimos, in Duces præſtantiſſimos, & pleroſque quidem ad ſacrum nuptiale blanditiis allectatos, nulla dignitatis, nulla ſexus, nulla ætatis habita ratione, indigniſſimè perpetrarunt: riuos, plateas, fluuios, Vrbes, & ipſam aulam regiam ſanguine innocenti compleuerunt: deniq; vix ab ipſo Spon-

ſo, Henrico IV. Nauarræ Rege, ad Galliæ poſtea Regnum, miro Dei iudicio vocato, manus cruentas & nefarias abſtinuerunt. Actum videbatur eo tempore de Eccleſiis Reformatis: ſed Deus ex tenebris lucem educens, eas mirabiliter conſeruauit, & hoſtes vlciſcens partim ſuſtulit, partim inter ſe commiſit, qui Regnum Galliæ ſummis turbis implicuerunt. In hoc miſerabili ſtatu, Frater Regis Caroli IX. Dux Alenconius, Henricus Borbonius, Princeps Condæus, Ludouici filius, Vicedominus Carnutenſis, Toreus Conneſtablii filius, aliique plurimi Proceres, (qui eo tempore Heidelbergæ exulabant) ad vnicum Caſimirum, tanquam aſylum confugere, hunc Imperatorem, tanquam Germanorum Principum decus & lumen, ad bellum pro ſalute Regni florentiſſimi gerendum depoſcere, ac ceu firmiſſimum propugnaculum aduocare. Huic enim vni ſummam rei militaris ſcientiam, inſignem prudentiam, heroicam fortitudinem, authoritatem, & felicitatem egregiam, quæ virtutes in Imperatore requiruntur, tribuebant: experti ſcilicet prius, quanta ipſi ſingula iſta ineſſent. Non paſſus eſt tum fortiſſimus Heros Caſimirus fruſtra ſuam opem implorari, nec, vt

alios

alios quoſdam, ſe vel commodis quibuſdam, otio, voluptatibus, amore coniugis, Patris & patriæ retineri, vel metu, & rei difficultate, vel dehortationibus, & minis quorundam abſterreri. Anno itaque 1575. auſpiciis *Parentis Friderici III. Pii* Electoris Palatini, ſuccurrit iterum Galliæ tot cladibus attritæ, tot turbis labefactatæ, tot lanienis exhauſtæ, & tantum non collapſæ; ne tum quidem vlla regnandi, fineſque dilatandi cupiditate abreptus, ſed pietate in afflictos, miſericordia in oppreſſos, & tamdiu miſere vexatos; ſtudio ſummo in Remp. Gallicam, in pios Regni Duces, & Optimates beneuolentia, iuſtitiæ firmandæ, ſolidæ pacis conſtituendæ, diuini denique nominis contra atheos aſſerendi deſiderio adductus & inflammatus. Sic enim ipſe redux, Heidelbergæ Vrbis Senatoribus, ante portam eum excipientibus, reſpondit: *Hæc arma non vlla temeritate, vel praua cupiditate cepi, ſed publica vocatione, diuinaque voluntate; quodque feliciter cepi, non mihi, ſed ſoli Deo vendico, & acceptum refero.* Præclara profecto vox, ſummæ pietatis, & integerrimæ mentis, teſtis locupletiſſima. Deum hunc animum reſpexiſſe iudico, cum exitu felici bellum illud concluſit, & ſecundo pacis ſeque-

ſter extitit. Mox enim vbi in Galliam inſtructiſſimo cum exercitu perrupiſſet, ac in vmbilicum Regni, ad ipſam Metropolin vſque, penetraſſet: ab hoſtibus, ſuæ cauſſæ diffiſis, ac proditione potius, inſidiis, ſcelere, (quem illi morem inueteratum etiamnum tenent) quam aperto Marte pugnare cupientibus, & vel ſola nominis Caſimiriani fama perterritis, victoriam propemodum ſine ſanguine deportauit: Regi, quas voluit, h. e. æquiſſimas, vtiliſſimaſque pacis leges dictauit, & facilè perſuaſit, vt Rex Henricus III. edicto publico profiteretur, expeditione hac à Caſimiro ſibi gratum, & tali tempore opportunum officium, obſequiumque eſſe præſtitum. Nec immerito. Nam pacem Regno, Regnum ipſum Regi, Regiis edictis auctoritatem, *Principibus* dignitatem, tribunalibus iuſtitiam reſtituit: pietatem pulſam, fidem exulantem reduxit: exulibus patriam, & quaſi vitam, immo vita chariorem conſcientiæ libertatem reddidit: Eccleſiarum cœtus diſſipatos reuocauit: Chriſtianorum ſalutem defendit, Religionemque propugnauit feliciſſime: Babylonicæ meretricis furorem ab ouium Chriſti ceruicibus depulit fortiſſime.

Saluus

Saluus itaque & haud ſanè inglorius, Iohannes Caſimirus, Eccleſiæ & libertatis Gallicæ vindex acerrimus, cum exercitu, Anno 1576. menſe Auguſto, reuerſus, Fridericum III. Patrem, Pium Electorem, mirifice exhilarauit: qui valetudinem ſuam inclinari præſentiens, (obiit enim duobus poſt filii Caſimiri reditum menſibus) ſuauius ſe moriturum putabat, ſi in filii chariſſimi & obedictiſſimi complexu, ſicut factum eſt, animam exhalaret. Ecquis vero non miretur, Principem Caſimirum, qui nec bonis literis tinctus, nec puer in Eccleſiæ ſinu educatus fuerat; qui vix primam adoleſcentiam egreſſus, in caſtris inter milites verſatus eſt: qui domi ſua habuit obſtacula: foris tot Principes, tot Monarchas ſuis inſtitutis aduerſantes: cuius regio exiguis circumſcripta terminis erat; reditus non ita ampli; cuius natura plus ad lenitatem, facilitatem, & nimiam aliquando abiectionem, quam ad terrificam aliquam ferociam propēdebat: res partim conatum, partim præſtitiſſe tantas, quæ ſi maximè communibus omnium Euangelicorum Principum auſpiciis tentatæ & factæ fuiſſent, ponderoſæ ſatis & difficiles erant. Orbatus ille pientiſſimo Parente Friderico III. Septemuiro Palatino, & omnibus

pene aliis præſidiis, Eccleſias Gallicas & Belgicas conſilio & ope iuuit; & ne in ſuis expeditionibus in Galliam, rebus priuatis ſtuduiſſe videretur, vbi primum Regem Galliæ Euangelicis fidem non ſeruare intellexit; omnia emolumenta, & honores à Rege oblatos reſignauit; interque alia, vſumfructum Stampiani Ducatus, & Comitatus Chaſteautierii; præter alias aliquot arces; quæ ipſi oppignoratæ fuerant. Condæo *Principi*, Henrico Borbonio, ſecundum exulanti, Rupefortio Equiti Aurato, Francothalii hoſpitium dedit. Eum Caſtilioneus inſignis Heros, Lauallius, Britanniæ Regulus, eum Bilionæi fratres: eum Eliſabethæ, Reginæ Angliæ legati: cum *Poloni* Neapoli Nemetum, & Lautreæ Cæſarei, & inuiſere, & de rebus conſulere grauiſſimis voluere.

Bimeſtri vero ſpacio poſt reditum ex bello Gallico, Pater Fridericus III, Pius Elector, cum à Deo ex hac miſera vita in optatam à ſe beatitudinem euocatus eſſet, Anno 1576. 26. Octobris; (cui morienti filius optimus Caſimirus adfuit, & lumina clauſit, extremo pietatis officio defunctus) ea ſunt mortem illius conſecuta, quæ fortiſſimo Caſimiro Duci non minorem ipſa Patris morte luctum attulerunt.

lerunt. Iactabantur paſſim voces, Caſimirum à fide Patris receſſurum, quam in gratiam eius tantum amplexus eſſet: eandem fidem nonnulli certatim Heidelbergam, rerum turbandarum ſtudio, conuolantes, criminabantur, nec tamen erroris ex verbo Dei, vel argumentorum robore conuincere, ſed vi & clamoribus obruere, ac ſepelire nitebantur; cathedris Academiæ, Scholarumque Doctores, Eccleſiis miniſtros ſpectatæ fidei, dimouebant; ſubſtituebant paulatim alios, ſed quorum plerique vel experientia & vſu rerum, vel eruditione, doctrina, pietate, vel celebritate nominis, anteceſſoribus, multorum quidem clariſſimorum virorum, inprimis illius Germaniæ luminis, Iohannis Sturmii, iudicio, non viderentur æquales: iuuenes, adoleſcentes, pueros è Collegiis eliminabant; ſententiamque exilii contra ſtudioſos ferebant, quorum tamen nullus erat, quin fidei Confeſſionem reddere, & meliora, quam à Præceptoribus hactenus didiciſſet, docentibus cedere cuperet. Sic florentem illam vineam ab Electore Palatino Friderico III. *Pio*, ad Nicri Rhenique fluenta, ſumma cura, conſitam & cultam, male feriati deuaſtabant: plurima denique (referre ſingula

nil attinet) candidum pectus Optimi Herois Caſimiri non poterant non grauiſſime vulnerare. Verum excelſum animum minimè fregerunt aduerſa, nec de priſtinæ conſtantiæ ſede deiecerunt: nihilominus in virtutum curſu perrexit, ac eandem porroſe viam inſiſtere velle, conſtãter & ſincere, Symbolo ſuo præ ſe tulit. Rumores de ſua perſona ſparſos, factis omni laude digniſſimis refutauit; inprimis edita Patris Confeſſione, cuius ſe Patronum & executorem de voluntate Parentis, palam profitebatur, grauiſſime profecto & neruoſiſſime ſcripta, quam ſi nonnulli vel legiſſent, vel expendiſſent, moderatiores ſe tum temporis præbuiſſent. Interceſſit præterea diligenter iis, quæ tum agitabantur de religionis mutatione: vim deprecatus eſt; ea media propoſuit, quę in Eccleſia ſemper vſurpata fuiſſent: Patris Theologos & miniſtros audiri, cauſam in Synodo, vel libero Colloquio, vel in legitimo pacificorum doctorumque virorum conuentu, cognoſci petiuit. Sed fruſtra hæc omnia. Quod vnum igitur reſtabat, in ſua ditione Religionem Dei verbo conſentaneam & conſeruauit, & amplificauit, Eccleſias ſollicite conſtituit, earum ſe fidelem nutritium apertiſſimè demonſtrans: ac, vt pius

Aſa,

Aſa, pios Iſraelitas ex decem tribubus, ad ſuum territoriū confluentes recepit, contemnens multorum ſiniſtra iudicia, contumelias, & minas aduerſariorum Cumque ſciret, Scholas eſſe diuinæ ſapientiæ hoſpitia, matres veræ Dei cognitionis, bonarum artium & virtutum palæſtras: regia ſane munificentia, Anno 1578. Neapoli Nemetum Academiam Illuſtrem aperuit; quam Caſimirianam inde dixerunt. Hanc voce, tum ſcriptis illuſtrarūt Viri in omni facultatum genere præſtantiſſimi, & Neapoli Caſimirianæ gloriam peperere ſempiternam: Hieronym. Zanchius; Zacharias Vrſinus, Daniel Toſſanus, Franciſcus Iunius, Balthaſar Copius, Georg. Hanfeldius, Theologi: Nicolaus Dobbinus, Iureconſultus: Henr. Smetius, Medicus: Simon Stenius, Lambertus Ludolphus Helmius Pithopæus, Hermannus Witekindus, Iohan. Iungnitius, Fortunatus Crellius, Ioh. Nebeltauius, Ioh. Piſcator, Henr. Haupius, Chriſtop. Iugnitius, Phil. Pareus; Pater meus, alii plures, Philoſophia, & literis elegātiorib. excellentes: quorū ſinguli ſingulas Scholas exornare poterant: pleriq; v. oēs prius in Acad. Heidelb. cum laude & iuuentutis fructu docuerant. Illud autem vere licet affirmare, ex iſta Neoſtadiana Schola

fructus vberrimos in totam Eccleſiam & Rempublicam intra & extra Germaniam, emanaſſe. Inſcriptionem Collegii Caſimiriani æneis tabulis inciſam Neapoli Nemetum talem legimus:

IOHAN. CASIMIRVS. COM. PAL. RH. D. BAVAR. ETC. FRIDER. III. PAL. ELECT. PII. FELICIS. P. P. F. PATERN. VESTIGIIS. INSISTENS. HAS. ÆDES. CVM. COENOB. ET. AVDITORIO. ADIVNCTIS OPT. LITERAR. STVD. D. PARTIM. CONSTRVXIT. PARTIM. CONSECRAVIT. AD. DEI. OPT. MAX. GLORIAM. ET. PATRIÆ. SALVTEM.
ANNO. SALVT.
MDLXXVIII.
CAL. APRIL.

Nec docentibus ſolum, ſed multis quoque diſcentibus liberalia ſtipendia conſtituit, egeſtatem reliquorum ſtudioſorum ſubleuauit, ad eorum victum, annonam copioſe ſuppeditans: exules innumeros, ad illum, ceu portum, ſe recipientes liberaliter excepit, afflictorum mæſta corda recreauit; deniq; ad ſummam hoſpitalitatem erga bonos omnes, inprimis literatos literarum amantes, nihil reliqui fecit.

Quem-

Quemadmodum autem domi ſuis Eccleſiis feliciter proſpexit, ita foris aliis quoque conſenſum in veritate, pacemq; minime fucatam ſummis viribus procurare contendit. Cum enim vbique dominari cupiens quorundam Theologorum turba, famoſum ſeu celebrem illum Diſcordis Concordiæ librũ circumferret, & à ſum̃is pariter ac imis ſuffragia vel emẽdicaret, vel extorqueret: vnus prope Caſimirus illorũ technas olfaciẽs, ſubſcriptionẽ, allatis ſolidiſſimis rationibus, recuſauit, & ea cæteris Principib. cõſilia ſuggeſſit, quibus ſi locum reliquiſſent, plus pacis & pietatis, rixarum & profanitatis minus haberemus. Extant hac de re libri, iampridem omnium fere manibus, ſumma cum vtilitate, ac pari voluptate triti; quos inter eminet illa ſolida, luculenta, & vere Chriſtiana Admonitio de Libro Concordiæ.

Sub illud tempus athletam Caſimirum denuo bellica certamina exercuerunt. Nam Belgarum Ordines, nec non Sereniſſima Britannorum Regina Eliſabetha, ipſum expetebant Imperatorem; fama virtutum, & rerum geſtarum in eam ſpem erecti; hunc vnum afflictas ac labantes Belgicarum prouinciarum res in ſuam dignitatem, antiquum ſplendorem, & a-

vitam libertatem vindicaturum. Ita namque cenſebant omnes, eius fidei maxime belli adminiſtrationem credendam eſſe, qui tanto ſtudio, & animi ardore, pietatis ac libertatis hoſtes prius eſſet aggreſſus, & viam ad ſumma quæque ſibi meritis ſuis patefeciſſet. Eorum votis ac precibus ne deeſſet Caſimirus, expoſitis primum publico ſcripto ſui inſtitui cauſis copias lectiſſimas, equeſtres & pedeſtres, in Brabantiam deduxit, hoſtium inſolentiam repreſſit, vim auertit, proculdubio populis illis pacem (id quod omniũ antiquiſſimum ipſi fuit, & caput cauſæ) ciuibus otium, Eccleſiis ſecuritatem præſtiturus, Belgicamq; ab Heſperiorum iugo vindicaturus; niſi quidã, non dicam tanto principi gloriam, ſed ſibi ſalutem & felicitatẽ inuidiſſent, auxiliatrices manus aſpernati; vel potius, niſi peccata hominũ diuturniores pœnas eſſent commerita. Traiecit igitur optimus Dux anno 1579. è Flandria in Angliam, vbi à Debora illa, Regio culmine digniſſima, tanti ſunt honores Caſimiro habiti, quanti peregrino Duci vnquam: quin & in vetuſtum ac laudatiſſimum Ordinem Equitum Charteriorum, & aureæ periſcelidis eſt cooptatus: quæ dignitas paucis exteris; Germano Principi vix vni & alteri contigit.

Anno

Anno 1583. exarſit bellum Colonienſe pro Archiepiſcopo Gebhardo Truchſeſio, vel potius pro libertate Religionis, ſuſceptum, magno initio cum applauſu, dum eius res florerent, & feliciore forte ſucceſſu, niſi ſuas rationes ad eos ſcopulos appuliſſet, in quibus multi naufragiũ fortunarum fecerunt, qui ſcil. omniũ ordinum Imperii concors & commune ſubſidium exſpectarunt. Quemadmodum a. Cicero in Lælio commemorat, Tarquinium Regem dixiſſe, *ſe, tunc, cum exul eſſet, intellexiſſe, quos fidos amicos habuiſſet, quoſque infidos: cum neutris gratiam referre poſſet:* Sic Archiepiſcopus Truchſeſius in ſuo exilio & calamitate ſua fidiſſimum ſocium expertus eſt Illuſtriſſimum & Magnanimum noſtrum Principem Palatinũ, D. Iohannem Caſimirũ; de quo vere illud dici poteſt, neminem totis 20. annis, patriæ, aut Eccleſiæ hoſtem fuiſſe, qui ei quoq; bellum non indixerit. Paulo ante expeditionẽ illam Colonienſem, fortiſſimus Heros Io. Caſimirus, cuidã monẽti: *nimis grande & audax eſſe inceptũ, vnũ Principẽ in ſe ſuſcipere, quod hactenus ab omnibus ordinibus Euangelicis obtineri nõ potuerit: vt videl. collegiatis illis Eccleſiis, & Eccleſiaſticis libertas Religionis & coniugii relinqueretur, & in Electorali ac Eccleſiaſtica dignitate tole-*

rare-

raretur coniugatus ac Euangelicus : in hanc fere ſententiam reſpondiſſe fertur : *Atqui in magnis etiam voluiſſe multum eſt ; pulchrumque mori ſuccurrit in armis : modo patriæ meæ, & fratri, ac amico Gebhardo fidem datam probem , & meo exemplo alios ad id perficiendum extimulem , quod ego pio zelo fuero conatus.*

Vt autem pręclara voluntas eius Celſitudini non defuit , ſic nec defuit diuina manus, quæ eum ex illius belli flamma, & ſeditioſorum militum tumultibus ereptum , in patriam ad Electoratus gubernacula , ad veritatem & pacem Eccleſiis ac Scholis Palatinatus reſtituendam reduxit ; vt tanquam Nehemias alter templum ruſus populo Dei aperiret. Accepto enim nuncio de fratris Ludouici Electoris obitu , intra triduum Heidelbergam aduolans , Adminiſtrationis habenas iure naturæ & Bullæ Aureæ ſuſcepit. Quod munus non humano, ſed diuino conſilio, ſibi delatum, diuino beneficio, diuina virtute ; dexteritate, felicitate, octennium , & eo amplius adminiſtrauit: Orthodoxiam Eccleſiis Palatinis reddidit, Academiam Heidelbergenſem reformauit, omnia denique integritati priſtinæ ceu poſtliminio reſtituit. Minas vero, pericula , & conſpirationes contra Illuſtriſſi-

ſtriſſimum Principem Adminiſtratorem, ob inſtitutam Reformationem intentatas, enumerare, nimis longum foret. Vnum ſaltem commemorabo. Contutores Teſtamentarii ex Camera Spirenſi impetrato aduerſus Caſimirum edicto de edendo Teſtamento, ſub pœna arctiorum ſeu banni: cum paritum non eſſet, arma parabant, & rumor tunc conſtans vagabatur, ante 18. Octobris, anni 1584. obſeſſum iri Heidelbergam: Octobris abiit. Heidelberga militem non vidit. Sic Deus ſeruauit Eccleſiam: & Illuſtriſſimus princeps Iohannes Caſimirus manſueta ſua conſtantia, conſtantique ſinceritate omnes aduerſariorum conatus tulit, fregit, ſuperauit.

Initio ſuæ Adminiſtrationis, nihil prius habuit, quam vt commiſſum ſuæ fidei & tutelæ pupillum, Illuſtriſſimum & Clementiſſimum Principem Electorem Fridericum IV. quam optime in pietatis inprimis doctrina inſtitui curaret. Adeo vt Friderico Victorioſo, cuius tamen in pupillum Philippum Palatinum inſignia merita extiterunt, multis nominibus, in hac tutelæ cauſa, præferendus merito videatur. Poſtea toto hoc gubernationis tempore, totus in id incubuit, vt omnes incolæ Palatinatus verum Iehouam vere cole-

colerent. Religionem Chriſtianam non ex lacunis & ciſternis putidis, ſed ex limpidiſſimis verbi diuini fontibus haurirẽt, & imbiberent: vt eandem pura conſcientia, & fide minime ficta, itidem vt ipſe conſtanter ac ſincere amplecterentur, & profiterentur: vt inuidia, liuor, factioſa Lutheranorum, & Caluiniſtarum nomina, & quæ ſequitur animorum exacerbatio, quidquid denique ſciderat ac perturbarat Eccleſias Euangelicas, id ſemel tandem exterminaretur, ac ex omni hominum memoria deleretur: vt rixis ſublatis, Chriſtiana dilectio, mutua concordia in veritate, vel ſaltem manſueta quædam moderatio ſuccederet ac regnaret: vt poſt Religionis puritatem, iuſtitiæ vigor floreret, & cuique ſine proſopolepſia ius diceretur & adminiſtraretur: vt omnia ſcelera, nominis diuini profanatio, deierationes, libidines, aſotia, & alia flagitia procul faceſſerent, ſeuereq; mulctarẽtur. Quibus de rebus inſignia ſanctiſſimaque promulgauit edicta p. omnes ſuas ditiones, quæ, ne quis ignorantiam prætexeret, in ſingulis oppidis & pagis quotannis quartum iterata prælectione voluit inculcari: vt ad ſummam, quod in Pſalm. 85. dicitur, benignitas & fides occurrerent ſibi, iuſtitia & pax oſcularentur ſe, vt fides

è terra

è terra germinaret, & iuſtitia è cœlis proſpectaret.

Tota ſane eius gubernatio vere patria fuit: eius ſerena frons & vultus blandus nil niſi delicias ſpirabat: ab ei⁹ colloquio nemo triſtis diſcedebat: eius denique incredibilis comitas, geſtus compoſiti, mores gratioſiſſimi, vel infenſiſſimos alioquin hoſtes in admirationem & amorem rapere ſolebant: vt idem, quod de Pio Patre Friderico III iure ſcriptum fuit, merito de Filio quoque feratur:

Qui te non vidit, CASIMIRE, videre cupiuit,
Et qui te vidit, captus amore tui eſt.

Licet vero bellicis conſiliis ſępe implicatus, & linguæ Latinæ, (quod ſæpe deplorare ſolebat) gnarus non eſſet: nouit tamē Academia Archipalatina, quantopere colloquiis & conſuetudine Profeſſorum ſit delectatus, quam non grauate in publico Auditorio, tum ſolenni Diſputationi Euchariſticæ, anno 1184. habitæ interfuerit, tum Orationes aliquot audiuerit: quanta etiam munificentia Collegium illud ſplendidiſſimum, (quod de eius celſitudinis nomine Caſimirianum vocatur) extruendum curauerit, tali inſcriptione ornatum:

CON-

CONSTANTER ET SINCERE
INGENVO LABORI
ET SOLERTIÆ
D. D.
COLLEGIUM HOCCE CASIMI-
RIANUM
RELIGIONIS ORTHODOXÆ,
DOCTRINÆ EXQVISITÆ,
FACUNDIÆ SINGULARIS,
ARTIUMQUE LIBERALIUM
FONTEM ET SEMINARIUM,
POSTERIS PRINCIPIB. ÆMU-
LATIONIS EXEMPLUM
SUIQ. STUDII IN ACADEMICOS
MUNIFICENTIÆ IN STUDIOSOS
AUCTARI CONLATI IN EGENOS
TESTIMONIUM
AD ÆTERNITATEM PALATINI
NOMINIS

A

FUNDAMENTO

EXSTRUI FECIT ABSOLVITQ.
PRINCEPS PROVIDENTISSIMVS
ERUDITORUMQ. AMANTISSI-
MUS

JOHANNES CASIMIRUS
PALATINUS AD RHENUM
COMES
DUX BOIORUM

FRI-

FRIDERICI IV. TUTOR AC REIP. ADMINISTRATOR.

ANNO CHRISTI CIƆ IƆXCI.

Sicut autem in curſu parum fuerit ad victoriam contendenti, ſi è carceribus exeat, acriorem impetum adhibere, niſi eundem retineat, dum ad metam peruenerit: ſic quoque Chriſtianiſſimus & fortiſſimus Heros Caſimirus, iter virtutum vt ingreſſus, ſic emenſus eſt, ad finem vſque curriculi ſui talem ſe præſtans, qualem antea ſemper, tum in ſecundis, tum in aduerſis rebus plurimis, ſubinde decumanis ſane fluctibus iactatus, & tantum non obrutus, ſe præſtitit. Sic agona præclarum decertauit, ſic curſum peregit ac conſummauit. Has ſummas virtutes, raram pietatem, in Deo fiduciam, iuſtitiam & clementiam, miſericordiam, comitatem, munificentiam, inuicti animi robur, & in vtraque fortuna æquabilitatem admirati ſunt ſubditi: & nos dignis laudibus, ſi poſſimus, extollere debemus. Nam ſi clariſſimos illos Duces, Epaminondam, Leonidem, Decios, Paulos, qui pro Patria ſe deuouerunt, & hoſtibus obtulerunt, in cœlum Hiſtoriarum Monumenta tollunt, in iiſque commendandis nullum

nullum modum ſeruant: Quidni ergo nos Chriſtianiſſimum hunc Principem Caſimirum certatim celebremus? qui totam vitam de Chriſti Eccleſia, & Repub. bene merendo, pro lege & grege Domini pugnando, vulnera in acie, & impetum hoſtilem aduerſo pectore excipiendo, immodiciſque curis de patriæ ſalute ſe fatigauit, vigiliis continuis, & laboribus plus quam Herculeis vires exhauſit: itaque ſeipſum Eccleſiæ & Reip. impendit, & deuouit.

Mors illi non plane improuiſa, ſed optata & exſpectata fuit. Nam poſt triſtem inprimis nuncium de obitu Chriſtiani, Electoris Saxoniæ, cum quo arctiſſima ei neceſſitudo & fraternitas intercedebat, ſæpe ab eius Celſitudine exauditæ ſunt hæ voces: *Cupio & ego diſſolui, & eſſe cũ Chriſto. Quid ego morer in terris diutius, cum is ſubductus ſit, quo ſocio fidiſſimo & potentiſſimo Eccleſiæ ac patriæ laboranti ſuccurrere poteram?* Dolor ingens capitis pene ſine intermiſſione totis quinq; menſibus eum exercebat. Variæ curæ, & quidem grauiſſimæ pectus eius toto triennio exederant. Ideo de deponenda ſarcina Adminiſtrationis, & de reditu in ſuam ditionem, & multum cogitabat, & quotidie ſermocinabatur. Sed cum Deus in longe bea-

tiorem

tiorem locum traducere conſtituerat, in quo ab omnibus huius vitæ ærumnis reſpiraret. Mortem igitur iam imminentem alacriter excepit, & fortiter ſuſtinuit: animam ſuam ei, qui dederat, quemque religioſe coluerat ipſe, commendans, peccatorum culpam deprecans, miſericordiæ Dei fiducia nixus, piis precibus identidem iteratis, leni, placido, & optabili mortis genere, ſine mortis dolore, Poſtrid. Non. Ianuar. anno 1592. paulo poſt quintam matutinam, in electorali cubiculo Heidelbergæ expirauit, in conſpectu & complexu chariſſimi Nepotis, Illuſtriſſimi Electoris Palatini, Friderici Quarti, & ſororis inclytæ viduæ: beatior hoc nomine magnis illis Heroibus & belli Ducibus, Ludouico Borbonio, Caſparo Colignio, Galliæ Amiralio, Wilhelmo Principe Auraiaco, & ipſo Duce Chriſtophoro fratre, & aliis, qui violenta morte oppreſſi fuerunt. Sic ex hac fece & colluuione, in illam, quam anhelabat, ſolam vereque vitam, tranſiit: iucundiſſimo triumpho cœlos inuectus, & immortali beatitatis laurea, poſt tot præclaras victorias ſummo Brabeuta donatus ſempiterna gloria redimitus, ac iuxta pios pios Reges, Principes & Patriachas, immo iuxta ſanctiſſimum

Patrem

Patrem collocatus. Reliquit ex vxore Eliſabetha, Auguſti Saxoniæ Electoris filia, vnicam filiam Dorotheam, quæ poſt patris obitum Illuſtriſſimo Aſcanię principi Iohanni Georgio Anhaltino nupſit. Sepultus eſt in templi choro ad Sp.S. cum tali monumento:

CONSTANTER ET SINCERE.
IOHANNI CASIMIRO
COMITI PALATINO AD
RHENUM
DUCI BAVARIÆ
PRO SEPTEMVIRO
QUI SIBI VIXIT NUNQ.
REIPUB. CHRIST. SEMPER.
QUAM DOMI MILITIÆQ.
STRENUE IUVIT ATQUE
ORNAVIT. RELIGIONE
ORTHODOXA. SCHOLISQ.
BONARVM ARTIUM INSTAURATIS.
GALLIA. ET
BELGICA A GRAVISS. PERICULIS
VINDICATA.
CURAQ. PERPETVA IN
HOC

HOC EVIGILAVIT. UT CONCORS PATRIA A VI FRAUDEQ. EXTERNA TUTIOR STABILI QUIETE CUM DIGNITATE FRUERETUR, OMNI DENIQ. OFFICIO PRINCIPIS LAUDATISS: CONSTANTER ET SINCERE PERFUNCTUS. AUTORITATIS SUÆ ET VIRTUTIS SVMMÆ HVMANITATI CONIVNCTÆ TRISTE DESIDERIVM BONIS RELIQVIT OMNIBVS.

FRIDERICVS IV. ELECTOR
PATRVO TVTORIQ. DE SE
OPTIME MERITO
P.

OBIIT POSTRID. NONAS IANVARII.
CIƆ IƆ XCII.

Caſimiro Principe, poſt Electoralem palatinatum annos nouem feliciter adminiſtratum, viuis exempto, pupillus Electoralis hæres Fridericus IV. legitimam gubernationis ætatem XVIII. annorum nondum plane compleuerat. Deerant enim duo menſes. Hinc rurſus Eccleſia palatina nō leuiter periclitabatur, affectante palatinatus Adminiſtrationem propatruo Friderici Richardo Simmerenſi Palatino, & minas atroces aduerſus Eccleſiam Reformatam ſpirante. Diſceptatum fuit de Adminiſtratione Richardina totum biennium, non tamen gladiis, ſed calamis. Interim poſſeſſione gaudebat, & ſtatum Eccleſiæ Palatinæ integrum ſeruabat Fridericus Quartus Elector, qui tandem inueſtitura ab Imperatore Rudolpho Secundo impetrata, annis octodecim continuatis palatinatum proſperrime gubernauit.

XVIII. FRIDERICVS IV.
Sincerus.

Magni Principes à Palatinis ſubditis receſſerunt: Fridericus Tertius pius Elector; ſummus Princeps, Ludouicus Elector: Iohannes Caſimirus, Electoratus Adminiſtrator fortiſſimus: ſed non toti receſ-

receſſerunt:reliquerunt enim nepotem & filium; Fridericum IV. Iuuenem quidem Principem, ſed fidei virtute veteranum, vt de Valentiniano ſcribit Beatus Ambroſius: qui aui Friderici Tertii, inuictam in vera pietate patientiam, parentis Illuſtriſſimi Ludouici Electoris religioſam munificentiam; patrui Caſimiri comem fortitudinem, iam inde à teneris vnguiculis, imitari decreuit, ſuæque virtutis & pietatis varia quotidie dedit ſpecimina: dum non cum ſecuritate & præſumptione, verum cum lachrymis & precibus ad DEVM, id volentibus Imperii Statutis, id dudum optante patruo Caſimiro, id ſtatuente auguſto conſilio, & Palatinatus proceribus, ad dignitatem Electoralem anno ætatis 18. acceſſit.

Vitæ auſpicia duxit Ambergæ in Superiore Palatinatu, die 5. Martii, anno 1574. ceu locum generoſiſſimi & maximæ ſpei principis Chriſtophori Palatini ſuppleturus, qui eo ipſo anno in acie occubuerat.

Primis virentis æui annis in ipſo flore adoleſcentiæ literas, & Orthodoxam religionem, optimoſque mores, à Nobiliſſimis, Ampliſſimis, & Clariſſimis Viris, Othone Grunradio, Georgio Michaele Lingelshemio, Chriſtoph. Pexbrando,

do, & Bartholomæo Pitiſco imbibit. Sępe obſeruatum eſt in Hiſtoriarum memoriis, pleroſque omnes Principes, qui ad aliquam virtutis famam & laudem aſpirarunt, ſummis vſos Magiſtris. Raro certe natura in vitium cerea flecti ducit ad vitam integram & religioſam. Plus ſępe poteſt in homine diſciplina, quam ingeniũ. Fridericus Quartus vtroque felix, & per ſe ferebatur ad virtutem, & culturæ patientiſſimam paratiſſimamque aurem præbebat. Creuit mox fama de Friderico Palatino, & virtus illius, clareſcens velut flamma emicuit, adeo vt pro eius ſalute & incolumitate exaudirentur piorum omniũ gemitus per Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam, ipſamque Heſperiam. A pueritia Rectoratu Academia Heidelbergenſis fungens, ea egit, vrſit, conſequutus eſt, & non niſi illis perfectis Magiſtratum deponere voluit, quæ totis viginti ſex annis Academię conſequi non potuerat, vt ſcilicet Legum & Statutorum Academiæ reuiſio inſtitueretur, ſuperuacanea reſecarētur, neceſſaria inſererentur, ſumptus ſtudioſæ Iuuentuti in capeſſendis gradibus minuerentur: omnes in officio continerentur: Profeſſione Hiſtorica Academia augeretur: Annales conſcriberentur: omnia denique rite, &
decen-

decenter tum à docentibus, tum à diſcentibus fierent.

Multum omnes Academiæ Lothario Saxoni debent, qui auctore Irnerio Iureconſulto leges bonas & ſcholas inſtaurauit. Multum Friderici Quarti maioribus Academia Heidelbergenſis debet, qui Scholam hanc conſtituerunt & ornarunt. Sereniſſimo vero Electori Friderico Quarto plurimum merito ſe debere profitetur, qui illam quaſi ſeneſcentem & nutantem ſuſtentauit, nonnullorumque maleuolentia deformatam ſplendere fecit, turbatam pacauit, & non Profeſſorum ſolum, verum etiam ſtudioſorum ſummam rationem habuit. Non alius humanior, benignior, nemo familiarior Princeps, ſed ideo tamen, vt illi integrior authoritas conſtaret, quam cuiquam ſuperciliofo. Et quanquam in literis vltra mediocrem intellectum nō erat progreſſus, homines tamen literatos minime aſpernabatur. In menſa, in cubili, in iocis & ſeriis hi frequentes erant, maxime illi, qui doctrina, & multarum rerum ſcientia cæteris pręſtarent. Hos opibus, ſe gloria augebat. Patruum ſuum laudatiſſimum & fideliſſimum eo ipſo tempore amiſit, quo ex tutela iuxta Bullam Auream, & Imperialem excedens, confir-

mata ætate, corroboratoque non parum iudicio, capax iam Adminiſtrationis huiuſce ſui muneris ampliſſimi eſſet. Sic olim apud Romanos pueri ingenui ac Nobiles, prætexta & bulla aurea depoſita, exitu anni 17. virilem ætatem ingredientes togam virilem ſumere ſolebant: anno 1593. nuptias Dillenburgæ celebrauit cum Loyſa Iuliana, Gulielmi Naſſouii, Auraici Principis filia, virgine forma & virtutibus præſtante.

In Comitiis Ratiſponenſibus anni ſequentis 1594. feuda Electoralia ſolenni ritu à Rudolpho Secundo Imperatore impetrauit.

In palatinatum Superiorem profectus, anno 1596. Neagorenſes, & alios motus compoſuit: Eccleſiæque & Reipublicæ ſtatum correxit.

E veteri pago Manheimio, ad Rheni & Nicri confluuium, ad ſuam ſuique populi & patriæ tutelam, nobilem Vrbem à fundamentis exſtruere cœpit, anno 1606. eamque vallo, foſſa, & muro cluſit, portam confluæ vndiquaque piorum exulum ex Belgio multitudini aperuit:

aperuit: vt auitam libertatem tueretur, & religionem ſinceram poſteris illibatam conſeruaret; vt à meditullio Germaniæ vim omnem exteram auerteret, vereque pro aris & focis neceſſariæ defenſionis, & ſecuritatis ergo nidulos in Palatinatu coagmentaret: vt exules pios, aliunde immerito ceu tempeſtate quadam electos, comiter reciperet, ex pomæriis ſuis hoſpitia noua pararet, ſedeſque petitas afflictis & extorribus offerret ac concederet: vt denique commercia omnis generis publico bono iuuaret, paſcua & agros, vineaſque ſuas in plateas & domos, ſæpes & ouilia in muros & portas commutaret.

Biennio poſt luſtrationem inſtituit ſelectioris exercitus Electoralis Palatinatus, more militari MAVRITIANO Belgico, in ampliſſimo & latiſſimo campo, qui vulgo die Lamperter Heyde appellatur.

Cauſas huius inſtituti valvis Eccleſiarum & Curiarum per totum Electoralem Palatinatum affigendas curauit. In conuentu Halæ Sueuorum Anno 1610. Principes & Status Evangelicos ſancta Vnione copulauit: dumque bellum in Alſatia, & Iuliacenſi Ducatu vehementius ardet, ipſe podagra & aliis

morbis aliquandiu conflictatus, die 9. Septembris, eiuſdem anni 1610. in cœleſtem aulam ac beatam patriam emigrauit, ętatis 36. magno ſui deſiderio omnib. bonis relicto. Neque enim vulgares ſunt, quæ in eo luxerunt virtutes: illuſtris Dei notitia, paternus amor ſubditorum, eximium iuſtitiæ ſtudium, in Scholas & Eccleſias munificentia, pro pace & incolumitate Evangelicorum vigilantia, & in dignitate ſublimi demiſſio animi ſingularis.

Poſt laudatiſſimi Principis Friderici IV. Septemviri exceſſum, noua tempeſtas nauiculam Eccleſiæ & Reip. Palatinę oppreſſura videbatur. Cum enim hæres Electoralis Fridericus V. defectum aliqualé legitimæ ætatis adhuc pateretur; iterũ & tertia vice Palatinatus ad ſcopulum tutelæ alliſus, in quantum diſcrimen inciderit, non neceſſe habeo dicere, ob recentẽ memoriam. Illuſtriſſimus tamen & cordatiſſimus Princeps, D. Iohannes Palatinus Bipontinus, fruſtra id impedire volente Philippo Ludouico, Principe Neoburgico, à viuo adhuc Sereniſſ. Principe Electore Frid. IV. Teſtamentarius Tutor & Adminiſtrator declaratus, rem & Eccleſiam Palatinam, incredibili prudentia, vigilantia, cura, labore, ſudore, periculo,

totum

totum pene quadriennium ſaluam & incolumem ſeruauit. Conſentiente itidem Rudolpho II. Imper. Collegio Electorali adoptatus eſt, & confirmatus in poſſeſſorio, dum aliter vel lege, vel tranſactione res componeretur. Defuncto Rudol. II. Imp. ex cõſtitutione aureę bullę, Vicariatum Imperii in partibus Rheni, Franciæ, & Sueuiæ ſuſtinuit: & Frãcofurti ad Mœnum, anno Chriſti 1612 Romanorũ Regis electioni interfuit, Cæſariq; Matthiæ cũ cæteris Electoribus ſuum ſuffragiũ dedit. Anno ſequenti Heidelberga Bipontiũ conceſſit, ante tempus ſponte ſe abdicans gubernatione Adminiſtratoria, quantum ad Electoralia; rebus Imperii vſque ad completum 18. annum Sereniſſ. Principis Friderici V. Electoralis hæredis, ſibi reſeruatis.

Ex Illuſtriſſima coniuge Loyſa Iuliana, Sereniſſimus Elector Fridericus IV. octo ſuſcepit liberos, quorum hæc ſunt nomina.

I. Loyſa Iuliana, filia primogenita, nata die 16. Iulii, anno 1594. cum qua Illuſtriſſimus Princeps Iohannes, Dux Bipontinus, per illud tempus Electoralis Palatinatus Adminiſtrator, nuptias celebrauit Heidelbergæ, anno Domini 1612. a. d. 3. Maii.

II. Catharina Sophia, nata die 11. Iunii, Anno 1595.

III. Fridericus Elector Palatinus, IttreX bOHeMIæ.

f IV. Eliſabetha Carlotta, nata Neagoræ in Superiori Palatinatu, anno 1597. die 7. Novembr. nupta Sereniſſimo Electori Brandenburgico, Georgio Wilhelmo, anno 1616. die 16. Iulii.

V. Anna Eleonora, nata Heidelbergæ, anno 1598. 26. Decemb. Denata ibidem anno 1606 23. Maii.

VI. Ludouicus Wilhelmus, filiolus infirmus, natus Heidelbergæ, anno 1600. 25. Septembris, & eiuſdem menſis die vltimo ſubitanea morte extinctus.

VII. Mauritius Chriſtianus, natus Heidelbergæ anno 1601. die 8. Septembr. ſub ipſam terræmotus horã, terra adhuc velut tremente. Sed magnæ hic ſpei Princeps immatura morte ſublatus eſt, anno 1605. die 18. Martii, ſepultus Heidelbergæ ad Spiritum S.

VIII. Ludouicus Philippus, Illuſtriſſimus Dux Simmerenſis, natus Heidelbergæ anno 1602. die 26 Nouemb. pupillus adhuc, Sereniſſimi Regis Friderici, fratris ſui vnice vnici optimi chariſſimi, fortunæ inuolutus, ab Hiſpanis omni ſua ditione indigne ſpoliatus fuit, vltra decennium.

Equi-

Equidem eius Celſitudini diuturnam vitam, felicem in patriam reditum, fauſtam ac proſperam gubernationem, ex intimo cordis mei penetrali à Deo Regum Rege, & Domino dominantium, comprecor, voveo, opto!

XIX. FRIDERICVS V. Patiens.

Et generis claritas Sereniſſimi Regis Bohemiæ, & S.R. Imperii Septemviri primarii Friderici Quinti, virtutem illuſtrat, & virtus generis claritatem, quæ multo auguſtior in illuſtri ſtirpe, quam humili & obſcura tribu apparet, Princeps enim hic, præter generis ſummum, & à tritauorum atauis notum ſplendorem, dignitate & potentia inter Teutones non poſtremus, ex Cæſarea & Regia ſtirpe natus Ambergæ, Superioris palatinatus Metropoli, anno 1596. 17. Kal. Septemb. Patre Friderico IV. feliciſſimæ & magnæ memoriæ quondam Electore palatino: Matre Loyſa Iuliana, Illuſtriſſ. & fortiſſ. principis Auraici Gulielmi Naſſouii filia, virtute ſenior, quam ætate, aſſumptus in ampliſſimum fortunæ faſtigium, verſabiles eius motus expertus eſt, qui ludunt mortalitatem, nunc euehentes

quoſdam ad ſidera, nunc in Cocyti profunda mergentes. Adoleſcens Sedani in Gallia à fortiſſimo Heroe Bullioneo Duce; tum etiam domi ſub eximiis & fideliſſimis Ephoris, ad veri Dei cultum, morũ honeſtatem, & virtutis omnem elegantiã. præclare educatus eſt: nec vnquam ante eum Palatini, inter tot tantoſque principes, aut ſpei maioris, aut indolis maturionis Electorem habuerunt. primis pubertatis annis, iam maximis animi dotibus, ingenio & memoria tanto principi conuenientiſsima, linguarum, Latinę pariter & Gallicæ, tum etiam Hiſtoriarum egregia cognitione; ſed inprimis vera & religioſa pietate, quæ virtutum omniũ baſis. & caput, exornatus: poſt immaturum nobis omnibus, patriæ, Reip. toti luctuoſiſſimum obitũ patris ſui Friderici IV. principis nondum ſatis laudati: ipſe primogenitus filius ſuperſtes, ac teneros infantiæ, dubios pueritiæ, præcipites adoleſcentiæ annos ſupergreſſus, Electoralis regiminis ſceptrum, à laudatiſsimis Maioribus ſibi relictum, plena manu ſuſcepit, lætantib⁹ ſubditis, acclamantibus vicinis, gratulãtibus ſociis: iam ante Sereniſſ. & potentiſſ. Magnæ Britanniæ Regi Iacobo, Fidei Defenſori inclyto, dignus indicatus, cui vnicam viraginem filiam Regi-

nam D. Eliſabetham, poſthabito Hiſpano, deſponderet coniugem: quam gener & maritus Fridericus V. Ordini itidem Equeſtri Aureæ Periſcelidis adſcit⁹, poſt feliciter ſuſceptum & exactum iter Britannicum, nuptiaſque Londini celebratas, Deo propitio Duce, & Comite, regaliter Heidelbergam deduxit; magno & ſincero omnium ſubditorum, & Procerum Electoratus Palatini applauſu. Inde vſque à primo gubernationis ſuæ tempore, conſilia ſua & actiones eo direxit, vt ſublata omni inter ſtatus Imperii diffidentia, pax & concordia in communi patria noſtra Germania retineretur & conſeruaretur. Operam igitur componendis finitimorum Principum diſſenſionibus aliquoties dedit. Habenas Palatinas gubernauit prudentiſſimè, Eccleſiam defendit pientiſſimè. Academiam fouit & ſuſtinuit clementiſſimè. Anno 1615. Iudæis Wormatia eiectis, & exorta inde diſſenſione periculoſa inter Senatum & ciues, controuerſiam illam ſine ſanguine compoſuit, ac perfecit, vt Cæſari Maieſtas, Imperio dignitas, & Magiſtratui Wormatienſi ſua auctoritas ſarta tecta permaneret. Sub initia etiam ſtatim Anno 1618. ſuſcitatorum in Bohemia motuum, omni ſtudio gliſcentes flammas

exſtinguere, & fluctus diſcordiarum ſedare conatus eſt. Et ſane ſi conſiliis eius Celſitudinis ſaluberrimis locus vllus relictus tunc fuiſſet, omnia illa ab armis infelicibus exorta mala euitari, declinari, & in herba, vt dicitur, opprimi potuiſſent. Potuit enim cauſa Bohemica vel amicabili tractatu componi, vel iure legitimo decidi: quod vtrumque Sereniſſimus Elector Palatinus Fridericus ſemper expetiit, vt ex multis ipſius conteſtationibus liquet. Neque ſane Auſtriaca Domus florentiſſimi Regni Bohemiæ, pulcherrimarumque Prouinciarum iacturam fuiſſet experta, ſi vel ſacrorum hominum, vel Adminiſtrorum Aulicorum, calida illa & audacia conſilia, prima ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia, non præualuiſſent. Immo cum bello iam flagrarent omnia, tranquillandis tamen adhuc motibus ne tum quidem occaſio defuit, cum in Imperatoris Ferdinandi II. electione, Anno 1619. Francofurti ad Mœnum, menſe Auguſto, Legati Bohemici, nimis ſuperbè, ſi verum dicere fas eſt, excluderentur. Sed parua hæc ſcintilla contempta, tantum in Bohemia, & tota Germania excitauit incendium, vt ad illud extinguendum, velut commune, non tantum ex Suecia, Anglia, Gal-
lia,

lia, Germania, ſed vniuerſa penè Europa, auxilia confluant. Imperator Ferdinandus, viuo adhuc Cæſare Matthia, Anno 1617. Rex Bohemiæ electus & coronatus inſtinctu & ſuggeſtione ſuorum Ieſuitarum, non regio, ſed hoſtili odio in Bohemos Euangelicos ſæuire cæpit, & cædibus ac rapinis, totum Regnum, Incorporataſque Prouincias, repleuit: Priuilegia omnia, liberam Regis electionem confirmantia, euertere voluit; in Religionis negotio, & literarum Maieſtaticarum ſanctione, ſecuritatem nullam præſtare cogitauit: per pacta Hiſpanica, Bohemiæ Regno non partem aliquam abſtulit, ſed integrum Regnum, cum adiunctis Prouinciis, lineæ Hiſpanicæ, ſua ſuorumque fratrum decedente omnino, hæreditariè tradidit. Ob quæ non contemptior omnibus Bohemis, quam inuiſior fuit. Itaque cum Bohemorum legati Francofurti etiam ludibrio habiti Pragam reuertiſſent, Status Regni Bohemiæ, & Incorporatarum Prouinciarum, odium Regis ſui Ferdinandi in vindictæ occaſionem vertentes, veluti ceruicibus ſuis iugo ſeruitutis excuſſo, alium ſibi Regem circumſpicere cæperunt. Itaque cum pars Saxoniæ Electorem, pars Gabrielem Bethlen, Tranſſyluaniæ Princi-

pem, maxima vero pars Fridericum ex Electoratu Palatino arceſſendum cenſerent: omnes tandem in Sereniſſimum Electorem Palatinum Fridericum V. conſenſere, inſtructum præter domeſticas vires, multorum Regum & Principum ſocietate, affinitate & conſanguinitate. Exauctorato igitur & depoſito Ferdinando Imp. Sereniſſimus Elector Palatinus Fridericus V. liberrimis Procerum ſuffragiis, legitimo modo, moreque maiorum, Rex Bohemiæ, ipſo natali ſuo, die XVI. Auguſti, electus, & ardentiſſimis poſtulationibus expugnatus, Diadema Bohemicum Pragæ, vna cum Sereniſſima coniuge, Regina Eliſabetha, Anno 1619. ſolenniter accepit, & coronatus eſt: quarta Nouembris die.

Cæſar à Bohemis ſe exauctoratum & repudiatum ægerrimè ferens, & vindictam parans, iubet Regem Fridericum Regno Bohemiæ, & Incorporatis Prouinciis excedere; ſi aliter fecerit, eum ſe pro hoſte habiturum. Rex vero Fridericus ſe in oblata abſque vi & viribus apprehenſa, ſed vacante Regni poſſeſſione, tueri & defendere voluit: publico etiam ſcripto toti orbi proteſtatus, ſolenni ritu modoque vocato in teſtem Deo, ſe nunquam ambitione correptum, electionem pren-

prenſaſſe, aut expetiiſſe: ſed diuina quadam virgula, contra ſpem, vota, & opinionem, concordique Statuum Regni & Incorporatarum Prouinciarum calculo fuiſſe ad ſceptrum Bohemicum vocatum: nec electionem illam clam habuiſſe, ſed ſuis Coëlectoribus, & aliis, miſſis Legatis & literis, patefeciſſe: nihilque ſe aliud ſpectaſſe, quam vt Regnum Bohemiæ à maiori exitio, quod imminebat, aſſerere, & Imperio Romano, à quo illud per Hiſpanorum ambitum auelli timeret, vindicaret & conſeruaret. Cum vterque certis titulis & fundamentis ius ſuum fundaret, exorta in Bohemia grauiſſima tempeſtatis procella, inter duos Nobiliſſimos & Florentiſſimos Principes, Ferdinandum Auſtriacum, & Fridericum Palatinum, bellum ſummis vtrimque viribus fuit: cum hic pro recuperando Regno Bohemiæ, in quo ius hæreditarium prætenderat: ille non ſolum pro illibata Bohemorum libertate, ſed etiam pro ſalute totius Germaniæ certaret. Victus tamen prælio Pragenſi, Rex Fridericus, magno animo fortunam aduerſam tulit; magiſque publicam, quam priuatam fortunam luxit. Vt vero ſe ad meliora Bohemiæ, & Archipalatinatus tempora reſeruaret, cum Sereniſſima coniuge Eli-

Eliſabetha, & liberis, per Sileſiam, & Marchiam Brandenburgicam, ad Batauos confugit, à quibus honorificè ſuſceptus, ipſum decennium, in ſumma dignatione Regis Bohemiæ vixit. Cæſar interea non tantum Bohemos, ſaucios ex illa infelici Pragenſi congreſſione; ſed & paulò poſt Morauos, Sileſios, Luſatos, integer ipſe viribus, facilè ſuperauit. Victis enim aduerſus paulò ante victores, nec animus, nec vires amplius pares fuere.

Summoto Rege Friderico, Cæſar Ferdinandus, ſecundam fortunam imbecillo animo ferens, nec contentus recuperatione Bohemiæ, quam amiſerat, materiam quietis, facta pace arripere noluit: ſed vltrò etiam Palatinatui Electorali, & aliis Principibus Euangelicis in Germania bellum inferre ac velut in viſcera ſua arma conuertere, geſtiebat. A Liga enim Pontificia Synodi Tridentinæ inſtabat executio, peſtilentiſſimæ Loioliticæ ſectæ conſiliis inuenta. Hoc fine bellum apud Bohemos tractum, callidiſſimè geſtum, vnicè gentis Bohemicæ excidium optatum & quæſitum. Quibus deletis, toti Germanico Imperio impendebat clades, & triſtis ſeruitus.

Cum itaque atrox in Imperio diſſidiorum

rum orta tempeſtas, orbem concuteret vniuerſum, Imperii Romani Capitibus præcipuis, Ferdinando Cæſare, & Rege Friderico Electore Palatino, interſe diſſentientibus, ruptiſque pacis vinculis, fulmen hoc etiam terras Palatinas afflauit, & apprehendit: terras, vbi ſimpliciſſima pietas, vbi optima ſtudia, vbi Iuſtitia ſanctiſſima deuotione colebantur: terras, vbi exules propter veram Religionem ex auitis ſedibus fugati, & Patriam, & Religionem ſibi redditam gaudebant: Terras, vbi Fides & Candor commerciis humanis ſecuritatem ſummam muniebant: vbi viri Illuſtres, Viri Docti, Viri Prudentes, numero denſiſſimo, vel creſcebant, vel inſerebantur, vbi fertilitas immenſa facilè longinqua propinqua ſuperabat omnia: vbi vinum, vbi fruges, vbi flumina, montes, ſyluæ, ignobilitatem faciebant aliis Prouinciis domi nobiliſſimis: vbi denique longa ſerie Principes potētiſſimos, fortiſſimos, optimos, Regia Palatinorum ſtirps educabat. Sed quod hæc omnia non ſunt, vt fuerunt, nulla maior cauſa eſt, quam quod ita fuerunt. Nihil enim intutius eſt, quam quod à pluribus laudatur. Bellum Bohemicum non tantum à Cæſare ad regni illius recuperationem continuandum

dum, ſed nouum etiam ad Palatinatum Bauaro acquirendum incipiendum, & totum Romanum Imperium perturbandum fuit, vt promiſſionibus Monacenſibus de translatione Electoratus Palatini in Bauarum ſatisfieret, ſimul vt extincta Religione Euangelica plantaretur in Palatinatu Religio Papalis; & tandem, vt hac ratione Imperium Romanum Domui Hiſpano-Auſtriacæ, ad ſimilitudinem Regni Bohemiæ, fieret hæreditarium. Cum talia conſilia fuerint inita, dubitari non potuit, ex iis atrox & diuturnum bellum in Germania exoriturum, & vel ad poſteros etiam perpetuaturum eſſe: partim quod Euangelici Electores, ſtatuſque Imperii, translationem illam Electoratus, metu periculoſiſſimæ conſequentiæ, (nam cuiuis contingere poteſt, quod cuiquam contingit) nunquam æquo animo laturi: partim quod Sereniſſimi Reges Magnæ Britanniæ, Daniæ, Sueciæ, aliique vetuſtiſſimæ Palatinorum familiæ cognati Principes minimè permiſſuri eſſent, tam indignè ſpoliari antiquiſſimo Patrimonio Sereniſſimum Electorem Palatinum, præcipuam Imperii Romani columnam, & tot innocentes eius liberos: Fratrem etiam Germanum, Illuſtriſſimum & Celſiſſimum Principem

cipem

cipem Ludouicum Philippum, iniuſtiſſimè ſuo quoque Ducatu hęreditario exutum, & cæteros Agnatos ferè in eodem verſari periculo. Sed tentanda belli Fortuna fuit, reiectis eiuſmodi difficultatibus omnibus. Anno itaque 1620. menſe Auguſto, atrox & crudele bellum in meditullio Germaniæ cæptum, introductus in Palatinatum ad Rhenum Marchio Ambroſius Spinola, cum externo & valido Burgundionum & Hiſpanorum milite, homo Italus, inaudito exemplo, in caput Germani Electoris Palatini, Commiſſarius Cæſareus conſtitutus. Electoralem Palatinatum tunc temporis Principum Henoticorum copiæ non minus validæ, Duce Ioachimo Erneſto, Marchione Onolsbacenſi, defenſionis titulo, paulò ante ingreſſæ, caſtris ad Oppenheimium, & Ingelhemum vallem locatis, tenebant. Verum enimuero hæ, aduentante hoſte, ſeu conſilio, ſeu metu compoſito, ne ille Wormatiam interciperet, caſtris inde motis, eandem ſibi præoccupandam duxerunt. Sic Hannibal Hiſpanus, patefacta ſibi porta, Rheno ad Moguntiam tranſmiſſo, primaria eius tractus municipia & Præfecturas, primo Crucenacum, mox Alzeam, Oppenheimium, Bacharacum, Cubam, & vniuer-

niuerſam illam Rheni ac Moſellæ oram lectiſſimam, milite præſidiario vbique exauctorato, cum munitionibus, in conſpectu noſtrorum Confœderatorum, in poteſtatem ſuam redegit: neque pinguiſſimus exercitus, qui tunc aduentantibus Hiſpanis obiacebat; quicquam contra conatus eſt: veluti ad epulas tantum, non ad prælium veniſſet. Hinc *Panicus* terror Palatinatum, ipſam vſque Heidelbergam repente inceſſit, qui Academiam Heidelbergenſem primo diſſipare cæpit. Neſciebamus illo tempore, quibus conſiliis res gereretur. Omnia ſuſpecta erant proditionis. Eaque de cauſſa ciues, Profeſſores, & Studioſi, quibus aut plus periculi, aut minus animi, in finitimas ditiones, Vrbeſque receſſerunt. Nullus ibat dies, quin ex partibus vltra Rhenanis infauſtus rumor aures verberaret, vel de hoſtium ſucceſſibus, vel de ſociorum Syncretiſmis: quamuis non hi magis, quam illi, rapinis & flammis parcerent: vt vtri grauiores patriæ, magiſque metuendi eſſent, in ambiguo haberetur. Tunc & duo opulentiſſimi iuxta VVormatiam vici, Weſthouium & Oſthouium direpti, flammiſque abſumpti; & quidem à ſociis, vt Wormatiæ ſecuri ab hoſte eſſent.

Cum

Cum omnia in Palatinatu in peius ruerent, & ſocii Hiſpanorum conatibus conniuerent, Illuſtriſſimus Princeps Henricus Fridericus Naſſouius, qui auxiliares manus Palatinis adduxerat, ſeparatum ab Vnitorum Principum copiis exercitum ſuum, ſub finem Nouembris, in Belgium rurſus reduxit, Mœno fluuio, eodem quo antea loco, inter Hanouiam & Francofurtum, ſuperato.

Poſt cladem Pragenſem, Ferdinandus Cæſar, haud mitior factus, Fridericum Electorem Palatinum, S. R. Imperii primarium, ex antiquiſſima & Illuſtriſſima Principum Germanorum proſapia oriundum, omnibus in Europa Regibus & Principibus ſanguine, affinitate, & fœdere iunctum, Imperii defuncto Imperatore prouiſorem, Cæſaris ex antiqua conſuetudine & lege Iudicem, opibus, potentia, prudentia, præclaris in Orbem Chriſtianum meritis, authoritate, dignitate, inclytum & conſpicuum: ipſe Imperator, in propria cauſſa Iudex & Teſtis, non citatum, inauditum, indefenſum, & abſentem, menſe Ianuario, Anni 1621. capitis damnauit, banni fulmine percuſſit, pace & fide Imperii excluſit, reum læſæ Maieſtatis & perduellionis declarauit, bonis & honoribus per ſenten-

tentiam priuauit; eius ſobolem innocentem & tenellam omni ſpe bonorum & honorum exuit, eiuſque vitam, in qua tot millia innocentium incluſa, omnibus impunè offendendam permiſit; denique amicos, ſocios, & ſubditos, ſi ei adhæreant, pœna mortis & proſcriptionis reos fecit. Executio Archiduci Alberto in Inferiori, Maximiliano Bauariæ Duci in Superiori Palatinatu demandata fuit. Vniti vero Principes, ac Status, ſiue timore adducti, ſiue deſpecta Fortuna afflicti Regis & Electoris Friderici, (difficiles enim pleriſque videntur calamitatum ſocietates) maiori Hiſpanorum compendio, pactis tandem Moguntiæ, menſe Aprili, cum Marchione Spinola, nefaſtis induciis, bellum deſerendum in Palatinatu, & à fide Vnionis recedendum ſtatuerunt: vt fit. Quo ſe Fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat. Quis enim in aduerſis beneficiorum ſeruat memoriam? aut quis vllam calamitoſis deberi putat gratiam? aut quando Fortuna non mutat fidem?

Copiis Confœderatorum dimiſſis, Palatinatum interea deſertum, ne Hiſpanorum libidini omnia paterent, Generalis Dux Horatius Veerius Anglus, & Nobilis Eques Palatinus Michael Obentraudius,

dius, cum exiguo Anglorum, Palatinorum, & Belgarum milite, defendendum ſuſceperant. Spinola maiorem copiarum ſuarum partem, relicto poſt ſe cum alia exercitus parte, Ferdinando Conſaluo de Corduba, Legato Hiſpano, in Belgium contra Ordines fœderatos reduxit. Hinc cum ex aula Cæſarea ſemeſtris induciarum prorogatio, ſpeſque plenæ pacis conciliandæ vulgò affulgeret, repentè res Palatinæ grauius quam vnquam, laborare cœperunt: & hoſtis Hiſpanus auidè complexus eſt, quidquid potuit, antequam Maximilianus Bauarus è Boiis, Leopoldus, Treboccorum Antiſtes ex Alſaticis aduolarent, & fieret, quod Græcorum prouerbio fertur, Communis Mercurius. Sic nimirum ſpe certæ pacis, & reſtitutionis Palatinatus in integrum, Vniti Principes diuellendi, & ad arma ponenda perſuadendi fuerunt. Sed Liga Pontificia ſuum in hodiernum diem retinuit exercitum, ſub Bauari ductu, vt Palatinatu oppreſſo, alii etiam Status Euangelici in ordinem redigerentur. Magna quidem Baroni Digbyo Anglo Viennæ ſpes facta pacis & induciarum, facta eadem aliis quoque Regibus & Principibus, facta inprimis Henoticis Euangelicis, & hac ſpe illi perſuaſi, vt armis

poſitis, Sereniſſimum Regem & Electorem Fridericum, ad pacem oblatam amplectendam ſeriò adhortarentur, & miſſa ſimul ad aulam Cæſaris inſigni Legatione, pacis negotium ſummo ſtudio vrgerent. Fecerunt idem non minori cura & labore Sereniſſimi Reges Magnæ Britanniæ, & Daniæ, ſed ſiniſtro euentu, vt exitus docuit. Rex autem Fridericus, Elector Palatinus, cunctas honeſtas æquaſq; pacis conditiones ſe accepturum multoties promiſerat, atque apud illum dictorum Regum ac Principum auctoritas plurimum poterat. Sed illo ſimulatæ pacis exquiſitiſſimo artificio interim hoc obtentum, vt ſecuritate inſtillata, interpoſitoribus, Palatinatus occupatio eo facilius procederet; vt Vniti dimiſſo exercitu non ita cito arma poſſent reſumere: vt Angliæ Daniæque Reges auxilia promiſſa non amplius iudicarent eſſe neceſſaria: vt Hungari, Sileſii, alii perſuaſi, factam iam cum Palatino per illius reſignationem tranſactionem, ſine mora & difficultate redirent ad obſequium: vt Marchio Iagerndorffius tandem & ipſe ſuccumberet: vt Tabor, aliaque Bohemiæ loca reliqua ſine labore recuperari poſſent. Sunt multæ aliæ vtilitates, quæ ex iſta pacis ſimulatione ad Confœderatos in Re-

in Regis Friderici, Electoris Palatini oppreſſione maturanda redundarunt.

Spirenſis Epiſcopatus in meditullio Palatinatus Inferioris comprehenſus eſt, redituum ſuorum maiorem partem in ipſo Palatinatu à ſubditis Electoralib. habet, ipſe Epiſcopatus in hæreditaria tutela & protectione Palatinorum Principum ab antiquo, (qua tamen ſe Epiſcopi nuper de facto exemerunt) Epiſcopi ipſi Capellani Electorum, quidam etiam Cãcellarii Heidelbergenſes fuerunt: Elector Palatinus in locis & pagis Spirenſibus multos homines proprios & regios, vt vocant, multa alia Iura ſuperioritatis habet: nihilominus cum Generalis Anglicus Horatius Veerius pro militib. ſuis tantum hoſpitia & annonam in vno alteroue pago Spirenſi petiiſſet, ruſtici autem Veerianos vi & armis excludere conati nonnihil mulctati fuiſſent, ſtatim cauſſa ruptarum induciarum ab Hiſpanis illi caſui adſcripta fuit. Sic etiam, cum Moguntinenſes ſubditi ex vicinitate aliquid incommodi ſenſiſſent, ſtatim querelæ per totum Imperium diſperſæ ſunt, Neutralem Principem hoſtiliter fuiſſe habitum. Ligiſtæ Electorem ſæcularem Imperii primarium de omni ſtatu ſuo vi & armis deiiciunt, auito patrimonio exu-

unt, cum exercitu ſuo hoſtiliter eius terras occupant, deuaſtant, cunctorum Hæreticorum (ſic Euangelicos ſine diſcrimine appellant) internecionem ſpirant, ac promouent. Interim Neutrales eſſe ſategerunt: Bohemicæ aut Palatinæ cauſæ ad ſpeciem ſe nunquam immiſcentes. Sed iuſtus eſt Dominus, à tergo vltor: ipſi iam incēdii, cuius authores & faces ſunt, flammam in ſua etiam Domo ſentiunt, quæ, niſi reſtituto in integrum Palatino Electoratu, ſuo legitimo & naturali Domino, nunquam extingui poſſe, cunctis viſum.

Et erat hic quidem titulus ruptarum induciarum: re autem vera hoſtes ex prę da modicæ partis Palatinatus, quantæ opes vniuerſi eſſent, animo proſpicientes, bellum toti Electorali Palatinatui inferre ſtatuerunt. Hinc velut conſpiratione quadam ad opprimendum Regem Fridericum, Electorem Palatinum, ex diuerſis locis confluebant. Hiſpani, prædæ cupiditate & Epiſcopi Spirenſis inſtigatu, arcem Steinam, munitiſſimam, quarto infra Heidelbergam lapide, in ripa citeriore ad Rhenum ſitam, aſtu an proditione occuparunt, ibique nouo Rheni ponte conſtructo, ſedem belli contra Heidelbergenſes poſuerunt. Hac re feliciter

prouenıente, vniuerſum illum tractum amæniſſimum Stratæ montanæ, aut Viæ montium, vulgò die Bergſtraſſen/ rapinis atq; incendiis infeſtum reddiderunt, copiolas noſtras, nihil minus quam hoſtile metuētes, improuiſi in patenti campo ad Birſtadium diſſiparunt, breuique temporis ſpacio ſine ſanguine oppida omnia, Bensheimium, Heppenhemium, Weinhemiũ (olim Winenheim, & Windoheim, & Windenheim dictum, cui impoſitum caſtellum nomen retinet, Windeck/) Starckenburgenſem arcem, cum Caſtro nouo, Principum Palatinorum ad venationes voluptuario, penè ad portas vſque Heidelbergenſes ſuę poteſtatis fecerunt. Ibi tum Panico terrore omnes in Vrbe conſternari, Collegia Docentium & Diſcentium ſolui: Profeſſorum & Ciuium præcipuorum plerique ad tuta loca ſe recipere: Brettam inprimis, Palatinatus oppidum, in confinio Ducatus Wurtembergici ſitum, Philippi Melanchthonis ortu, & fide in Philippum Electorem Palatinum, nobile.

Cœperant tunc etiam Heidelbergenſes de Vrbe munienda ſeriò, vt apparebat, cogitare. Itaq; & impoſitus præſidiarius miles, & mænia nouæ Ciuitatis aliquot annos continuata tunc demum abſoluta

fuerunt. Cæptus etiam ſuperiorib. menſibus nouus agger ingentis molis, cum foſſa octoginta pedes lata, alta viginti, portæ Spirenſi obtenſus, inde à turricula radici occiduæ montis caprini impoſita, à minis Cæſareis, Trutz Käyſer vulgò nũcupata, ad profluentem Nicrum vſque, maiore quam hacten⁹ ſtudio ac ſumptu, quo nec Academiæ parcitum fuit, vrgeri: quæ tamen molitio, Avo meo Celeberrimæ memoriæ D. Dauidi Pareo, parum dextri ominis tunc quidem viſa fuit: id quod hocce ſuo Prognoſtico haud diſſimulauit: cuius prę́ſaga veritas incolis infeſta primum, ipſo labente poſtea decennio diuina cęlitus operante gratiâ accidit fauſtiſſima.

Vrbs veſtra quod nouos molitur aggeres,
Sinonis arte factum nonne cernitis?
Abſinite! & ſero nocituris ſiſtite captis,
Condere nunc muros fruſtra, & confidere foſſis,
Intus vbi languent animi, dextraque remiſſa,
Conſiliumque domi deſit, vel Martia virtus,
Mox opere in medio præceps fama attrahet hoſtem,
Excludet Dominum, cui, proh dolor! inclyta quondam
Heidelberga fuit. Vah cui muniuimus Vrbem?

Vna

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem
Ex armis; toto nomine infelicia bello
Ludunt arma armis? Sinonibus omnia plena?
Boiariumque Oriens prona ſpe numen adorant.
State tamen: & Domini quid poſſit, cernite, dextra,
Sola Palatinam quæ vobis reſtituet rem:
Tertia prægnantes quando æſtas colliget vuas.

Interea temporis Mansfeldius Comes, Sereniſſimi Regis Friderici Commiſſarius, in ſuperiori Palatinatu ad Weidhauſium caſtra metatus eſt: habitis ſemel atque iterum cum Bauaris velitationibus. Maximilianus vero Bauariæ Dux, cum ex Amberga Mansfeldium commeatus ſuos accipere audiuiſſet, vt tranſitum ipſi præcluderet, Monaſteria duo opulenta admodum, Vallersbacenſe & Reichenbacenſe intercepit: Chamiumque obſedit: ac poteſtatis ſuæ fecit. Occupato hoc primario oppido, vlterius progreſſus, Neoburgum, Waldmunchium, Bleiſteinium, Grafenverdam, & oppida alia inuaſit. Tum etiam per Legatum ſuum, cum literis fiduciariis, ſua manu ſubſcriptis, Regimini, vt appellant, in Palatinatu ſuperiori pollicitus eſt, ſi ſe Prouinciamque dederent, cuncta ſe tam in Politi-

cis, quam Eccleſiaſticis, priori ſtatu, omneſque ſub Iuramento Electori, naturali Domino, antehac præſtito, relicturum eſſe. His aliiſque pollicitationibus deditionem ſuperioris Palatinatus obtinuit, quæ etiam ſub illa conditione facta eſt. Sed nihil minus, quam quod promiſſum, præſtitum fuit: ſub prætextu, fines mandati Legatum exceſſiſſe. Ita Ieſuitæ in ipſam primariam Vrbem Ambergam introducti, & idololatricæ Miſſæ impia ſpectacula publicè exhibita, ſubditis arma omnibus locis adempta; iuramenta contra conſcientiam, in ſpeciem, in verba Cæſaris, ſed reuera in vtilitatem Bauari, ipſis extorta. Etſi vero Maximilianus Bauariæ Dux, ex fœdere Monacenſi cum Cæſare pacto, Inueſtituram Palatinatus habuit, vt apparet ex Cæſaris ad Hyacinthum Monachum interceptis literis, nihilominus tamen res tota ſemper tecta & ſtudioſiſſimè occultata fuit, varii colores infauſti & exitioſi belli quæſiti, inprimis ac ſi tantum propter Mansfeldiũ Comitem expeditio in ſuperiorem Palatinatum ſuſcepta, quod & Cæſaris Bauarique Epiſtolæ præ ſe ferunt, & ſcripto prolixo in eum finem edito, & Conſiliariis Ambergenſibus, Ordinibuſque illius Prouinciæ tranſmiſſo, Bauarus cum exercitu

ercitu propinquans conteſtatus: cum tamen Mansfeldius Comes, vt prætextum illum adimeret, ſuum militem ex illis locis omninò in inferiorem Palatinatum deduxiſſet.

Mansfeldium Comitem mox cum copiis ſuis inſecutus Tillius, Bauarici exercitus Dux Generalis, in Inferiori Palatinatu, petulantia militari, vel certè eius metu, loca compleuit omnia. Bauar⁹ qui antea hoc egerat, vt quod maximè cuperet, aliis non innoteſceret: iam non occultè bellum, ſed palam etiam in Palatinatu, nec per diſſimulationem, ſed aperta profeſſione parauit. More enim ingenii humani, quo plura habent, eo ampliora cupientes, non contentus ſuperiori *Pa*latinatu, quem veluti tempeſtas quædam occupauerat: Inferioris etiam, & totius Electoratus Imperium ſpe improba deuorauit: velut alter Antiochus Hierax, qui non hominis, ſed accipitris ritu in alienis eripiendis vitam ſectabatur.

Iiſdem diebus, circumſtrepente vndique belli formidine, Heidelberga iterum Panico terrore penè tota diffugit. Hoſtis Hiſpanus, Bauarici militis acceſſione roboratus, Ladenburgum primo infra eam ad Nicrũ lapide occupauit, & ponte trans flumen excitato, ferroq; & flammis tranſ-

amnana planitie diuaſtata, Heidelbergæ per feciales deditionem aliquoties poſtulauit, qua non ſuccedente, mox Rheno iterum tranſmiſſo, in Neoſtadianam Præfecturam impreſſionem fecit, Lamshemum, Wachenhemum, Ogershemum, oppida Francothaliæ vicina, in poteſtatē ſuam redegit. Inde cum Neoſtadium petitur⁹ videretur, copiarum parte per fauces montium traducta, repente Lutream Cæſaream, Illuſt. Principis Ludouici Palatini ciuitatem primariā, æuo non ignobilem, lociq; natura & opere munitam, hactenus quidem præſidiario milite diu vexatam, tunc vero penè vacuam, atque neglectā, cum vicinis oppidis Otterburgo & Nanſteinio, deditione primum nomine Hiſp. Regis, poſtea Cæſaris, poſtulata, nullo repugnante, accepit. Quo elatus ſucceſſu, Hiſpanor. Dux ſupremus, Ferdinandus Conſaluus, Princeps Cordubenſis, itinere ocius reflexo, Francothalium totis viribus obſidione cingere cæpit, 24. Sept. huius An. 1621. Id oppidum cum prius non niſi cænobium Monachorum, & Monialiū fuiſſet, auſpiciis Friderici III. Pii Elect. Palatini, ab exulibus Flandris, Hollandis, Brabantis, Gallo-Belgis, & aliis, Ducis Albani & Hiſpanorum tyrannide, ob Religionem Euangeli-

gelicã, patria pulſis, fundari & condi cæptum, intra quinquaginta annorum ſpatium, ciuium virtute & induſtria, in tantam incolarum frequentiã, mercimoniorum celebritatem, & opulentiam, munitionumq; amplitudinẽ & firmitatem excreuit, vt vicinis ciuitatib. intra quas ſitũ eſt, Wormaciæ & Spiræ nihil ferè cõceſſerit: quoad res Palatinæ in tranquillo forent. Id (inquã) oppidũ Hiſpani, hacten⁹ deſertorũ, & nuper Lutrenſium exemplo, portas patentes illico daturũ ratus, mox in primo acceſſu ſpe deuorauerant. Verũ opinione falſi, inſtituta, & dies aliquam multos continuata verberatione, cum nihil proficerent, atq; irritis aliquot oppugnationib. non ſine multo ſuorũ ſanguine repellerẽtur, demum feciali bis miſſo, deditionem non tam verbis poſtularunt, quam pollicitis orarunt fruſtra. Obſeſſi n. cum Hiſpano, capitali hoſte ſuo, ſibi rem eſſe intelligentes, tanta fortitudine & alacritate hoſtiles impetus dies noctesque repulerunt, viris iuxta & mulieribus, pueriſq;, cum præſidiariis ad defenſionẽ imperterritis, vt hoſtis Hiſpanus ſeu deſperata expugnatione, ſeu metu Mansf. Comitis, ex Bav. Palatinatu cum copiis tunc aduẽtantis, obſidionem, quam 24. Sept. cæperat, Idib. Octob. trepidus ſoluere coactus fuerit.

Soluta obſidione Francothalēſi, Manſfeldius Comes, Veerio quidem, Generali Anglico Manhemium: Meruio & reliquis Heidelbergam dimiſſis, ipſe in ditionem Spirenſis Epiſcopi conceſſit, vt prædam & pecuniam aliquam extorqueret. Interea Bauari, Ductore Tillio, Benſhemium, Heppenhemium, Weinhemiū, Ladenburgum, locaque montana alia, à Megganio & Obentraudio Ducibus recuperata, denuò interceperunt. Inde cum Tillius deditionem Vrbis Heidelbergæ per feciales fruſtra poſtulaſſet, in montano illo tractu hærens, loca omnia ita vaſtauit, vt pauciores incolæ in ipſis amplius, propter ſummam rerum omnium penuriam, reperirentur. Mansfeldius Comes, vt par pari redderet, omnia cis Rhenum oppida, ad Spirenſem Epiſcopatum pertinentia, rapinis & incendiis exhauſit: Bruchſalenſem præcipuè ciuitatem occupatam ingenti pecuniæ ſumma mulctauit. Inde 13. Novemb. die, facto per pontem Manheimenſem itinere, loca trans Rhenum alia itidem infeſtauit, & Deidesheimium oppidum ſex tormentis quaſſatum occupauit, vbi prædam non exiguam reperit, Lavvenburgenſi Saxoniæ Principe in præſidio ibi relicto. Progreſſus inde, Kirchvveilenſem arcem,

cem, & oppidum deditione intercepit, præſidiariis cum præfecto omnibus ad partes eius concedentibus. Lauterburgenſi poſtmodum arce, & oppido potitus, ſuppellectilem, quam incolis fuga dilapſis inuenerat, militum libidini permiſit, caſtra ibi metatus, peditum inſuper ſex millia, & ſedecim equitum turmas conſcribi curauit.

Poſt Mansfeldii diſceſſum, Hiſpani 21. Nouembris Deidesheimium oppidum recuperarunt; inde egreſſi, Haſelochium incendio vaſtarunt, incolis maximam partem trucidatis. Die ſequenti 22. Nouembris Hiſpanorum Dux Cordubenſis per fecialem oppidum Neoſtadiũ (vbi tunc in Illuſtri Gymnaſio Caſimiriano ſtudiorum gratia verſabar,) dedi poſtulauit. Cum totum quatriduum quaſi in faucibus Hiſpanorum hæſiſſent oppidani, præſidiis omnibus deſtituti, Mansfeldius, Comes de repentina hoſtium impetu certior factus, ſubito Lauterburgo vindex aduolat, die 26. Nouembris, & cum Illuſtri ſuo Comitatu in publica Vrbis Cellaria pernoctat. Poſtridie circa horam octauam, Hiſpanis in campo Musbacenſi obuiam appropinquat, vbi poſt aliquot velitationes equitum varia Hiſpanos ſerio aggrediendi

impedimenta ſtatim deprehendit. Solum enim ob continuas pluuias ita emollitum ac profundum erat, vt nulla veſtigia ſiſtere liceret; & Hiſpani inſuper in montanis viretis deliteſcentes, ac ſibi metuentes, in conſpectum Mansfeldicorum cominus prodire noluerunt. Ita factum, vt Illuſtris Comes Mansfeldius cum vniuerſo exercitu Palatino in Germershemianum tractum ſecedere, & alias hoſtem inuadendi magis opportunas occaſiones alio tempore captare fuerit coactus. Hoc Mansfeldii diſceſſu cognito, Cordubenſis arbitratus, commodam ſibi relictam occaſionem Vrbis Neoſtadii potiundæ, iterum tentat, quod poteſt; atque altera vice per tubicinem oppidum ſibi dedi poſtulat, ſed oretenus tantum. A noſtris vero nihil impetrat: qui per angarum ipſa intempeſtate nocte ea de re certum faciunt Comitem Mansfeldium, adhuc dum in vicino agro Germershemiano hærentem: à quo mox certiſſimam auxilii ſpem accipiunt, modo ne ſegneſcant animis ac viribus. Atque ea fini tria ſigna ſub quatuorquinque Capitaneis in Vrbem locat, adiunctis ac ſuppeditatis neceſſariis munitionibus; quibus antea deſtituebamur. Hic trepidare hoſtis vicinus, nec tamen à propo-

ſito ſuo pro ſolemni ſua verſutia deſiſtere. Ecce enim, vltima Nouembris die, ſub crepuſculum ferme, ſub horam quartam alius aduentat tubicem; (patria Bohemus, ex Vrbe Piſſeck) ad eam portam, qua aſcenditur ad Hartam. Interrogatus deſuper de portæ feneſtra, quid ſibi vellet? litteras infit ſe habere ab Cæſareo Cõmiſſario Conſaluo de Corduba, ad Vrbis Senatum & Coſſ. eoque petit, ſe intromitti. Intromiſſus literas tradidit Vrbis Præfectis minarum hoſtilium pleniſſimas. Protinus igitur Senatuſconſultum factum, de tantiſper retinendo tubicine, donec maturior deliberatio ſuſciperetur in cauſa tam ardua. Nocte intempeſta, antequam fecialis dimitteretur, res omnis nunciata Mansfeldio: qui ſerio rurſum omnia maturrima ſubſidia pollicetur per tabellarios duos, quibus litteras vnius eiuſdemque argumenti tradidit. Ex iis vnus ab hoſte interceptus, alter vero feliciter Neoſtadium appulit. Dehinc ad obſidionis futuræ defenſionem omnis neceſſaria præparatio inſtituta: militibus ſtationes certæ aſſignatæ. Dum ea die cũctis trepidantibus hoſtis exſpectatur, & ſimul metuitur vrbis exitiũ, ecce Deus cor inimici aliorſum inclinat, & à nobis auertit. Is n. denuo certior factus de Mansfeldicis ſubſidiis,

ſidiis, & præterea à Bauaro, vti aiebant, ocius ocius auocatus, caſtra ſua deſeruit, & fugitiuo pede retroceſſit, vaſtatis miſerrime pagis vicinis. Sic Neoſtadium diuinitus, tunc ſeruatum, non minus profecto memorabili diuinæ prouidentiæ exemplo, quam olim Dauid è manu Saulis cum perſequentis; ſiniſtro autem de Philiſtæorum irruptione nuncio reuocati, ſeruatus legitur, libro primo Samuelis.

Repulſo hoſte, Mansfeldius Comes, à Sereniſſimo Rege Bohemiæ deſignatus Legatus, impenſas belli Palatini alio bello refecturus, more negotiantium, impetum omnem in Epiſcopatum Spirenſem conuertit, eumque vniuerſum ex vtraque Rheni parte in poteſtatem redegit: milite in ſubditorum res direptionibus, vaſtationibus, & incendiis mirum quantum graſſante. Direptum quoque Deideshemium oppidum, vbi præter opimam prędam ingens commeatus vini frumentiq; repertus, atque Neoſtadium & Manhemium traductus, ciuibus in fidem Manſfeldii ſacramento adactis. Inde in Alſatiam progreſſus, Haganoam ciuitatem obſidione cinctam deditione cepit, ciuitates Epiſcopatus Argentinenſis, quantum potuit, afflixit, Tabernas vero Alſaticas.

ticas fruſtra oppugnauit, interpoſitione Ducis Lotharingiæ deceptus. Obentraudius itidem Eques Palatinus, virtutis experimẽtis omni nobilitate clarior, in Briſgoiam excurrens, ad Briſacum vſque & Enſishemium omnia diripuit. Pro Alſatia ab incurſibus Mansfeldii vlterioribus defendenda, multæ ad ea loca copiæ à Leopoldo Auſtriaco, Argentinenſi Epiſcopo, aduenerunt.

Poſt deformatam rapinis & incendiis Wanſenauiam, Mansfeldius Comes ſub initium anni 1622. itinere cum exercitu in Palatinatum reflexo, caſtrum Spirenſe Magdeburgum munitiſſimum, poſt aliquantam obſidionem, præſidiariis in ſuã fidem adactis, 4. Aprilis occupauit: militeſque ſuos ditiſſima illatorum ex locis plurimis bonorum præda exhilarauit. Quoniam vero ſiniſtra multorum iudicia de his auſis non ignorabat, vt facti inuidiam declinaret, publica Apologia edita, vtrumque Epiſcopatum iure tum repreſſalium, tum belli, à ſe infeſtatum demonſtrauit: quoniam Spirenſis intra præcipuos belli huius incentores, quaſi Dauus hactenus in hac fabula Palatina ſaltauerit: alter vero Leopoldus Auſtriacus, iuratus Palatini hoſtis, Hiſpanos equitatu & peditatu contra Palatinatum adiuuerit.

uerit. Interea præſidiarii Neoſtadienſes, Duce Limpachio, Nobili Palatino, Lutram ciuitatem (Cæſaream olim dictam, Reyſers Lautern/à Friderico Primo Barbaroſſa Imper. conditore regalis ibi caſtri,) excurrentes, aliqui in ſuburbium per conſcios recepti, ſed proditione patefacta iterum eiecti ſunt: conſciis quibuſdam laqueo ſuffocatis. Origo oppidi illius pôt eſſe antiquior, quod amœnitas & opportunitas loci facile credibile reddunt. Reperitur quidẽ iam tũ in diuiſione filiorũ Lud. Pii Imp. an. 870. in portione Ludouici Regis inter alia etiam Lutera; quæ mentio non alteri loco melius cõuenit, cum Lutherà Saxonica eo æuo nondum extiterit. Vt autẽ Lutera ſine dubio à fluuio eam perluente dicta eſt, qui vere pro nomine ſuo eſt limpidiſſimus, & optimorum piſcium nutritor, neque abs re ciuitatis inſignia ornat, à quo & caſtrum non longe inde ſitum nomen traxit, Lautereck: ita Cæſarea, (vt dictum) ab auctore & ſtructore Imperialis ibi Palatii, quod adhuc ibi fere integrum extat, vt à Romana architectandi ratione aliquo modo diuerſum, ita ſuo quodam decore & maieſtate minime carens, Principibus Palatinis gratum ſæpe dignumque receptaculum, & venationi piſcationique peramicum,

micum. Et hoc ad differentiam alterius Luthræ, quæ Regia appellatur, Königs-Luther/cœnobio Monachorum, à Lothario III. Imp. fundato, eiuſque ſepulchro Imperiali inſignis, tribus lapidibus Bruneſuico diſtans.

Eodem tempore Bauaricus exercitus, qui Ductore Tillio, poſt occupatum ſuperiorem Palatinatum, inferiori etiam Palatinatui ſeſe infuderat, & Hiſpanorum copiis coniunxerat, præfecturis duabus Boxbergenſi & Mosbacenſi in poteſtatem redactis, iam ipſi Heidelbergæ imminebat. Fuit hæc Vrbs, Mosbachiũ, olim vna ex Imperialibus: at ante ſecula plurima, Imper. conſentiente, iuriſdictionis Principum Palatinorum effecta: & quidem annis abhinc plus quam ducentis, aulæ ſedes Othoni Mosbacenſi Palatino, Ruperti Palatini Electoris, Romanorum Regis filio. Iam autem eſt ea ciuitas vna è præcipuis Electoralis Palatinatus municipiis, ſiue præfecturis, & caput vicini territorii: à Nicro vel Neccaro flumine celeberrimo diſtat vno lapide, loco ſat fertili, atq; irrigua & amæna valle ſita: Franconiæ mõtibus, pleriſq; viniferis, pene cincta: Diœceſeos Herbipolẽſis in Eccleſiaſt. olim, habuit Eccleſiã Collegiatã, vt vocant, ſiue cõgregationẽ presbyterorũ pluriũ. Templũ Frid. II. Im-

peratoris æuo magnifice extructum, & magnifice tum ab aliis, tum ab Othonibus Palatinis Mosbacenſibus eſt locupletatum.

Tenebatur Heidelberga valido aliquot millium præſidio, cui Gubernator Henricus de Merva præerat, à quo Bauarus cum vrbem ſibi dedi fruſtra aliquoties poſtulaſſet, non quidem obſidione, quam difficilem ſibi cernebat, ſed egeſtate & fame, ad deditionem compellendam eſſe ratus, omnes vndique acceſſus vaſtationibus barbaricis infeſtos fecit, expugnatis & occupatis omnibus circumcirca oppidis ac vicis, vnde commeatu iuuari poſſet: Leyma, Rorpaco, Wiſeloco, Suntzhemio, Hilſpaco: nec abſque ſuorum ſanguine, cum præſidia pleriſque locis impoſita ſe ſtrenue defenderēt. Quinto Aprilis die, huius anni 1622. Bauarici in viginti equitum Mansfeldicorum turmas ad Wingartum inciderunt: quibus fuſis & fugatis, prædam eximiam acquiſiuerunt: pleriſque Mansfeldicis Heidelſheimium, & Brettam, confugientibus. Brettæ oppidi (in pago Creichgouienſi, à fluuiolo Craich perlabente nomen ſortito) ſitum commendat humilis & porrectus cliuus: circa muros gratiam habent horti, prata, vineæ. Sedes ipſa nobilitatem

tem auxit partu Philippi Melanchthonis, & notabili conſtantia: quam non ſolum tempore belli Bauarici anno 1504. contra vicinum Principem Würtembergicum; ſed & nuper, tempore belli Palatini, contra hoſtem Bauarum nouiſſimum, oſtendit: dum prope poſtrema deditionis neceſſitatem accepit, diuque nihil horruit exempla vicinorum, quos fides ſua peſſundedit, iugulante Bauaro milite, quicquid reſiſtendo docuerat, ſe non poſſe Domino ſuo naturali, Regi Friderico, prodere ſacramentum Heidelsheimium, oppidum vetus, dimidia ſui parte a Bauaris cinefactum, paucis milliaribus Bretta diuiſum eſt: ſic appellatum, quod ibi olim habitarint Romani, qui Germanis Heyden appellantur.

Sic feruente in Palatinatu inferiori cruento bello, Bauarici 5. Aprilis die, Nicrogemundam, vno ab Heidelberga milliari, ad Nicrum ſitum oppidum, vi ſumma expugnarunt, & diripuerunt: præſidio omni, cum maxima ciuium, vxorũ, & liberorum parte, (vt Obernhilſpaci quoque ante paucos dies factum) miſere trucidato. Tillius inde miſſo Dilsbergam Montagnio, deditionem arcis ſibi fieri Cæſario nomine imperauit. Recuſante Præfecto Smidio, & defenſioni ad extremum

tremum vſque ſpiritum incumbere paratum ſeſe oſtendente, Tillius cum omni ferè exercitu progreſſus, eam 6. Apr. die, neglectis, quæ inde fiebant, diſploſionibus, obſedit, & à ſelectis ex Baurii, Smidii, Montagnii, Anholtini, Pappenhemii, & Salisburgenſibus Præfecturis, militibus primariis, corona cinctam, quaſſari per horas quinque curauit. Præfectus vero arcis, Bartholomæus Smidius nomine, patria Sedanenſis, impetum omnẽ tanta virtute ſuſtinuit, vt tametſi hoſtes mænia locis aliquot, nouo milite quater iam ſubleuati, conſcendiſſent, cum detrimento tamen non medioeri recedere, & caſtra repetere, multa armorũ ſcalarumque poſt ſe relicta ſuppellectile, cogerentur. Pro interfectis ſepeliendis, & vulneratis obligandis, induciæ poſtmodum factæ ſunt. Interim vero præſidiarii, ablegato Heidelbergam & Manhemium cõcionatore ſuo militari, de ſubmittendis auxiliis diligenter egerunt. Cum Bauari deditionem arcis vrgerent, ſubitus rumor ſpargitur de aduentantibus auxiliis, & Regis Friderici ex Belgio reditu in *Palatinatum*. Hac fama conſternati Bauari, ſolutis & igne accenſis caſtris, rebuſque multis relictis, Süntzhemium trepidi abierunt.

Rex

Rex Bohemiæ Fridericus, Elector Palatinus, vt afflictis ſuis, & ab hoſtib. miſerè vexatis ſubditis, ſuccurreret, patriamque vincendo reciperet, quam victus penè amiſerat, Amſtelrodami conſcenſa naui in Galliam, menſe Martio, hui⁹ Anni 1622. traiecit; cum Lutetiam Pariſiorum perueniſſet, & nō Regem ibi ſolum, ſed alia viſu digna nulli cognitus vidiſſet, per Lotharingiam cum Michalouitſio Bohemiæ Satrapa, & mercatore Argētinenſi Dolbiero, iter fecit. In itinere obuiam ei quidam Nobiles Galli veniebāt, quorum vnus, Regis Bohemiæ faciem agnoſcens, quaſi attonitus exclamabat: *Mordieu, voyla le Roy de Boheme.* In Lotharingia etiam duo Monachi obuiam ei facti, varios ſermones de exule Palatino ſeruerunt. Bitſii in Leopoldi Auſtriaci milites quoſdam incidit, menſæq;, vt in diuerſoriis fieri ſolet, adhibitus, conuitiis plurimis proſcindebatur. Thraſonibus Leopoldicis ſomno vinoq; alte ſepultis, ne illis fortean ſub auroram proderetur, nocte intempeſta hoſpitio digreſſus, Bipontum celerrimis equis pręteriit, nemini ſe aperiens, priuſquam Landauiam, per tot diſcrimina rerum, ad Illuſtr. Comitem Lövvenſteinium Georgium Ludouicum, feliciter appuliſſet. Manſfeldius Germersheimii tum degebat,

tractationem aliquam cum Rouillano, Infantis Bruxellenſis Legato, in certa capita ſuſcepturus. Mox accepto de Regis Friderici aduentu nuncio, tractationem abrupit, Rouillanum vero diſceſſum parantem dimittere noluit, antequam Rex Fridericus præſens adeſſet. Eum aduenieus breui poſt tempore Rex, prandio excepit, & inanem, in abalienando à ſe fideliſſimo miniſtro ſuo, operam ſumſiſſe dixit, opera eius opus ſibi amplius eſſe. Aduenisse enim ſe, ad afflictos ſubditos ſuos ex hoſtium faucibus liberandos, & per diuinam gratiam defendendos.

Aduĕtus Regis Friderici vbi in Palatinatu percrebuit, in ſermone atque ore omnium ſubditorum eſſe cœpit, nemo erat, qui non immenſa quadam animi voluptate perfunderetur, atque etiam non mediocri cupidine efferretur, publica voce Regis Bohemiæ, Electoris ſui clementiſſimi, tot belli difficultatibus, tot mortis diſcriminibus perfuncti, optatiſſimum reditum gratulandi, ac fauſtis acclamationibus tam pium ac patientem Dauidē proſequendi. In hunc reducem oculos, in hunc ſuſpenſa ora conuertebant, hunc quaſi de cœlo miſſum, & vt ipſam victoriam contuebantur.

Poſt Rouillani, Legati Hiſpani, diſceſſum,

ceſſum, Mansfeldius Comes cum Rege Friderico, Germersheimio digreſſus, & Rheno traiecto, cum Tillio ad Wiſelocũ certamen iniit. Pagus Mingelsheimius, vtramq; dirimens aciem, atq; incendio fumans, Tillianis ignorantiam obiecit. Cum interim Mansfeldius cũ toto exercitu Palatino ſuperuenit, caſtriſq; poſitis, in aciem procedit. Nec Tillius morã prælio fecit: ſed vbi aciem ſuam Mansfeldianis armis turbatam vidit, campo cedere deproperauit. Factũ id 17. Aprilis die, Rex Fridericus tantam fiduciam ſui militibus Mãsfeldicis fecerat, vt illo præſente, Tillii, inuictæ opinionis Ducis, arma non timuerint. Ex Bauaricis ad duo millia cæſi, vulnerati & capti plurimi, tormenta quatuor cũ multis vexillis intercepta: ex Mãſfeldicis vix centũ, inter quos nobiles duo, vnus à Berlingẽ, alter à Flersheim, interfectis. Prælio Mingelshemiano victor Mansfeldius, Suntzhemium Wiſelocum & Eppingam facile recuperauit. Si nõ defuiſſet fortunæ, ſed victoriam acrius perſecutus fuiſſet, omnes Tilliani militare tunc funus fuiſſent. Inde Ladenburgum oppidum 26. Aprilis obſedit: quod cum ſtrenue ab initio Præfectus Hiſpanus, Adolphus ab Eineten, defenderet, armata manu expugnauit, præſidiariis pleriſque

Hiſpanis interfectis, & pręda non mediocri acquiſita. De hoc Nicrino Germanorum oppido, Lupoduno Romanis, hodie Ladenburgo dicto, Anſonii ēt verſib. nobilitato, ſingularē libellum ſcripſit Marquardus Freherus, Cōſiliarius Archi-Palatinus celeberrimus. Ipſa ciuitas, caput & metropolis pagi Lobodunenſis, iam inde à Valentiniani & Gratiani æuo, Francorū fuit: & ſpecies ipſa loci antiquitatem, maieſtatemq; ſuam ſatis adhuc tuetur. Noſtris temporibus Palatinum Electorem, & Antiſtitem Wormatienſem, communiter Dominos agnouit.

Acceptum ad Mingelshemium & Ladenburgum à Mansfeldicis damnum, Hiſpani & Bauari apud Wimphingam in Marchione Durlacenſi, 16. Aprilis die, vlti ſunt. Marchio, poſt dimiſſum Vnitorum Principum exercitum, ocioſum ſe ratus, ſi nihil & ipſe amplius geſſiſſet, rem etiam ſuam agi videns, tam miſere ardente pariete proximo Palatino, adunato iterum aliquot millium exercitu, cum auxilia à finitimis contraxiſſet, acrius bellū reſtaurabat: caſtris in viridi campo, inter Wimphingam & Heilbrunnam poſitis. Quod cum nunciatum Tillio eſſet, ne vires Durlacenſes Mansfeldio accederent, aſſumptis in ſocietatem belli Cordubæ mili-

militibus Hiſpanis, aciem produxit. Tum repente prælium cruentum committitur. Bauari in ferrum cum contemptu hoſtis Durlacenſis ruebant: contra Durlacenſes mori, quam vinci præoptabant. Multum igitur ſanguinis fuſum. Tandem cum Hiſpani prælio improuiſi ſuperueniſſent, Tillius aciem Durlacenſem profligauit. In eo prælio cecidit Illuſtriſſ. Princeps Magnus, Ducis Würtembergici frater. Marchio Durlacenſis tantam cladem accepit, vt poſt hoc ſubditi eius plæriq; iugum ſeruitutis Hiſpanicę accipere coacti fuerint. Nec tamen hoſtibus incruēta victoria fuit. Nā & Tillii haud exigua pars militū cęſa: maiorēq; gloriam eius victoriæ, q̃ lætitiam habuit. Marchio Durlacē- ſis periculoſiſſima quæq; aggrediebatur, & vbi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare cōſpexiſſet, eo ſemper ſe ingerebat: ad poſtremū tamē, cum vinci milites ſuos videret, & ipſe cū duobus filiis fugere cō- pulſus eſt. De hac pugna præcipuorū Ducum Hiſpanorū iudicium tale fuit, ſi ſub aduentus ſui initiū in Palatinatu talibus excepti cruentis colaphis fuiſſent, eouſq; in Germaniā ſe penetrare nunq̃ potuiſſe.

Dum hæc aguntur, Leopold. Archidux Auſtriæ, Haganoā ciuitatem hoſtili odio impugnare cœpit. Sed ciuitas fortius de-

fendebatur, quã oppugnabatur. Leopoldus inſuper, audito Mansfeldii citato aduentu, fugam arripuit, omnibus fere curruum, tormentorum, armorum, & commeatuum impedimentis, poſt ſe relictis. Mãsfeldici quotquot ex Leopoldicis apprehẽdere poterãt, internecione delerũt.

Rebus in Alſatia feliciter confectis & profligatis Leopoldicis, Mansfeldius exercitum Germersheimium, Francothalium, & Manhemiũ iterum reduxit. Inde 22. Maii, cum Rege Frid. & ſedecim equitum peditumq; millibus Darmſtadium progreſſus fuit. Landgrauius Darmſtadienſis Ludouicus, cũ in petita, & articulos quoſdam ſibi propoſitos cõſentire nollet, per clandeſtinũ abitum ſibi quærendam ſalutem exiſtimauit: ſed à Badenſibus militibus è fuga retractus, & Darmſtadium ad Regẽ Frider. reductus, ab eo non magno tempore poſt iterum dimiſſus fuit. Darmſtad. ſubditi à Mãsfeldicis agrorum ſuorum populationem paſſi, Bauarorum & Hiſpanorum auxilia ad tutelam ſui Principis implorabant. Igitur Mansfeldius cum Rege Friderico Manhemium in Palatinatum recurrit.

Per idem ferme tempus, Chriſtianum Ducem Brunſuicenſem, Epiſcopum Halberſtadienſem, venturum cum exercitu,

varii

varii rumores excitabantur. Is vt Regi Frid. Electori Palatino, ſanguine ſibi quã proxime iuncto, bellum illatum vlciſceretur, Paterbornenſibus & Monaſterienſibus in Weſtphalia infeſtus admodũ fuerat. Inde Moguntinenſem Archiepiſcopatum hoſtiliter ingreſſus, Hoechſtã, nõ inamœnum oppidum, infra Francofurtũ ad Mœnum ſitum, occupauit. Cuius audito aduentu, Tillius, Cordubenſis Princeps, & Baro Anholtinus, congregatis Aſchafenburgi, & inſtructis copiis, feſtinantes, vt prius cum Halberſtadienſi cõgrederentur, quã auxilia Mansfeldii conuenirent, exercitum Bauarico-Hiſpanũ in aciem educunt. Nec Halberſtadienſis, tametſi numero militum multo inferior eſſet, certamini moram fecit. Tandem tamen Brunſuicenſes, viribus impares, pedẽ retraxerunt: quo facto, ingens in caſtris Halberſtadianis exorta confuſio, fugam arripientibus omnibus, & pontem verſus ad Hoechſtã magna feſtinatione properantibus: Mœno fluuio in iſta trepidatione multos abſorbente: inter quos ẽt deſideratus fuit Illuſtris Comes Lövvenſteinius, Iohan. Caſimirus: qui cũ in cõflictu iſto Ducis prudẽtis, & ſtrenui militis laudem conſecutus eſſet, dũ ſe inter poſtremos ex acie, quã reſtit iere conabatur, re-

cepit, in tranſitu Mœni, cum equo armatus, ſuffocatus periit: Heros meliore fato digniſſimus. Pedites abiectis armis varie diſſipati fuerant, nec pauci à Moguntinẽſibus, & Darmſtadienſibus ruſticis cæſi. Halberſtadiẽſis Epiſc. cum reliquo equitatu & peditatu, ad Mãsfeldium Benshemii in Strata montana peruenit. Ita diſſipatus Brunſuicenſis exercitus, Regis Friderici malis, velut quidam ærumnarum cumulus acceſſit. Hinc hoſtibus aucta inſolentia, miruſq; animo increuit tumor.

Hac vero clade Halberſtadiana cõſternatis ſociorum animis, Marchio Durlacenſis ab armis plane deſtitit, & bello Palatino valedixit. Rex Fridericus, Comes Erneſtus Mansfeldius, Chriſtianus Dux Brunſuicenſis, oẽm impetum belli in Alſatiam conuerterunt, Tabernas Alſaticas, primariam ciuitatem, claudẽtem portas, graui obſidione cinxerunt. Hæc illis agẽtibus, Sereniſſ. interea Magnæ Britanniæ & Daniæ Reges de Rege Bohemiæ Frid. Cæſari Ferdin. reconciliando maximopere laborabant; Habito etiam cũ Saxoniæ Electore, & aliis Imperii Statibus cõſilio, per literas Regem Frider. hortabantur, vt ab armis deſiſtens exercitum ſuum dimitteret, additis conditionibus, quibus cõponi negotium iſtud arduum & perplexũ admo-

admodum poſſe ſperarent. Rex Fridericus, acceptis literis iſtis, ne pacis Germaniæ curſum impedire velle videretur, nō ſolum obſidionem ad Tabernas ſoluit, ſed & Mansfeldii Comitis, ac Brunſuicēſis Ducis exercitū, in caſtris, die 13. Iulii, præſtito ſibi iuramento liberauit: ipſe Sedanum ad Ducem Bullionæū, inde, quaſi ad fortunę ludibrium tantum natus eſſet, in Belgium denuo exulatum abiit: ad debitamque Cæſari ſatisfactionem pręſtandam, ipſo facto ſe paratum oſtendit.

Quam parum autem ad pacificationis tractationem affecta pars altera fuerit, ex tot fruſtra ſuſceptis regiis legationibus, irritis Electorum & Principum interceſſionibus, & eluſis, quotquot ſuſceptæ fuerunt, pactionibus, ſatis cōſtat, & deplorat Germania tota. Nā poſt Regis Friderici, Mansfeldii & Brunſuicenſis, ex Imperio diſceſſum, Cæſariani extēplo pciſa omni recōciliationis ſpe, belli Palatini telā inchoatam ſum̄is viribus ptexere ſtudebāt; Regēq; Frider. totaliter ſtatu ſuo ſpoliare; ne ita facile reſurgere poſſit: & vt negotiū de transferēdo Electoratu in Bauarū, quod iā bene ꝓceſſerat, minoribus difficultatib. eſſet obnoxiū. Igitur Ferd. Conſaluus de Corduba, Hiſpanorū Dux Gen. Neapolin Nemetum, omni fere præſidio

vacuam, & quidquid ad ampliſſimam iſtã præfecturam pertinet, facile in ſeruitutem Hiſpanicæ Dominationis redegit. Vrbs iſta, Neoſtadium, ſiue Neapolis Nemetum, collibus cingitur ad meridiem, occaſum, & Septentriones, patens ad orientem vernum & autumnalem, diuiſa leni Spira amne, quo vrbs Spira etiam diluitur, quod maxime ad ſalubritatem & mundiciem illius ciuitatis facit. Diuidit hoc oppidum iſtud flumen, ad Collegium Caſimirianum, quod Illuſtriſſ. & fortiſſ. Princeps Palatinus Ioh. Caſimirus coędificauit, in duas partes, quarũ altera ad ſiniſtram dilabitur: altera per vrbem, partim etiam extra muros ſeſe effundẽs, partim recta defluens, prope mediam vrbem partiens. Hic fluuius murenula & ſalare piſce nobilis eſt, quæ ſalubris aquæ nota exiſtit. Principis fluuiale viuarium infra Lutram Cæſaream, ad Occidentem cæli partem, Oriens, ex vnius, vt fertur, pollicis fiſtula, vnde fontibus magis, quã riuis maioribus, atq; iccirco grata ſalaribus & trutis aqua, ita augeſcit, vt non procul à fonte lignationib. ſit commodiſſimus In collibus optimũ vini genus prouenit, ꝑſertim quod anſerinum vocant accolæ, Germanice Gänßfüſſer/propter folia anſerino pedi ſimilia, nigri generis, quod in
ea

ea cæli parte maxime laudatur, quę ad occaſum autumnalẽ pertinet, coctum antemeridiano & pomeridiano ſole. Etiã albi generis varia vina habent. Ambulationes cælo ſereno, & vmbras & ſolem toto die, etiam æſtiuo habent, ſiue altos colles aſcendas, ſiue in valle ſubter colles ſpatia facias, ſiue cis tranſve fluuiũ Spiram ingrediaris. Cæli contẽperatio, & aeris puritas magna eſt huius loci, rari morbi, diu hic viuunt ciues & incolæ, q tẽperãter viuũt, propter cæli ſalubritatẽ, & vini bonitatẽ.

Sed vt ad ſeriem hiſtoricæ narrationis redeam: Cordubenſis capto Neoſtadio, cum ſedecim millium exercitu, Mansfeldium & Brunſuicenſem, ad Bergopſomẽſem obſidionem ſoluendam, in Belgium properantes, perſequebatur. Sed hi facta ad Namurcum per aciem Cordubenſem audaci irruptione, & intercluſi deſperatiõnẽ in virtutem vertentes, iter Bredam verſus ingreſſi, quod aliter non patebat, exultantibus Belgis, ferro patefaciebant.

In eo conflictu memorabili Chriſtianus Dux Brunſuicenſis, & Epiſcopus Halberſtadienſis, glande plumbea percuſſus, manum ſiniſtram amiſit. Interea Spirenſis Episc. Deideshemiũ, aliaq; loca à Mansfeldio intercepta, nullo labore recuperauit. Similiter & Leopold. Auſtriacus, Argen-

tinenſis Antiſtes, de Mansfeldii diſceſſu certior factus: Haganoā occupauit: Spirā & Wormatiam, vrbes Imperiales, ſubiugauit: Germersheimium, & totum illum tractū, cædibus, rapinis, & incendiis exhauſit. Germersheimiū, olim vicus fuit, à Romanis Vicus Iulianus dictus: quē poſtea ſub Francorū Imperio in Germerii aut Germerici alicuius ius veniſſe, & paulatim è vico in oppidū creuiſſe nomē & res ipſa loquitur. Hodie oppidū eſt Palatini iuris, & ob venationes vicinas, & diuitem non tm̄ piſcationē in reſtagnantis Rheni paludibus, ſed & auri è Rheni ipſius fundo extractionem, non inamœnū. In eo diē ſuum obiit Rudolphus Habſpurgēſis Imperator; auctor & ꝓſator Auſtr. Domus.

Peruenio ad luctuoſam illam veſperam captæ vrbis primariæ in Palatinatu, quam poſt primordium ſui vnam acerbiſſimam vidit Heidelberga, Palatinatus Rhenani Metropolis, tota Europa, ſede Principum Electorū Palatinorū aulaq; famoſiſſima, & Muſarum luco doctorumq; hominum frequentia, & ante omnia ſinceræ defęcatæq; Religionis bono. Hæc poſt diſceſsū Regis Frider. & Comitis Mansfeldii, oēm externi auxilii fiduciam ignorabat, præſidiis intus non firmiſſimis inſtructa, foris ambita periculis infinitis. Exercitus Bauari-

uaricus imminebat potens, & ab æmulo ſecurus. Æſtas remotior à bruma, facies cæli diu blanda, omnia obſidioni opportuna. Tillius itaq;, Dux ſupremus Bauarici exercitus, Heidelbergæ potiundæ cupidus, ei quamprimum copias hoſtiles admouit, die 21. Iunii, anno 1622. Antequam certi eſſe poteramus, nobis moueri bellum, iam armati Bauari conſpiciebantur in monte dextro ad Nicrum, quem olim Abrinsberg, & Abramesberg, quaſi Abrahæ montem, dictum, hodie ſanctum vocant (den heiligen Berg) vbi caſtellum etiam præſidiumque Romanum olim extitiſſe certum eſt. Sed is locus Bauaris cito diſplicuit, cis flumen in apice & cacumine montis caprarii (auff dem Geyßberg) meliorem ſedem aut viam ad nos inuenturis.

Quocirca tranſgreſſi multis modis vim nobis feſtinare tentauerunt; ſed inter initium tamen obſidionis duo amplius menſes interiecti, per quod tempus labor vtrinque multus, damna ſæpe illata, ſæpe compenſata, interceptiones hominum, iumentorum, & ſarcinarum crebræ, vulnera & mortes neutri parti condonata, plurimum doloris in præfectorum & centurionum iactura, obſeſſorum eo deterior conditio,

quod lue quadam miles defenſor rareſcere indies, quod propugnatio longe lateq; neceſſaria fatiſcebat in paucorum lacertis. Bauari contra in tantis copiis exitia ſuorum inter nulla momenta cenſebant, laſſitudines autem facile inuicem reparabant. Inteſtinis Vrbanorū malis ſunt qui etiam illud adnumerant, quod Gubernatorem nacti eſſent inhumanum, auarum, & oſorem omnium ordinū, præterquam ſui, vt interitum eorū parui videatur feciſſe, quibus vniuerſis tam eſſet infenſus. Interea Tillius oppugnator tormenta in monte Caprino, aut vbi nocēdi ſpes, collocauerat: mox globorū grandium euerberatio in vrbē, in turres ſuburbanas vallum & aggeres fieri, noſtri ex locis æquis pelli, poſtremo ab omnib. angulis ſic incandeſcere violentia, vt ſexto Septembris die, ante ſolis occasū, propugnacula nobis præmuris erepta, ſpeculum & turris antiqua, iam inde à temporibus Frid. III. Imperatoris, vocata Trutz Keyſer/ à Bauaricis Pyrgopolinicibus expugnata, miles noſter partim cæſus, partim captus, partim fuga ſaluus eſſet. Vt quiſq; deinde p̄dæ auidiſſimus, ita muris proximus, & primus in aſcenſu. Direptū ſtatim & inflammatū ſuburbium, trucidati paſſim in viis, in domib⁹, qui offendebātur, cōſtra-

tum

tum ſolum mortuis. Ne Vrbem ſtatim intrarent, porta vna Spirenſis obſtaculo fuit. Ad hanc cum iam ſecures & ferramenta creparent; pacis demum noſtro Gubernatori in mentem venit, ſed petentibus à globo victorum reſponſio data, malam rem ſibi haberet pax, impacata ipſis fore omnia. Odit enim turba veniæ nomen, cum præda intra vnam portam, nec amplius incerta, & Imperium penes exercitum eſt. Breui itaque in ipſam Vrbem irrumpitur, cæduntur paſſim, rapiunturque ciues & milites Palatini: non liberi parentibus, non coniuges maritis relinquuntur, virgines ad ſtuprum diripiuntur. Miſeranda vbique Vrbis facies. Per eam hoſtilis pauor erat, militum diſcurſus, tumultus armorum, bonorum atque hominum rapina. Per biduum integrum huiuſmodi direptorum manipuli palabantur, noctis & diei eadem inquies, idem periculum. Modò hos, modo illos, rapaces Martis pulli raptabant ad tormenta, aut vulnera. Tandem aliqua lux rebus trepidis interfulſit, cum tertio die Tillius licentiam militarem per edictum abrumperet: quanquam ne tunc quidem propter inobedientiam militum ſatis tuta reſpiratio. Sed has immanitates non perſequor, & eas miſerari in Vr-

be per vim ſubacta. bellatores iniuriam putant. Bauari in arce Heidelbergenſi, reliquis militibus & ciuibus Palatinis excidium minabantur, ni ſtatim fieret deditio. Victi igitur Palatini neceſſitate, & deſtituti omni externo ſubſidio, pacta ſalute, ſe Bauaris dediderunt.

Sed quoniam in Hiſtoria noſtra Palatina crebra fit mentio Vrbis Heidelbergæ, ex Freheri Commentariis, paucis origo eius repetenda eſt. De cónditore Vrbis, auſpiciis, & incrementis, parum in antiquis Monumentis & Hiſtoriis inuenire eſt. Budorin Ptolemæi hanc eſſe (vt quibuſdam viſum) tam credendum, quá Athenas Atticas. Ptolemæi enim ætate (qui tempore Traiani, & Antonini Pii vixiſſe perhibetur) Heidelberga in rerum natura non fuit, nedum nomen habuit. Sita eſt ad ſiniſtram Nicri ripam in amæniſſima valle inter duos editiſſimos montes. Vt vero Rhenus limitis inſtar habens, & quaſi intermedius, hoſtes populos Romanos Germanoſque diſcreuit, per vices pro belli fortuna modo ab his, modo illis poſſeſſus: ita Nicer fluuius in ſylua Martiana non procul à Danubii fontibus exortus, & anfractuoſo decurſu auctus riuis pluribus, (præſertim Enzio, Cochero, & Iaxta) & Septentrionem

verſus delatus, donec inter Nemetes & Vangiones Rheno abſorbetur, penitiſſimæ Germaniæ proprius amnis, Romanorum armis diu intactus manſit. Primus Romanorum *Probus* Imp. (Vopiſco auctore) deuictis Alemannis in Germania prima, limite priori ſuperato, relliquiis Germanorum vltra Nicrum fluuium & Albim ſubmotis, limitem Romanum nouum eo protulit, & quicquid inter Rhenum eſt & Nicrum, paulatim in prouinciæ modum redegit; exædificatis in eius amnis ripa variis munimentis, in quibus præſidia locarentur: æmulatus ea in re Druſum, qui in tutelam nouæ prouinciæ per Viſurgim & Albim ſtationibus diſpoſitis, ad Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella erexerat. Proinde in ripa Nicri paſſim, immo intermediis etiam quibuſdam in locis, mira adhuc antiquitatis illius veſtigia cerni, vt apud Wimpinam, Rotenburgum, Durlacum, Ettelingen, & alibi, obſeruauit Rhenanus. Inter poſteriores autem Cæſares, Gratianus, qui in Occidente imperabat, tum ferro, tum incendio Alemannos trans Rhenum perſecutus, vltra Nicrum propulit, cæſis illorum amplius quam triginta millibus apud Argentuariam. Quam victoriam Auſonius in Moſella cele-

celebrauit. Eo igitur tempore, quo limite prolato Germaniæ hæc pars Romanis paruit, caſtellum etiam præſidiumque Romanum in monte illo dextro ad Nicrum, (quem media ætate Abrinſberg dictum, hodie Sanctum vocant) extitiſſe certum eſt: quod quidem ad antiquitatem loci cognoſcendam inprimis eſt obſeruandum. Idque vel ſcriptoribus tacentibus, opportunitas ipſa loci, verticis nimirum angularis, & altiſſimi, & in ſummo lati, duoque latera & ſubiectam planiciem cum fluuio ipſo circumquaque latiſſimè deſpectantis, & viciſſim longiſſimè ſpectandi, montique Tauno, dem Dorſperg / trans Rhenum recta reſpondentis, ſatis euidenter oſtendit. Nec memoriam omnem ita aut temporis vetuſtas, aut hominum manus abolere potuerunt, quin veſtigia ſuperſint in ciſternis, & cameris ſubterraneis, (quæ etiamnum Gentilium foueas vulgus vocat, die Heydenlöcher) lapidibus cæſis in vineis vicinis diſiectis, numiſmatis varii generis, & materiæ in agro circum vicino pullulantibus, & aliis eiuſmodi reliquiis: quæ quibus in locis reperiuntur, iiſdem olim ſtationes Romanorum militum fuiſſe loquuntur. Caſtellum igitur in monte dextro olim ſiue ſub Probo, ſiue Gra-

tiano,

tiano, aut Valentiniano, aut alio Principe fuiſſe, certo certius eſt. Nec dubitat nobiliſſimus Vir, Marquardus Freherus, in aduerſo etiam monte, ſupra Ietthæ collem, quem à myrtillorum copia Heidelbergum ab omni memoria dictum putat clariſſimus vates, Meliſſus, eiuſmodi etiam ſiue caſtellum, ſiue ſpeculam aliquam eodem illo æuo fuiſſe: cuius deinceps fundamentis & reliquiis ſequẽtes arces, (vt fieri ſolet) inhæſerint. Extant certè in apice & cacumine eius montis, (qui hodie Caprarius vocatur, der Geyßberg/ & non nemo à Capellatio veteri eſſe exiſtimat,) ruinæ veteris caſtri, quod ab omni antiquitate ibi extitiſſe putant, donec ſuperioribus annis igne cœleſti tactum deflagrauit. Etſi igitur ſub Romanorum Imperio præſidia, caſtella, & ſpeculas iam tum vterque mons impoſitas habens, ſi quis alius in Germania hac Cis-Rhenana locus, longè lateque cognitus & nobilis fuerit: tamen ciuitatem vllam vel hoc vel alio nomine fuiſſe doceri non poteſt. Quin ſub Francorum etiam dominatu, vt montem ABRINSBERGVM, cum quibuſdam ibi veterum ædificiorum reliquiis, burgumque Lobodunenſe floruiſſe, liquido monſtrauit Freherus in Origini-

ginibus Palatinis; & montem etiam è regione Heidelbergum, (ad differentiam reliquorum, Friſenbergi, Gaisbergi, Govvinbergi, Abrinsbergi, ſic dictum) non ignotum fuiſſe, Meliſſus expoſuit: ita non dicam ciuitatem vllam, ſed vel burgum, vel villam vicumue, aut ruſculum, vel molendinum, Heidelbergæ titulo, eo æuo non fuiſſe vllum, euidentiſſimè comprobat: quod cum nullius non vicinæ villæ, Neuenheimi, Bergeheimi, Hentſchuchsheimi, Edingeni, Rorbachi, memoriam, eamque centenis propemodum eius æui inſtrumentis iteratam, inuenire ſit: Heidelbergæ tamen nec vnicam. Quod fieri non potuiſſet, ſi illa tum ſaltem in rerum natura, nedum villa aliqua, aut plus quam villa fuiſſet.

Etymologiam vocabuli ſi conſideres, (inquit Meliſſus) ea planiſſima eſt, ex duobus integris compoſita. Berg, montem ſonat, Haidel, myrtillos. Haidelberga igitur eſt myrtillorum mons. Myrtillos autem vocant Medici Itali, Hiſpani, Galli, Germani, omnes denique alii, qui rei herbariæ incumbunt, bacculas illas ſiue vuulas nigellas; quarum maxima hoc in monte naſcitur copia, & ſunt eſui. Matureſcunt menſe Iunio, durant per Iulium, & quotam partem Auguſti. Tritæ, & ex-

& expreſſæ hæ vuulæ coloris ſunt ex cæruleo & puniceo mixti. Tinguere eo cõſueuere compactores librorum membranas, & chartas. Plura ſunt in Germania loca, eodem prorſus nomine Haidelbergæ vocitata; non quidem oppida, ſed iuga, in quibus iſtiuſmodi vuulæ ſiue bacculæ creſcunt; vt in Franconia Orientali, in Thuringiæ ſaltibus, in finibus citerioris Bohemiæ: item ad Alpes. Propè Melrichſtatum, patriam Meliſſi, in parte Occidentali Sylua iugoſa eiuſdem cum Haidelberga nominis eſt. Igitur Meliſſus, Phœbi ille Ocellus, coniectura veriſſima aſſeruit, locum iſtum, de quo agimus, ita indigitatum, antequam vel arcis veteris veſtigia vlla, aut oppidi ſuperi inferique ædificia exſtiterint. Manſit poſtea appellatio vetus & antiqua, quam hodieque oppidum retinet. Confirmat ſententiam Meliſſi Michael Bohemus Winsbergenſis, in carminibus ſuis Teutonicis, de rebus geſtis Friderici Victorioſi, Electoris Palatini, adſerens, nomen habere ab iilis myrtillis: quanquã addit, aliquos putare, (quod & Munſterus per ſeſe innuit) ob Ethnicos ſiue Gentiles fortè Heidenbergam vocatam fuiſſe. Cum Meliſſo etiam facit Irenicus, qui à nigrorum vacciniorum, vel prunorum

rum (Teutonicè Heidelbeer) multitudine eſſe appellatam adſerit. Confirmatitem Monumentum in marmore publicum, ad limpidiſſimum fontem, in ſublimi platea ſalientem, qua itur equis & vehiculis ad arcem, in parte meridionali. Scuta ibi duo conſpiciuntur, quæ à Leone coronato tenentur. In dextro ſunt ſculpta inſignia Principum Palatinorum, & Ducum Boiariæ: in ſiniſtri autem ſcuti fundo mons, myrtillis in frutice pendentibus refertus; & ſuper eo ſtans virgo ornatiſſima, dextera manu gerens faſciculum myrtillorum. Huc facit, quod & in vexillo ciuitatis antiquo, (quod diu in curia oppidana conſeruatum fuit) effigies Nymphæ ſtantis in monte myrtillorum, depicta enituerit. Et fortaſſe his omnibus non infirmius argumentum ducetur à perueteri ſigillo ciuitatis, nuper demum reperto, in quo Leo Palatinus galeatus, & pro galeæ ornamento fruticetum horum myrtillorum gerens. Poſtremo tuentur hanc ſententiam Meliſſi, quotquot iudicio vero præditi, & antiquitatis veræ ſtudioſi non minus eſſe, quam haberi volunt.

Videant iam nunc illi, qui oppido Palatino primario alia temerè adfingunt nomina, quo iure id facere audeant. Nam pro-

profecto certè vt palàm peccant, qui *Eitelbergam*, id eſt, *merum montem* nominant: atque (vt Græci ſermonis nonnihil intelligere videantur) *Panorim* & *Panoréam* crepant: ita non minus imprudenter impingunt, quibus *Edelberga* nuncupatur, id eſt, *nobilis mons*.

Non deſunt, qui nomen ab Ethnicis deducant, von den Heyden. Et hi falluntur adæquè. Nam editus ille trans Nicrum fluuium è regione oppidi mons, (Abrinsberg olim dictus, hodie verò Heyligberg/Mons ſanctus) ob antrum illud ſubterraneum, (ciſternam verius diceres) cui Heydenloch nomen, ſibi forte idipſum olim attribuere potuerit. De quo nihil certi affirmari poteſt. Noſter autem hic mons deſcendentibus ſecundo flumine ad ſiniſtram eſt, alter ad dexteram, ambo inuicem diſiuncti alueo fluminis quam latiſſimo. Ac liquet, aliam quoque ſignificationem eſſe vocabuli, eamque notiſſimam. Nam Heyde eſt planities quædam inculta, ſiue in campis, ſiue in montibus: qualis eſt illa ipſa, vbi antrum illud. Sunt & alii inſuper montes in hac vicinia. Vni nomen *Friſeberg*, id eſt, Friſiorum vel rigoris mons; non procul ab arce, quæ ſita eſt in Iecthæ iugo. Alteri Künigſtul, hoc

eſt,

eſt, Regis ſolium, vbi antiqua illa ingens quercus latiſſimis ramis, in quibus ſedilia. Cæterum ridiculos admodum ſe præbent, qui ab hædis, vel capellis nomen effingunt. Contiguus quidem mons, valle amœniſſima ad ſiniſtram diſtinctus, vulgo Geyſſberg vocatur, id eſt, caprarius mons, quod ibi paſcitent. Nulli autem magis ridiculi, quam vulgus Gallicum, quib. Ilteber, vel Heldebert, Froiſſardo Heleberge, corruptiſſimè nominatur. Germanis contra maſculè integreq; effertur, Heidelberga. Meliſſus Etymologiam veram, quæ indubitatiſſima eſt, ſequutus, locum hunc in carminibus ſuis & neutro genere nominauit *Myrtilletum*; vt Frutetum, rubetum, caſtanetum: & ciuitatem feminino genere, vt ſit *Myrtilletus*, quemadmodum Miletꝰ, Tarteſſus.

Montem illum dextrum Abrinsbergum, hodie Sanctum dici quotidiè audimus, & antiquitus dictum certo ſcimus: cauſam rei pandit Marquardus Freherus his verbis: In eo (inquit) caſtellum burgumque Romanorum cum inueniſſent Franci victores, & ditionis huius occupatores, qui more ſuo, non tantum ſtudio quodam Romani nominis obſcurandi, & Romanorum operum abolendorũ, ſed etiam zelo quodam religionis Chri-

ſtianæ

ſtianæ exornandæ & fundandæ, vbique Principum Romanorum habitacula in Eccleſias, legionum ſtatiua in baſilicas Martyrum commutare gaudebant, (vt multis paſſim exemplis per Europam cognitum eſt) idem huic quoque loco contigiſſe omnino credibile eſt. Quod & ante aliquot annos Cœnobio integro, melius deprehendi, & oculis ſe ingerere potuit: quam nunc diruto, ſoloque æquato, ſolius baſilicæ parietinis reliquis: in qua præter columnas antiqui operis, certè duæ illæ erga Occidentem turres ſexangulares, intus ſcalas cochlides ad ſummũ vſque faberrimè ſtructas habentes, planiſſimè veterum manum, & architectationem referre, meliuſque propugnaculo, & caſtello, quam templo conuenire videntur. Certè quo tempore è Romanorum manib. in Francorum Principum ius locus ille peruenit, ſuperfuiſſe in eo vetera ædificia, præter nomen ipſum Aberinesburgi, (quid enim Burgum?) colligitur apertè ex literis Ludouici III. Regis, quibus locum illum, prius coniugi ſuæ Liutgardi præſtitum, (vt loquitur) *cum domibus, ædificiis, aliiſque pertinentiis*, VValthero Abbati Laurishamenſi donauit. Poſt quem Gerhardus Abbas baſilicam ibi in honorem Sancti Mi-

Michaelis Archangeli conſtruxit. Reginbaldus porro Abbas de Conceſſione Henrici II. Imp. monaſterium effecit, fratreſque ſub regula Benedicti victuros, & fratribus Nazarianis conformes, ibi congregauit. *Poſtea* Anshelmus Abbas in poſteriore & excelſiore montis iugo aliam inſuper cellam S. Stephano protomartyri ſacram, eiuſdem Imperatoris conceſſione, & Alexandri III. *Papæ* confirmatione, fundauit & dotauit. Quam vtramque cellam Cunradus I. Rex, & Otto I. Imp. nec non Henrici II. & III. Impp. donatis variis latifundiis, reditibus, & vectigali mercatus Wezzinlochenſis; prædicti quoque Abbates collatis de ſuo donariis, aliique quamplurimi fideles eleemoſynis ſuis, auxerunt, & locupletarunt. Fuitque ea inter cœnobium Laurishamenſe, & iſtud Abrinſbergenſe, quæ inter matrem & filiam, neceſſitudo: & illud quidem *Eccleſia maior Sancti Nazarij*, hoc autem *Eccleſia minor S. Stephani* vocari ſolebat: vt ex diplomatis apparet. Cum ergo mons ipſe iam ante, (neſcio à qua re) omnium fidelium Patri Abrahæ ſacer vel eſſet, vel diceretur, & in eo duæ eſſent cellæ, prior S. Michaelis Archangeli, (à quo montis illa pars etiamnum nomen retinuit) po-
ſterior

ſterior San. Stephani & Laurentii titulo conſecrata: vtraque Monachis, conuerſis, eremitis inhabitata, & paullatim accurſu hominum tam accolarum quam exterorum frequentata, contributionibuſque fidelium exculta & locupletata; factum eſt, vt locus ille, quantum præcelſo vertice ſublimis, & longè conſpicuus, tantum etiam religione (quam putabant) clarus & venerabilis eſſe cœperit. Quem vt Cunradus Rex in literis donationis ſuæ *Sanctum locum* vocat; ita ab eadem cauſa tandem, omiſſo & deſueto paulatim proprio ſuo nomine, *Mõtem Sanctum* (den Heyligenberg) velut per ἐξοχὴν, æuo illo ſuperſtitioſo, à populo habitum dictumque, facilè Frehero aſſentiet, qui cum hac ſummaria narratione antiqua ſuper hoc documenta conferet: quæ hiſce firmandis alibi publicauit tot & tam clara, vt & incredulus ad fidem habendam induci, & rerum antiquarum curioſus animum inde ſatiare poſſe videatur. Et hæc de Abrinsbergo, ſiue Heiligebergo iſto ſufficiant.

Vrbis vero Heidelbergæ originem recentiorem, quam quidam putarunt, eſſe neceſſe eſt. Et omnino Marquardo Frehero veriſimile eſt, ſicut montes illi inſigni quadam oportunitate, caſtellis &

propugnaculis collocandis occaſionem Romanis dederunt: quæ deinceps illis profligatis ſub Francico Regno quicunque Comites aut Reguli occuparunt, ſuoque arbitrio reformarunt, & quadrata rotundis (vt fieri ſolet) commutarunt, & paulatim amplificarunt; ita in pede montis adhæreſcentibus paulatim domunculis, caſtro ſuperiori ſeruientibus, & paſtoralibus caſis molendiniſque poſitis, obſeruatum fluminis ea parte traiectum facillimum & commodiſſimum, (qua vna re nulla alia pluribus oppidis originem dedit) & hîc oppido tandem condendo occaſionem cauſamque apud illos Regulos ſuppeditaſſe.

Horum autem quis primus illud (auſpiciis certè optimis) fecerit, & an Palatinus ille aliquis fuerit, vel qua ratione deinceps oppidi illud quicquid fuit, in ius Palatinum peruenerit, non reperitur. Illud reperitur, Conradum Palatinum, Friderici Barbaroſſæ fratrem, & ab eo Palatinatu Rheni donatum, Aduocatum Monaſterii Laurishamenſis fuiſſe, Heidelbergam aliquando inhabitaſſe & excoluiſſe, mortuum circa annum Domini 1192. ſepultum ad vnum ab Heidelberga lapidem, & in cœnobio Schönauienſi, quod

ſi, quod Anno 1142. Bugo Wormatiæ Præſul extruxerat.

Ex his, & aliis apparet, eo ſæculo ab antiquis & originariis (vt ſic dicam) *Palatinis Rheni* (quos & in Baccharaco, vel in caſtro Stalecken oppido Baccharaco impoſito ſedem & domicilium olim plerunque habuiſſe, docet Freherus) Heidelbergam quoque, cum vicino tractu, habitatam & poſſeſſam fuiſſe. Nam quo tempore Henrici vltimi Palatini filiam Agnen Otto Ludouici F. Bauarus Vxorem duxit, Heidelbergam ei dotalem factam, Annales teſtantur. Iam tum (incertum a qua origine) hæc ditio ab Eccleſia Wormatienſi feudali titulo recognoſcebatur. Inueſtituram ſuper ea in prædictum Ludouicum, Ottonis Patrem, ab Epiſcopo Wormatienſi Henrico, & toto Capitulo tum temporis collatam, Marquardus Freherus bona fortuna inuentam, Lectori communicat, in ſuis Originibus Palatinis.

Hinc conſtat, circa Annum Domini 1225. arcem ibi exſtitiſſe, Heidelberg nomine, (nimirum à monte, cui impoſita, & ſuperficiem ſolo cedere ratio exigit) eamque Burgum ſubiectum habuiſſe; id eſt, oppidulum muro cinctum, portiſque clauſum. Id enim eſt Burgum, voce Fran-

cica. Et hæc auguſtiore titulo Comitatus inſignita decorataque fuiſſe, cui Stalbuhel nomen fuerit, ab ignota quadam origine, & fortè communi cum Comecia Baccharacenſi, eodem tempore ab iiſdem Palatinis poſſeſſa, cui Stalecka, & Stalberg nomen fuit. Neque etiam diſſimulandum, tractum eſſe inter Schrieſheim & Ladenburgum, hoc nomine adhuc prouincialibus notum: vt & Stehelberg propè Eppelheim villam.

Huic Comitatui (vt maioribus feudis minora ſubeſſe, & maiorum gentium vaſalli, regalia feuda habentes, valuaſinos ſuos habere ſolent) diuerſos vaſallos & beneficiarios, atque etiam miniſteriales, diſtinctorum ordinum ſubeſſe ſolitos conſequens eſt: Comites, inquam, Barones, milites, ſiue Equites, & Burgenſes. In quo genere vaſallorum aiunt Popponem Comitem de Durn caſtrale beneficium (Burgſehen hodie vocamus) à caſtro Heidelbergenſe, quaſi eius clientem ſtationariumque, & præſidiarium militem, eodem tempore tenuiſſe. Eadem ratione, qua & vicini Milites de Hirzhorn hæreditarii dapiferi, (quod ante hos Comites de Alzeia erant) & Comites de Erpach hæreditarii pincernæ, & Rheingrauii hæreditarii

ma-

mareſchalli apud Palatinos erant, & ſunt in hanc diem. Quæ functiones, eiſque ſimiles, Miniſteriales vocantur, Erbämpter bey Pfaltz. Ex literis Popponis de Durn, Comitis de Dilnſperg, datis Heidelbergæ, Anno Domini 1262. pridie nonas Nouembris, hoc quoque ſimul diſcimus, Aduocatum tunc in Heidelberga fuiſſe, quaſi Vrbis *P*ræfectum & Iudicem. Quod officium adhuc manet, nomenque ipſum retinet: Vogt oder Fauth zu Heydelberg. Et hæc omnia ita habebant ſub Ludouico illo, Ottonis Patre, qui fuit ſub Imperio Friderici II. Imp. Cuius etiam filium Henricum, Regem Romanorum, Patri rebellem & contumacem, Otto ille *P*alatinus in cuſtodia Heidelbergæ tenuit. Freherus etiam vidiſſe ſe ſcribit literas, quibus Henricus hic Rex Ottoni *P*alatino Comiti donat villam Waldtorff, Heidelbergæ vicinam, cum attinentiis ſuis, datas apud Egram, Anno Domini 1230.

*P*oſtea clade incendii Heidelbergam Vrbem, Anno 1278. fuiſſe deletam, cognoſcitur ex Chronico veteri Manuſcripto, ab incerto auctore ſcripto: quod in Bibliotheca (heu olim!) *P*alatina reſeruabatur. A quocunque poſtea Vrbs hæc refecta & inſtaurata fuerit, hoc quidem

conſtat, ciuitatem ipſam Heidelbergam ſiue burgum, anguſto admodum corpore eo æuo fuiſſe, nec pomæria aut ſuburbia magna habuiſſe: donec Anno Domini 1392. Ruperto Seniori Palatino Electori viſum eſt, prædictum Burgum ita amplificare, vt proximè adiacentem villam Bergeheim, quæ paulò inferius ad ſiniſtram Nicri ripam, iam inde à Carolinis temporibus, extabat, cum ſuburbio, (hodie *Spirenſe* vocant, quod ea exeatur Spiram) coniungeret, & *Nouam Ciuitatem* eam appellaret. Quo tempore iuſſis immigrare colonis Bergeheimenſibus, caſaſque ſuas in noua illa pomæria, non ſine priuilegiis & ſuppeditatione materiæ transferentibus, æquum ius ciuitatis conceſſum, & veteri limite ſublato marca vtraque in vnam contracta, omnia denique in vnum corpus coaluerunt. Ex eo nomen etiam villæ illius veteris Bergeheim in obliuionem abiit, niſi quod molendinum ibi ſuperſtes illud retinet, die alte Bergheimer Mühle; & via vetus publica, die alte Landſtraſſe / inde Spiram tendens, etiamnum à vulgo agnoſcitur. Sed & Parochialis Eccleſia, quæ in Altbergen extitit, benè dotata decimis & Prouentibus, ad ciuitatem Heidelbergam translata fuit. Cœnobia, quæ in vna Hei-

Heidelberga tria extiterunt, olim diœceſi Wormatienſi ſubdita, à quibus condita fuerint, Leodius bona ex parte alibi expoſuit. Ab eodem Ruperto Seniore, (ciuitatis amplificatore, & coloniæ Bergeheimenſis inductore) Academiam etiam Heidelbergenſem, tota Germania Principem, nunquam ſatis laudando inſtituto, conditam, erectam, dotatam eſſe, ſupra diximus. Templum illud regale, S. Spiritui dedicatum, cum Collegio Canonicorum, Rupertum Electorem Palatinum, & Romanorum Regem habet authorem: eius etiam elegantiſſimo & ſpectando ſepulchro nobile. Speculam illam in latere montis Gaisbergi, Trutz Käyſer dictam, tempore inteſtini motus, per ſimultates Friderici III. Imperat. & Friderici I. Victorioſi, Electoris Palatini, militari opere in vſum bellicum excitatam, vulgo cognitum eſt. Turrim illam prægrandem, rotundam, montis opus, quam vocant den dicken Thurn / (qua poſt Bituricenſem illam nullam grandiorem eſſe putant) à Ludouico Palatino Electore, Philippi Ingenui Filio, conditam notum eſt. Elegans illud, & verè regificum ædificium, ſingulari artificio, &

ſymmetria ſpectandum, & pulcherrimis plurimiſque ſtatuis inſigne. Ottonem Henricum Electorem habere auctorem, ipſum loquitur. Cætera Vrbis & arcis opera, quando & à quibus condita, ſingula exequi, non eſt huius loci, nec noſtri propoſiti. Reflectendus enim in Hiſtoricæ narrationis ſeriem ſermonis noſtri procurſus.

Heidelberga Vrbe capta, & direpta, Manhemium etiam fortunam obſidionis ſubiit: cuius patrocinium Horatio Vecrio Generali Anglo, & Waldmanshuſio tribuno Palatino, commiſſum fuerat. Caſtrum ibi eſt ad confluentes Rheni & Nicri, eximium, natura loci egregie munitum, ſed magis improbo militum labore ſub Valentiniano Imp. abſolutum, poſtea Manheim dictum, nomine verè Germano. Sereniſſimus verò Princeps Fridericus IV. Elector Palatinus, inter cætera laudati Principis munia, quibus iam inde à primis gubernationis ſuæ auſpiciis per omnem ditionem ſuam res diuinas humanaſque ritè & ordine diligenter procurauerat, temporum horum iniquitatem, & creperum rerum publicarum ſtatum conſiderans, ad præſidiarium caſtrum excitandum, nouumque oppidum confluę vndiquaque hominum pio-

rum

rum multitudini recipiendæ, animum adiecit. Ei rei idoneum cumprimis, & propè incomparabilem locum conſpicatus, ad Rheni & Nicri confluuium, qua vetus & nobile caſtellum, cum pago Mãheimii nomine, inde à Carolinis temporibus noto, teloneo duplici fructuoſum, piſcatione & venationibus amœnum, in deliciis fuit: re diu multumque deliberata, & accerſitis artificibus, tam aquariæ, quam ædificatoriæ rei peritis, materieq; omni neceſſaria dudum prouiſa, XVII. die Martii, Anno ſalutis 1606. arduum & laudabile opus aggreſſus eſt. Pridie enim cum coniuge veneranda, Loyſa Iuliana, filioque natu maiore Friderico V. è Galliis reuocato, & lecta procerum caterua, eo profectus, ſummo mane in locum operi deſtinatum, iamque in futuræ molis formam ſulcis actis deſcriptum & vrbatum, ſe conferens, inque ipſo ripæ extremo, qua virides Nicri vndas cœruleo ſinu Rhenus Pater excipit, ſub papilione erecto ſuos congregatos tenens, à ſuperni Numinis inuocatione, (ſine cuius ope nil rectè incipi, nedum confieri didicit) auſpicium fieri voluit. Cum per Euangelii miniſtrum è Pſalmo XLVI. copioſo & appoſito ſermone explicatum fuit, an & quatenus Chriſtiani, quibus

T 5 omnis

omnis ſpes & ſolida fiducia in Deo, ceu rupe firmiſſima, & arce inexpugnabili, repoſita eſſe debet, ædificatis munimentis, & ſubſtructionibus terra factis, & operibus manuum ſuarum, ſecuritatem ſuam committere debeant; quid item in nouis oppidis condendis fundatoribus potiſſimum curæ conſiliique eſſe debeat. Tum calidæ preces ad Deum fuſæ, qui ſurgenti oppidulo pro Eccleſiæ & poſteritatis commodo, ſucceſſum & proſperitatem cælitus largiri, locumque ſibi propriè votum & dicatum benignè accipere & ſacrare dignaretur. Eo peracto, Princeps papilione egreſſus, quamuis imbre largo, & ventorum vi procelloſa inſolitum ſtrepente, manus ipſe primus operi admouit: arreptoque ſarculo, circumfuſa & ſpectante propè innumerabili hominum turba, ſcrobem quadratam ceſpite abraſo infodit, in quo ſaxum quadrum supernè inciſum & excauatum depoſuit, eique imaginem ſui vultûs in auro fabrè expreſſam, cum die & anno rei, quæ gerebatur, inſcriptis, dulciſſimi ſui nati Friderici V. ceu amabilis cuiuſdam Iuli, manu imponi, moxque operculo ad id aptato contegi voluit. Quo facto, omnis comitum manus certatim, ceu ſigno dato, ita vt erant palliati, gladiiſque accincti,

& his

& his ipſe Princeps Elector Frideric⁹ IV. permixtus, ad inſtrumenta foſſoria prouolare, & vehiculis manuariis, (genus eſt vna rota volubile, duabus anſis ductile, amplius quam humeris recipi & geſtari poſſit, materiæ facile quouis prouoluens) tantum ceſpitis & terræ arenæque, miro quodam animi ardore, & pulchra contentione tam impigrè congerere, nihil aut pluuium rorem, ſolique lubricum, aut ventorum intemperiem morata, vt dicto citius non tantum ſcrobem illam cum ſaxo operiret, ſed vero aggerem & tumulum non exiguum extolleret, & accumularet.

Atque ita opere cum bono DEO inchoato, illud deinceps vrgendum, & perficiendum mercenariis foſſorum turmis magno numero collectis traditum & demandatum fuit. Princeps autem Elector Fridericus IV. cum ſuis in arcem regreſſus, prandio liberaliter inſtructo commilitones ſuos comiter excepit: nec minus ſermonum ingenua ſuauitate, quam flore Liberi, quem producit ea ora inprimis generoſum, benignè recreauit: omnibus ad honeſtam hilaritatem frontem explicantibus, deq; cæpto tam laudabili huicce noſtro æuo gratulantibus, nec non nomina ſua ad rei memoriam in char-

ta conſignantibus. Ita vaſa conclamata, & ſole declinante Heidelbergam eſt reditum.

Ne quidquam vetuſtatis ignoremus, hic eſt ille locus veteris Germaniæ, in barbarico trans-Rhenano, qua (Auſonii verbis) *Francia mixta Sueuis*, tam nobilis: in quo, (fortaſſis an ante hunc & alii) Valentinianus certè Imper. cum eius filius Gratianus Alemanos Sueuoſque non procul inde ad Nicrum & Lupodunum indigna ſtrage afflixiſſet, quo arctiori ceu compede illos contineret, improbo militum labore munimentum collocauit; quod conſtat oculato teſte, & fide digno ſcriptore, Ammiano Marcellino, tunc in caſtris Romanis ſtipendia faciente. Verum auguſti illius operis, poſtquam exturbatis Romanis ille locus non diu poſtea in Francorum ius rediit, Theodeberto, & Sigiberto potiſſimum Auſtralis Franciæ potientibus, nullum ferè hodie veſtigium ſupereſt: niſi quod eo ipſo nonnunquam vetuſtatis tenues reliquiæ, & numiſmata vilia hodieque reperiuntur, & lapis vetus fabrè ſculptus ibidem erutus, puteo poſtea ante Curiam aptatus cernebatur, reconditam paganici ſacrificii (TAVROBOLIVM illi vocabant) memoriam repræſentans.

Et

Et hæc de Manheimio nouo (quod ad Rheni ripam dextram poſitum, Nicro ibidem in Rhenum ſe exonerante alluitur) Marquardus Freherus, vir Nobiliſſimus, poſt ipſum actum, cui interfuit, chartis conſignauit, & memoriæ poſterorum inuidere noluit.

Ante fatalem palatinatus ruinam, iam videre erat non tantum ingentem ambitum ciuitatis vallo foſſaque cinctum, ſed & intus minas operum diuerſorum, tam publicorum quam priuatorum, præcipue vero portam perelegantem ad Nicrum ſpectantem, (Die Necker Pforte) cum hac inſcriptione:

QUOD FELIX FAXIT JEHOVA.
FRIDERICUS IIII. ELECTOR PAL.
RHENI. DUX BOIARIÆ. ETC. E.
VETERI. PAGO. MANHEIMIO.
AD. RHENI. NICRIQ. CONFLV-
VIUM. IUSTA. SPACIOR. DIMEN-
SIONE. NOBILEM. VRBEM. MO-
LITUS. VALLO. FOSSA. MURO.
CLUSIT. PORTAM. BONIS. CIVI-
BUS. APERUIT. ANNO DOMINI
M DC. X.

Inſcriptio Tabellæ in fundamentis poſitæ hæc eſt:

QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT.
FRIDERICUS IV. PALATINUS RHE-

NIS.ROM.IMP.ARCHIDAPIFER. ET PRINCEPS. ELECTOR. DUX BOIARIÆ, &c.IN NOTISS.ISTO PUGNACIS FRANCO SVEVIÆ VETERIS SOLO.AD RHENI NICRIQ. CONFLUENTES. QUO VALENTINIANVS IMP.AVG.VEXANDIS OLIM GERMANIS MVNIMENTVM SIBI CELSVM ET TVTVM A PRIMIS FVNDARAT AVSPICIIS. QVOD TAMEN IN ROMANA POTESTATE NON PERENNAVIT. SED FRANCORVM IVSTIORIBVS ARMIS NON DIV POST CESSIT MANNINHEMI NOMINE NOTVM.ET IN IVS PALATINVM TANDEM VENIT. IPSE HAVD PAVLO MELIORIB9 AVSPICIIS. AD SVAM SVIQ. POPVLI ET PATRIÆ TVTELAM. ARCEM FIRMISS. CVM PROPVGNACVLIS ET OPPIDO. DE NOVO A FVNDAMENTIS EXSTRVERE COEPIT. QVIBVS IPSE SVA MANV HANCCE TABELLAM VNA CVM PRIMO IMOQVE SAXO ET CESPITE IMPOSVIT. 17. DIE MARTII.M DC VI.

Propugnaculum hoc munitum, à Sereniſſimo Electore Palatino Frider, IV. ex-

ſtructum,

ſtructum,4.Eid.Septemb.anni 1622. Tillius, militiæ Bauaricæ Præfectus, obſedit: quod Generalis Anglus Horatius Veeri⁹, cum præſidio Anglico-Palatino tenebat. Protracta eſt obſidio vſq; ad 10. Kal Nouembr. ſiue 23. Octobr. diem. Decimo Septembris die, Bauari pedites iuxta Nicrũ ſubſtiterant, equites vero in ea parte, qua Rheinhuſium itur, comparuerunt: quos tamen recedere inde Manheimenſes tormentis ſuis iuſſerunt. Inde Bauari pedites vallo, quo Nicerauia Manhemium itur, potiti, munitiones aliquas pararũt, & tormentorũ boatu Manheimenſes infeſtare cœperũt: inde Bellefortum ingreſſi, Rhenum 12. Sept. traiecerunt, & multos tormentorum ictus in obſeſſos exonerarunt. Inde crebris eruptionibus, & bombardarum itidem diſploſionibus ab obſeſſis pugnatum eſt, tantaq; vi ac pertinacia pulſatio mutuis odiis vtrinq; facta, vt fragor etiam multis locis, quæ multis milliarib⁹ inde abſunt, exaudiretur. Pro continuanda felicius obſidione, Tillius arci veteri, q̃ Eichelbergenſe propugnaculũ vocant, inſidiabatur. Repugnabat quidem initio Palatini præſidiarii; cum v. viribus impares eſſent, arce incẽſa, ſtationem deſeruerunt. Bauari vero, cũ arcẽ hanc incendio deformatam parũ vſui ſibi eſſe cernerent,

ſtrato

ſtrato per Nicrum ponte, ad caſtellum & oppidum tormentorum verberationem dirigebant. Ab obſeſſis itidem redintegrata verberatio cõtinuabatur, & acriter vtrinque certatum. Bauari inſuper habitis omnibus obſeſſorum diſploſionibus, ad cœmiterium procurrentes, munitiones ibi agebant, & cadauera defunctorum ex ſepulchris eruta ad vineas ſuas oppido obiectas ſtatuebant. Cognouerant enim de loco iſto ex proditoris cuiuſdam in excubiis ibi conſtituti relatione, incredibile quantum rebus ſuis opportunum, quod vallum ibi humile, & depreſſum, foſſa vero vndis vacua & exſiccata prorſus eſſet, futurum. Tametſi enim antea foſſæ ciuitatis vndis ſatis repletæ fuiſſent, Nicro tamen & Rheno, ob pluuiarum defectum, decreſcente; deficere in foſſis aqua etiam cœperat: adeo vt vel ipſa elementa ſibi contraria eſſe obſeſſi faterentur. Productis iam à cæmeterio ad portam Nicrinam caſtris, Bauari octauo Octobris die mænia quatere incipiunt, continuata multas horas verberatione, & diſploſis multis ictibus. Mox totis virib. oppugnatio tentata. Horatius Veerius, cum ad impetum faciendum comparata videret omnia, domos omnes angulares, & caſtello vicinas igne accendi iuſſit,

quo

quo ob venti inclementiam inualeſcente, ædificia plæraque omnia, paucis lapideis exceptis, flammis miſere conflagrarunt. Igitur ciuibus & militibus Palatinis, poſt modicam reluctationem, ad caſtellum trepide confugientibus, Bauari oppido Manhemio facile potiti ſunt. Expugnata vrbe, ingens ipſis ad caſtellum oppugnandum patefacta feneſtra. Obſeſſi in caſtello, cum nullum vel à Rege Friderico, vel à Mansfeldio Comite, ſperare poſſent auxilium, fame inſuper, morbis, cæli inclementia, pecuniæ defectu, ferroque hoſtili, & aliis difficultatibus vrgerentur, diutinæ obſidionis impatientes, animos haud diu obfirmabant. Tandem inter Tillium, Bauarici exercitus Generalem, & Horatium Veerium, qui Anglico & Palatino exercitui præerat, 23. Octobris die, conuentum eſt, vt Angli & Palatini vitam ac res ſaluas pacti, Manhemium Bauariæ Duci traderent: delata in caſtellum bona ciuium cuilibet retinendi & auferēdi poteſtas daretur: Theologis & Miniſtris Euangelicis nulla vis inferretur. In has & alias cōditiones cum tranſactum eſſet, 24. Octobris die, exceſſere ad vnum omnes Angli & Palatini, Francofurtum vſque ab hoſtium comitatu deducti: duo inſuper tormenta Ho-

ratio

ratio Veerio redonata. Sic Manhemium in manus hoſtium deuenit.

Conſtitutis ad Manhemium rebus omnibus, Tillius copias ſuas ad Francothaliū produxit, poſitiſq; eminus caſtris oppido indies magis magiſque appropinquauit: ſed ob aeris inclementiam, & ciuium virtutem, re infectâ diſcedere coactus, pagos oppido vicinos incendio deleuit, remotos vero longius præſidio, pro eneruandis & debilitandis Francothalenſibus, firmauit: reliquum exercitum, ob annonæ in Palatinatu penuriam, paſſim per Hannouienſem & Iſenburgenſem Comitatus, gementibus & trementibus incolis, adhiberna traduxit. Sic ciuitatibus & locis omnibus in Electorali Palatinatu ab hoſtibus captis & expugnatis, vnicum reſtabat Francothalium oppidum, cuius ciues & præſidiarii, fide & conſtantia in Regē Fridericum, & Religionis Orthodoxæ profeſſione immobiles, nō ſemel hoſtes fortiter repellebant, & eruptionibus ſuis ac deprædationibus vicina loca omnia infeſta reddebant. Cum v. expugnatu difficile admodum videretur, alia ratione cum eo agi cœptū. Interuentu enim, & conſenſu Sereniſſimi Regis Angliæ, Iſabellæ Infanti Hiſpaniarum, certis conditionibus, parum tamen fidis, an. 1623. 14. Kal. April. in

ſeque-

ſequeſtrationem traditum eſt. Anglis igitur & Palatinis dimiſſis, Verdugo, militiæ Hiſpanicæ in Inferiori palatinatu præfectus, oppido ſtatim præſidium Hiſpanicum impoſuit, quo iugo oppidani in hunc vſque diem miſere grauantur: nonnihil tamen ſub reditum Domini ſui Friderici Regis ſpe liberationis propediem futuræ ſubleuati.

Occupata ab hoſtibus tota Prouincia Superiore & Inferiore Electoralis palatinatus: Cæſar Ferdinandus, non contentus hac victoria, anno 1623, die 25. Februarii Regem inſuper Bohemiæ Fridericum, Ratisbonæ in Comitiis, Septemuirali dignitate priuauit: & Maximilianum Bauariæ Ducem, Sacri Romani Imperii Archidapiferum, in eius locum, publice renunciauit, eique dignitates & præeminẽtias Electorales, ius nempe, ſeſſionem, votum, & electionem attribuit. Rex vero Fridericus acceptam à Cæſare, & Bauaro, conſanguineo ſuo, iniuriam ægre ferebat; tempuſque opportunum, quo ſe vlciſceretur, obſeruabat.

Non ſemel tamen ad honeſta compoſitionis media promptum ſe ac paratum offerebat, quoad per conſcientiam, ſaluis fundamentalibus Imperii legibus, & præiudicio Electorum Principumq; familiis nullo

nullo apud poſteritatem comparato, fieri id potuiſſet: nihilque aliud exoptabat, quam vt diſcordiarum obliuione à Cæſare ſancita, generalis aſſecuratio in religionis & politica libertate vbique conſtitueretur, aurea pax in Imp. Rom refloreſceret, neceſſari⁹ membrorũ cũ capite ſuo conſenſus inſtauraretur, conſtituta à maioribus regiminis in Imperio harmonia vigorem ſuum retineret, termini eius non turbarentur, nec dominatus aliquis Hiſpanus, cum perpetuo ſeruitutis iugo Germanicæ nationis ceruicibus imponeretur. Sed ſpes fruſtra fuit. Cæſar enim ex ſucceſſu continuæ felicitatis obliuiſcitur ſe hominem, neſciens, nunquam in ſolido ſtare poſſe ſuperbam felicitatem, & in gentium Imperiorum magna faſtigia obliuione fragilitatis humanæ haud raro collapſa fuiſſe.

Scopum vero vnicum excitati in Germania infelicis ciuilis belli, & promulgatæ inimicæ proſcriptionis in Sereniſſimũ Regem Bohemiæ, Fridericum V. Electorem Palatinum, hunc fuiſſe: Cum vt Romanenſis Pontificia religio vbique locorum introducatur in Imperio, tum vt exſtirpentur cuncti in vniuerſum Evangelici, experientia, haud fallax rerum magiſtra,

ſtra, euidentiſſime docet. Hæretici enim illis omnes, quicunque ſedem Romanã, & primatum Papæ non agnoſcunt, ſiue illi Lutheri, ſiue Caluini odioſis nominibus traducantur ab aduerſariis. Scopus ille, etſi multis aliis documentis probari poteſt, tamen nunc luce meridiana clarius omnium oculis patet ex Actis publicis, & inprimis aliquot Epiſtolis, quæ in manus hominum peruenerunt, & quarũ Autographa, qua ſummis, qua inferioris ordinis hominibus viſa recognitaq;, publice typis diuulgata ſunt. Ad Scopum illum nullam magis expeditam viam eſſe iudicarunt, tam in aula Romana, quam Cæſarea, quam ſi Electoratus Palatinus transferatur in Bauarum. Hoc Cæſaris ad Balthaſarem Zunigam Epiſtola luculenter oſtendit, cum aſſerit, translationem illam toti inprimis Imperio fore vtilem, atque idcirco maxime neceſſariam, minimeque differendam. Toti Imperio: quia auulſo Electoratu Palatino à communi Evangelicorum corpore, vt præcipuo illius membro, & translato in Ducem Bauariæ, Catholicæ Religionis acerrimum defenſorem, (quæ laus illi in dicta Epiſtola tribuitur) is ſtatim, (vt in vniuerſo Ducatu ſuo olim, & nuper Donavverdæ, quæ Imperialis ciuitas eſt, fecit, papatum intro-

introduceret. Atque adeo illius zeli ſingulare documentum dedit: & prænobilis palatinatus, in hac Germaniæ intemperie, per aliquot iam annos expertus teſtatur. Quam primum enim Bauarus in palatinatum pedem intulit, Orthodoxæ fidei Profeſſores illic partim occiſi, partim indigno exilio mulctati ſunt: Miſſæ Idololatria in multis locis conſpiciebatur, in medium prodibant Papæ Romani emiſſarii, Ieſuitis primaria templa Ambergæ & Heidelbergæ conceſſa: qui piis ſub perſecutione gementibus in palatinatu audacter inſultabant, pedicaſque ac retia ſua ad animas ſimplicium irretiendas paſſim, quibus potuerunt modis expoſuerunt, & ad defectionem ſollicitarunt. Sic cum in Superiori palatinatu, Bohemię vicino, tum in inferiori ad Rhenum papatu radices agente, facilime ille etiam in alias adiacentes Evangelicorum Statuum regiones diffundi poſſe putabatur. Immo ſi Evangelici hoc tam triſte exemplum in Electore Palatino, qui primus inter ipſos, & hactenus in Comitiis, aliiſque conuentibus publicis, Directoris partibus communi omnium conſenſu functus eſt, admiſſuri fuiſſent, tum nullum amplius impedimentum ſupereſſe, quin ſub quocunq; obtentu, (qui potentio-

centioribus nunquam deeſſe poteſt) mox hunc, mox alterum ex Euangelicis Statibus proſcriptum iri, atque eius diciones in Romano-Catholicos transferri: atque hoc pacto paucorum annorum ſpacio totum Imperium Romanum ſub Papæ obedientiam & iugum reduci poſſet. Et hoc fine ſenſuque aſſerebatur, negotium illud translationis, quod vocabant & tractabant, vniuerſæ Germaniæ ab Hæreticorum machinis vindicandæ profuturum eſſe.

Negotium hoc de transferendo Palatinatu in Bauarum, Romanus Pontifex tractauit. Is enim Monachum Cappucinum (quod Ieſuitis non vbique fides) ad illud perficiendum, in Imperium & Hiſpanias ablegauit. Quid etiam Nūcii Papales variis in locis à Papa in mandatis habuerint, id clariſſime liquet cum ex Cardinalis Ludouiſii, qui Romæ ſecundus à Papa, tū ex Caroli Caraffæ, Nuncii Papalis literis. Nempe hæc funeſta toti Germaniæ Tragœdia diu Romæ acta fuit, & non eſt neceſſe priuatorum hominum familiares Epiſtolas in rei teſtimoniū, quales Secreta Anhaltina Cancellaria (vt vocāt) idque cum ... & mala fide exhibet. Authentica & publica nūc acta loquuntur. Cur hactenus Sereniſſ. Rex Bohemię Frideri-

deiicus Elector palatinus, inſtinctu pontificiorum, ab Evangelicis quibuſdam ad ſubmiſſionem Cæſari præſtandam impulſus ſit. Nempe, vt etiamſi hoc fecerit, tamen ne liberi quidem ipſius aliquid ex patrimonio auito recipiant, q̃uis pontificiam religionem amplexi fuerint, vt diſerte ſcribit Cardinalis Ludouiſius: cui Maximilianus Bauariæ Dux toto orbe literato celebratam Bibliothecam palatinam dono dedit, quam Leo Allatius, natione Græcus, Superintendens Bibliothecæ Vaticanæ, Romam deportauit: quo dono Bauarus Cardinalium, & papæ gratiam captauit, vt tanto pronius votum Electorale à palatiuo in Bauariæ Ducem transferendum cenſerent, atque ab Imperatore tanto impenſius efflagitarent: non ſine ſummo Imperii dedecore, ac præiudicio. Ante paucos etiam annos Chriſtophorus Gevvoldus, Bauaricus Conſiliarius, de palatinatus Electoratu ſcripto publice Ingolſtadii edito, & ſub exortos hos motus cum recognitione & augmẽto recuſo, litem mouit.

Ex multis inſuper, iiſque certis circũſtantiis firmiſſime videtur colligi poſſe, factam Bauariæ Duci, de palatinatu promiſſionem, antequam Fridericus Elector Bohemiam ingreſſus, & pragæ coronatus

fuit.

fuit. Sic ex temporis ratione principalis ſcopus Religionis fit clarior, & illuſtrior. Nam quę poſtea acciderunt in Bohemia, & quæ hodieque cum clade & interitu tot millium hominum prorſus innocentium, tantopere exaggerantur ab illis, qui ab oppreſſorum fortuna ambitioni ſuæ patrocinium quærunt., cauſam profecto nullam dederũt ad illa conſilia, quæ iamdiu ante inita, & ad effectum ipſum perducta fuerunt. Occaſio tantum diu quæſita ex Bohemiæ motu acceſſit., & hinc etiam prætextus ad colorandam violentiam. Promiſſionem autem Palatinatus Bauaro iamdudum, & illo tempore factam, vti diximus, ex eo liquet, quod in Epiſtola ad Zunigam diſerte dicitur, Cęſarem iam olim hoc conſtitutum fixumq; habuiſſe, & promiſſionem illam Bauaro à Cæſare tam coram & voce, quam ſcripto factam: atque ex illa conuentione, & poſt illam conuentionem, Bauarum auxilia Cæſari promiſiſſe. Hoc idem ex ipſa adeo Roma ſæpius perſcriptum fuit, (vbi Legatos & Agentes in rebus Bauarus eam ob cauſam continuo habuit) quamuis multum hortante Pontifice, non tamen niſi poſt hanc de adipiſcendo Palatinatu ſtipulationem ſolenniter Monachii factam, illum Imperatori ſuppetias ſpõdere

dere voluiſſe. Et ſane veroſimile hoc eſt vel maxime, quod in ſimili Domus Auſtriacæ, vel etiam maiori periculo, ante hoc tempus Bauarus, neque Rudolpho Secundo, neque Matthiæ Impp. immo ne ipſi quidem ante fœdus initum Ferdinando ſuppetias tulit. Viua autem voce Imperator Bauaro promittere Electoratum Palatinum non potuit, niſi quando ipſi præſens fuit, quod factum ſub autumnū anni 1619. cum Francofurto poſt electionem in Romanum Regem Auguſtam venit, & inde cum Bauaro Monachium vſque profectus fuit, vbi aliquot dies cum ipſo tranſegit.

Fœdus igitur tum initum, cum vterq; Monachii fuerunt, quo tempore Comes Palatinus Elector nondum Rex Bohemiæ inauguratus fuit: hoc inſuper aperte confirmante Conſiliario Bauarico, qui ſub nomine Berchtoldi à Rauchenſtein, Conſtantinum Peregrinum caſtigatum, ſeu Reiectionem itineris Quadrimeſtris Bucquoii edidit, in qua de adorea Bauaro an Bucquoio, ob victoriam Pragenſem, debita, diſceptatur.

Res vero ipſa docuit, & ex Epiſtolis Imperatoris ad Moguntinum, & Saxoniæ Electores, ad Albertum Archiducem, & Maximilianum Bauarum, Comitem

item

item Zollerenſem, & aliis conſtat, ſtatim ab illo Principum congreſſu Monacenſi de proſcriptione Palatini cogitatum actumque, & Mulhuſianum conuentum fruſtra poſtea in eam rem allegatum fuiſſe, expreſſe reclamante Electore Saxoniæ in literis ad Illuſtriſſimum Principem Iohannem Palatinum Bipontinum datis. Qui legati Hiſpanici, Comitis Ognatenſis, Epiſtolam, Vienna tum etiam ad Albertum Archiducem ſcriptã, perlegit, ex ea cognoſcet, conuenire ſolitos in eius domo intimos Cæſareos Conſiliarios, & in ea, ipſo præſidente, Palatini proſcriptionem concluſiſſe.

Hæc cum ita acta fuerint, omnibus tamen modis Bauarus hoc egit, vt quod maxime cuperet, aliis haud innoteſceret. Quamuis in literis ad Cęſarem datis promiſſi fidem ob tot bene merita ſua expoſcat, & ipſi Hiſpani prætenſiones ipſius nimis exorbitantes iudicarint. Vt autem indignitas rei, dum ſub ſpecie boni publici priuata duntaxat commoda quæſita fuerunt, euerſione iniuſta innocentis, & bene de ipſo mereri ſtudẽtis Agnati, eo magis occultaretur, variæ proſcriptionis cauſæ in Regem Fridericum, Electorem Palatinũ, quæſitæ. Vna aũt, & vera, prima & potiſſima cauſa fuit, quæ ſup. monſtra-

ta eſt: Religionis nempe Pontificiæ exaltatio, & Evangelicorum exſtirpatio. Sunt enim hæc connexa, & vnum ex altero neceſſario ſequitur.

Sed hanc cauſam in omni actione, cum Saxoniæ inprimis Electore, aliiſq; Principibus, Evangelicis, ex Pauli Windeccii & Ieſuitarum doctrina, diſſimulare neceſſe fuit, vt illi Palatini partibus deſertis, Pontificiis ſe iungerent. Nam ipſe profecto Saxoniæ Elector non ita facile ſe moueri paſſus eſt, aut ſi eius conſilia locū inueniſſent, iniuſta illa, & tot nullitatibus obnoxia proſcriptio præcipitata fuiſſet. Ex Cæſaris enim ad Albertum Archiducem, & Bauarum ſcriptis literis Viennæ 1. Iulii, anno 1620: videre eſt, Saxoniæ Electorem omnino ſuauiſſe, vt antequam ꝓſcriptionis fulmine emiſſo bellum contra Palatinum ſuſciperetur, ſolemnis cōuentus Electorum celebraretur. Ex Comitis etiam de Ognata ad Archiducem Epiſtola apparet, Saxoniæ Electorem, tum proteſtatum, vt ad illum conuentum vocaretur etiam Elector Brandenburgicus, ſine cuius præſentia nullum concluſum Electorale fieri, præſertim in Collegam Electorem, rite poſſet. Sed omnia illa monita inſuper habita, poſtquam victoria Pragenſis vindictæ frena laxauit, & nullo

ſerua-

ſeruato iuris ordine, contra expreſſiſſimã ſanctionem Capitulationis, ſub prætextu plenitudinis poteſtatis, proſcriptionis formula multoties aucta, præſertim ex Actis Pragæ repertis, promulgata fuit. Id enim ex comparatione primæ conceptionis cum poſtrema ſtatim licet animaduertere:

Præter communem illum ſcopum, hic etiam peculiaris accedit, qui in poſtſcripto ad Zunigam luculenter expreſſus, quod ſcilicet translato Palatinatu in Bauarum, & ita primario voto Euangelici Electoris ad Pontificium Principem reducto, non tantum apex Imperialis dignitatis ſemper penes Romano-Catholicos permanſurus, ſed etiam hoc pacto omni ratione penes vnicam Domum Auſtriacam corona Romani Imperii æterna natura ſit.

Arcanum non exiguum, præter infinita alia, hoc quoque accurate conſiderandum, quod Electoris Palatini interitus eam quoque ob cauſam accelerandus, quod ea radice, vt Epiſtola ad Zunigam loquitur, non ſucciſa, rebelles Belgæ nunquam ad obſequium REGIS Hiſpaniarum perduci poſſint. Perdito vero Palatino, & eius prouincias ad Rhenum Hiſpanis poſſidentibus, Cæſarem Germaniæ, Regem vero Hiſpaniæ totius Belgii fore

Dominum, vt pleniſſime affirmabat, & promiſerat Hyancintho Monacho Epiſcopus Caraffa. Motuum autem Belgicorum originem ex palatinatu alimenta ſua traxiſſe, vt ſuauiter fingunt Pontificii, ad iniuriam Sereniſſimæ Domus Palatinæ excogitatum eſt. Tyrannis Albani, Dionyſiana longe crudelior, & atrociſſima procerum Belgarum ſupplicia, contra datam fidem perpetrata, tam diuturni belli cauſa caputq;. Ad illud exemplum facta executio Pragẽſis, funeſto & infelici exitu. Quantum vero ad cauſam Belgicam attinet, de illa ſane longe aliter ſemper iudicarunt defuncti Cæſares, Maximil. II. & Rudolphus II. cunctique adeo totius Imperii Electores, Principes & Status, q̃ nunc fieri videmus. Maximilianus II. Imperator, fratrem ſuum Archiducem Carolum, pro pace Belgii populis iniuſte afflictis impetranda, in Hiſpanias ablegauit. Matthias Archidux, Ferdinandi II. Imperatoris Anteceſſor, Caput & Gubernator Belgicorum Ordinum fuit, & cauſam ipſorum non tantum coram toto Imperio, maxime in Comitiis Wormatienſibus, per nobiliſſimum & prudentiſſimum Virum, Philippum Marnixium S. Aldegondium, die 7. Maii, anno 1578. ſed etiam armis contra Hiſpanos acerrime defendit.

dit. Nunquam Imperium Romanum pro Rebellibus Belgas habuit, nunquam in partes ire voluit. Ipſi Imperatores, & Status Imperii, aliquoties ſolemnes legationes ad vtramque belligerantium partem, pro pace inter illos concilianda decreuerunt, parum mehercule pro maieſtate Imperii, ſi Belgæ Rebelles eſſent. Res autem ipſa longe aliter ex Actis publicis Imperii conſtat.

Sed pacis etiam publicæ deſiderium vbique fere inculcabatur, vt tegeretur belli religionis cauſa ſuſcepti inuidia. Quin etiam Reges & Principes quidam ſub ſpe pacis circumducti, & metu alicuius exitioſæ conuerſionis in Orbe Chriſtiano, maxime cum illo ipſo tempore Sultanus Turcicus cum potentiſſimo exercitu in Poloniam moueret, apud Cæſarem tot legationibus ac literis ſerio interceſſerunt. Facta fuerat certa induciarum ſpes in vtroque Palatinatu, & promiſſa in Superiori executionis ſuſpenſio, bellumque renouatum non iri, niſi tribus illud menſibus ante Regi Magnæ Britanniæ denunciaretur. Aſſeruerunt etiam Conſiliarii Cæſaris Domino Baroni Digbyo ſæpius, Bauarum à Cæſare nullam accepiſſe vlteriorem Commiſſionem pro banni executione, nec etiam

acceptururum eſſe. Sed nullo vnquam tempore de continuatione belli diligentiora conſilia habita, aut præparationes accuratiores ad illud factæ. Simul Regi Hiſpaniarum per Zunigam denunciandum fuit, Cæſarem ſemel conſtituiſſe, translatô in Bauarum palatinatu, vt iis, qui eius reſtitutionem à ſe importune efflagitarent, ſpem omnem prorſus adimeret.

Et quamuis in ſpeciem aliud ad Infantem ſcriptum, atque Legato Britannico communicatum, ſimul tamen eodemque tempore contrarium omnino illi mandatum, de non conſentiendo in inducias, ſed bello potius perſequendo, quod etiam Conſaluo Cordubenſi iniunctum, tranſmiſſum fuit: quod fatetur Infans, in Reſponſo Domino Dighyo Bruxellis tradito.

Leges fundamentales Imperii, Aurea Bulla, & Cæſarea Capitulatio, ſanciunt, vt præcipua Imperii membra, & baſes eius atque columnæ, Electores, maxime ſæculares, inconcuſſæ maneant. Cæſar ante electionem ſuam iurat, ſe Electores in ſuo ſtatu, dignitate ac præeminentia, omnibus modis conſeruaturum eſſe, in re ardua ſine Electorum conſilio & ſcitu nihil ſe agere velle. Nulli ex Statibus,

etiam

etiam infimo, nedum Electori primario, violentiam vllam inferre; aut aliis vt hoc faciant, permittere, ſub quocunque colore aut prætextu: ſed ſi vel ipſe, vel alii rem aduerſus aliquem habuerint, hoſtilitate omni remota, ordinario iudicio experiũdum eſt. Et ipſe Cæſar, vbi in cauſis priuatis forum ſortiatur, cum in Aurea Bulla, tum in antiquis Germanorum Legibus expreſſum eſt. Ne Comitatus quidem, aut alia feuda ad Imperium deuoluta aliis largiri poteſt. Sed hic in primario & vetuſtiſſimo Electoratu Palatino, Bauaro donando, inſignis exercebatur liberalitis.

Hinc tota Reſpublica Germanica conquaſſata, & compagibus ſuis diſſoluta, ad triſtem ruinam compulſa, breui collapſura videbatur. Prima tempeſtate omnia bella in exitium Bohemiæ, & Electoralis Palatinatus gerebantur: vti quiſque fortior fuiſſet, Bohemiam & Palatinatum velut prædam occupabat. Moguntinus Archiepiſcopus Iohannes Suicardus à Cronenberg, Senex Miles, Marchionem Spinolam in Palatinatum, ipſe plenus ſpei, & ſuauis alienæ calamitatis ſpectator, ſua manu induxit, re & conſilio iuuit, militem ad defenſionem Palatinatus iturum tranſitu prohibere

conatus eſt. Vandemẽtium ad nouam diuerſionem faciendam perſuadendum eſſe cenſuit. Rex Hiſpaniarum, terror olim Orbis, Cæſaris conſanguineus, bellipotens, auro & argento Indico, Philippi Macedonis exemplo, multa caſtella & oppida in Palatinatu, in quæ aſinus auro & argento illo onuſtus aſcenderat, facile expugnauit: alia ſub obtentu induciarum inuaſit.

Maximilianus Bauariæ Dux, Catholici exercitus Generalis, vt ipſe ſe appellauit in Tranſactione Vlmenſi, in qua Vlmæ Sueuorum cum Vnitis Principibus ſanctiſſimis verbis inita, Palatinatum vniuerſum nominatim, & diſertis verbis comprehendit; ſine vlla exceptione, excluſa omni fraude, firmiſſime promittẽs, nullam vim à ſe, aut ſociis S. Ligæ illi metuendam aut exſpectandam eſſe, vt oſtẽdit tranſactionis illius formula. Nihilominus cum S. Ligæ exercitu, quaſi contra Turcas ille paratus fuiſſet, ſemper occaſioni intentus, non tantum Auſtriam ſuperiorem inuaſit, & domuit: inferiorem petiit, Bohemiam intrauit, & ſubiecit, Pragam Regni caput occupauit, Agnatum ſuum Fridericum, nullo ſeruato cognationis iure, pellere Regno Bohemię ſtatuit: ſed etiam inſuper habita Vlmenſi

tranſ-

tranſactione, non contentus Bauariæ terminis, ſpe improba Palatinatui Electorali inhiauit: quem vtrumque inuolauit, & rem in eum ſtatum deduxit, vt hoc incendium totam iam Germaniam comprehenderit. Hinc Leopoldus Auſtriacus, Argentinenſis Antiſtes: inde Epiſcopus Spirenſis, Philippus Chriſtophorus à Sœtern, Palatinatum Electoralem depopulabantur: cum interea nemo ferè defenſor Palatinatus, inter tot hoſtes inueniebatur. Ita Palatinatus per tot diſcurſus excurſuſque hinc inde hoſtiles, rapinis & incendiis paulatim dilaniatus atque exinanitus eſt, vt ex prouincia florentiſſima infeliciſſima videretur. Totus igitur habitus Palatinatus mutatus erat. Bibliotheca Principis nuſquam, amici nuſquam; vbique violentia, nulla fides; adde, quod nec diuturna ſedes inter tot aduétitias leges, præſertim illas, quas qui non ſeruat, melior eſt, quam qui ſeruat, & in quibus conſcientia ius habet vetandi. Nam Religionem Euangelicam qui non miſſam faceret, nemo tolerabatur. Fit igitur ex Palatinatu paſſim omnium piorum fuga, replentur Ciuitates, Principatus, & Comitatus in Imperio exulibus Palatinis: plurimi ſe in Heluetiam, Belgium, Galliam & Angliam contulere; vbi

non

non ſolum tutum exilium agerẽt, verum etiam ſpem recuperandæ patriæ recipe-rent. Malis quotidie crebreſcẽtibus, verſa erat in luctum Eccleſiæ palatinæ cithara; & populus ſub multiplici gemebat iactura. plurimorum ea fuit infirmitas, vt ardua exilii dum metuerent, degeneres Chriſti milites, in caſtra papæ transfugæ facti ſunt. Alii Ecebolii malitia quadam, (vti ſemper in tritico filix, inter apes fuci) voluntario lapſu ſeipſos proſternebant. Ita inanes paleæ hac belli palatini tempeſtate iactabantur: inualidæ arbores turbinis papalis incurſione euertebantur. piorum fides, ſicut aurum per ignem, explorabatur. Triticum non rapuit, nec arborem ſolida radice fundatam procella perſequutionis ſubuertit.

Proſcriptio Regis Friderici, poſt cladem demum pragenſem promulgata, quamuis longo ante tempore præparata fuerit. Ante litem adhuc de Regno Bohemiæ exortam, Monachii Bauaro à Cæſare palatinatus vltro oblatus, & certis conditionibus inueſtitura illius conceſſa fuit. In effectu igitur Rex Fridericus, Elector palatinus, ditionibus ſuis in Bauarum collatis ſpoliatus ante, quam proſcriptus. *Pœna* in illum ſtatuta, vbi nullum

nullum delictum. De patrimonio, dignitate, ac ſtatu eius, inter alios conuentum, antequam vocatus eſt ad iudicium. Immo nunquam vocatus, nunquam auditus eſt. Cauſæ enim cognitioni nullus locus, vbi abſolutè pro arbitrio, & priuatæ vindictæ cupiditate res gerebatur. Quod ſi vero aduerſi aliquid Regi Friderico accidit, qui per decennium cum pio Dauide, Saulitarum perſecutioni ac tyrannidi cedens, à ſuis abeſſe coactus eſt: haud propterea tamen illi facinus Belialis impingi debet, vel poteſt, quo ſortem hanc aduerſam ſibi attraxerit. Neque enim inſolens, vel obſoletum eſt, ſi Paterfamilias in ſuos potius, quam alienos, animaduertit. Anceps belli alea, (inquit Thuanus lib. LIX. Hiſtoriarum) & incertus victoriæ exitus, qui plerunq; non ad iuſtiorem cauſam inclinat: quin immo vſu venire cernimus, vt per ſimiles caſus Deus, quem iuſta in nos concitatum ira citra præfractam impudentiam diffiteri non poſſumus, ſuos puniat. Nuſquam minus, quam in bello, euentus reſpondent: Non igitur iudicandum ex euentu. Nam ſæpe optimè cogitata peſſimè cadunt. Paulus Foxius, Henrici III. Regis Galliarum intimus Conſiliarius, apud Thuanum, lib. XLIX. Hiſto-

riarum, ita præclarè ſentit: vt res humanæ, ac præcipuè eæ, quæ ad rem militarem ſpectant, ferè à Fortuna dependent: ſic ſæpe euenit, vt quæ maturè deliberata ſunt, haud feliciter cadant: contra, vt temeraria conſilia proſperos ſucceſſus nanciſcantur: quo fit, vt vulgus, quod res ſucceſſu potius, quam ratione metitur, ex ſiniſtro euentu prudentiſſimum conſilium damnet, idem temerè ſuſceptum propter felicem exitum laudet. Poterat ſane Cæſar ſecunda ſua fortuna in conditione honeſtæ pacis vti, niſi ſpe alia euectus, in caſum irreuocabilem ſe dediſſet. Modum enim imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati præſentis Fortunæ, prudentis hominis, & meritò felicis eſt: neque finitur bellum magnificentius, quam à memorabili pugna: nec ſpes firmior pacis perpetuæ datur, quam quæ perculſos aduerſo prælio aduerſarios molliores facit ad paciſcendum. Non libet hic multis attexere, tempore belli Smalcaldici, ipſum Carolum V. Imperatorem, ſæpe deploraſſe rigorem ſuum, quo, Albani potiſſimum impulſu, in Iohannem Fridericum Saxoniæ Electorem, & Philippum Haſſiæ Landgrauium vſus eſt. Certè ab eo tempore de faſtigio felicitatis ſuæ, quæ antea

tea indiuidua ipſi comes, deiectus eſt, vno velut impetu, vt conſtat ex Hiſtoria illius ſæculi. Exemplum hodie inſigne etiam cernimus mutationis rerum humanarum. Ideo in ſecundis rebus, (ait Paulus Æmilius apud Liuium) nihil in quenquam ſuperbè ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ, cum, quid veſper ferat, incertum ſit. Is demum vir erit, cuius animum nec proſpera flatu ſuo efferēt, nec aduerſa infringent. Fortuna aduerſa minus acribus ſtimulis animum explorat, quam res ſecundæ : quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur : inſit Tacitus.

His malorum experimentis Sereniſſimus Rex Bohemiæ Fridericus ita confirmatus fuit, vt nihil eum facile dimoueri potuerit de Chriſtianæ patientiæ gradu. Funeſtiſſimum autem & luctuoſiſſimum illum caſum acerbiſſimè tulit, quo Anno Domini 1629. 7. 17. Ianuar. in traiectu fluminis Teiæ propè Ambſtelrodamum apud Batauos, naui, qua vehebatur, per impetuoſam̃ & inopinam alterius nauis, plenis velis occurrentis, alliſionem, rupta, triſti fato aquis hauſtus & ſuffocatus eſt, Maieſtatis ſuæ Filius primogenitus, Fridericus Henricus, Princeps ingenuarum virtutum animæ, & ingenii do-

tibus,

tibus, ante annos maturis, admirandus, fortunæ & ſpei, in quam natus erat, & alebatur, plus quam capax, gaudio, honori, & ſolatio parentibus, cognatis, Amicis, natus Heidelbergæ, Kal. Ianuarii Anno 1614. rebus in Germania tunc ſummè florentibus: in Regem Bohemiæ, & ſucceſſor Patri, vnanimi Procerum conſenſu, Pragæ in Comitiis Anno 1620. 19. April. adhuc infans deſignatus & reſignatus. Renouat hic caſus triſtem memoriam Hermanni Ludouici, Filii Friderici III. Pii Electoris Palatini, qui in Galliam ſtudiorum gratia miſſus, in primo adoleſcentiæ flore, annos natus XV. dum Auaricum flumen in Biturigibus traiicit, inuerſa cymba cum Præfecto, Præceptore, & aliis comitibus, vorticibus hauſtus & exſtinctus eſt. Sed in hoc naufragio omnia ſunt grauiora atq; atrociora: cum ipſe Rex Fridericus vexerit in partem periculi, & vix eluctatus, licet oculis amplius non cerneret pereuntem cum ſociis filium dilectiſſimum, auribus tamen hauſerit ſupremos ipſius, opem diuinam pariter & humanam poſcentis, clamores ac eiulatus, qui non potuerunt non vulnerare, & vix conſolabilibus doloribus configere paternum pectus. Poſteaquam triſtis hic rumor ad aures meas.

aduo-

aduolaret, luctus & mæror ſtatim Epitaphium iſtud expreſſit:

QVISQVIS AD HVNC TVMVLVM PROCEDIS, MOESTE VIATOR,
SISTE GRADVM, ET QVERVLA TALIA VOCE REFER.
HEV DOLOR! HENRICVS PRINCEPS IACET HIC FRIDERICVS,
MAGNA PALATINI SPESQ. DECVSQ. SOLI.
MENTE SENEX, ÆTATE PVER, NVLLIQ. SECVNDVS,
RHENANO. CZECHICO DIGNVS ET IMPERIO.
QVEM GENVIT CELSO FRIDERICVS NOMINE QVINTVS.
ANGLAQ. REGALI SANGVINE ELISA SATA.
EHEV! SPES PATRIS HÆC VBI NVNC? VBI GAVDIA MATRIS?
IN TEYA MERSIT TVRBINE QVASSA RATIS.
VIXQ. DECEM ET QVINOS ÆTAS TRANSCENDERAT ANNOS.
MOX LACHESIS VITÆ STAMINA RVPIT ATROX.
DVLCE PALATINÆ STIRPIS DECVS. VTILE TERRÆ

SCV-

SCVTVM, OCVLVM POPVLI. PERCVLITVNDA NOCENS.
ILLE TAMEN COELI SEMPER FVLGEBIT IN AVLA.
ANGELICOS INTER SERAPHICOSQ. CHOROS.

Cæterum cum Cęſar nulla ratione fœdera pacis ſuſcipere vellet, licet Sereniſſimi Reges Magnæ Britanniæ & Daniæ ſeminandæ paci plurimum ſtudiiſſent, totis viribus bellum reſtauratum fuit. Neque enim Rex Fridericus tantum Regno Bohemiæ per vim hoſtilem exutus, & dignitate ſua Electorali indignè mutilatus: ſed & Maieſtatis ſuæ frater chariſſimus, Illuſtriſſimus Princeps Ludouicus Philippus, Comes Palatinus, Dux Simmerenſis, pupillus, abſens ſpoliatus omni ditione ſua, ita vt ne ad alimenta quidem teruncium per integrum decennium ex illa perceperit. Eadem fortuna inuoluti alii etiam vicini Principes, Comites, ciuitates Imperiales pleræque omnes, viduæ etiam Electorales, & aliorum Principum, nobiles denique Imperii infiniti: vt de miſera plebe, quæ rapinis exhauſta, ſtipem iam colligit, nihil dicamus Sereniſſimus quidem Rex Daniæ Chriſtianus IV. defenſionem circuli Inferio-

ferioris Saxoniæ ſuſceperat, ſed aduerſo Marte itidem fractus, pacem cum Cæſarianis fecit. Tillius non tantum Wetterauiam, Haſſiam, Ducatum Brunſuicenſem, crudeliſſimis depopulationibus, & exactionibus attenuauit: Sed & Albertus Dux Fridlandiæ, qui ſe tumido immane quantum titulo Balthici maris Generalem appellare ſolebat, exquiſitiſſima omnia tyrannicæ crudelitatis genera in ſubditos Saxoniæ Inferioris exercuit: Duces Megalopurgenſes Ducatibus ſuis iniuſtè priuauit, in Pomeranos barbariſſimo furore & libidine ita ſæuiit, vt nugę ſint decantatæ illæ Buſiridis, Phalaridis, Turcarum, aliorumque atrocitates cum Furiis iſtis comparatæ. Stralſunda, Vrbs Pomeraniæ celeberrima, Fridlandiæ Ducis obſidionem pertinacem magna cum felicitate & fortitudine ſuſtinuit. Hæc prima Cæſaris mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit: præſertim cum etiam atrocia edicta Proteſtantib. Principibus obtrudere voluiſſet, de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis: aliaſque minas aduerſus Euangelicos ſpiraret. Nihil vero toto hoc bello Bohemo-Germanico aduerſus Proteſtantes pro Ligiſtis Romano-Catholicis vtilius fuit, quam quod Vniti Euangelici in commune non

con-

conſuluerunt. Rarò duobus tribuſque Principibus, aut Ciuitatibus, ad commune periculum concordia propulſandum, conuentus: ita dum ſingulis Neutrales eſſe volebant, vniuerſi ſeruitutem ſuam quotidiè emebant ac paſcebant. Soli ferè, Mansfeldius Comes, Chriſtianus Dux Brunſuicenſis, & Iohannes Erneſtus, Dux Saxoniæ Vinarienſis, Magni illius & Conſtantiſſimi Chriſti Confeſſoris, Iohannis Friderici Saxoniæ Electoris Pronepos: quo obſequio florentem Regem Fridericum coluerant, labentem non deſeruerunt. Sed hi omnes immaturè, non ſine veneni ſuſpicione, his belli turbis erepti ſunt.

Subactis demum pleriſque Statibus Euangelicis in Imperio Romano, erat inter Reges exteros, Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex Sueciæ GVSTAVVS ADOLPHVS, cuius pietas, opes, & virtus militaris, ea tempeſtate ſummis laudibus efferebantur. Is velut vltor audendum aliquid pro Germaniæ libertate, & pro ſalute communi, etiam cum periculo ſuo, ratus; vt patriam multis miſeris ciuibus eiectis, auxilio diuino ſubnixus, reſtitueret, & hoſtes à finibus Euangelicorum repelleret, collecto exercitu, Anno 1630. fauſtam expeditionem in Roma-

manum Imperium ſuſcepit, euulgato prius lingua Latina & Germanica ſcripto, quo cauſſas exponebat, propter quas arma contra Cæſarem Ferdinãdum II. ſumpſiſſet. Mox omnia proſperè Magno Regi Sueciæ, Germanicæ libertatis vindici, & Euangelicæ Religionis Aſſertori procedebant. Ducatum Megalopurgenſem legitimis ſuis Dominis vindicauit: Pomeraniam & Marchiã Brandenburgicam, hoſte liberauit feliciſſimè. Cæſar aſſiduis aduerſus Germanos bellorum certaminibus Principes & Status Euangelicos Proteſtantes fatigando, in exilium pellendo, offenſam omnium contraxit: ignarus prorſus, fragilitatis humanæ ſeipſum futurum exemplum. Magdeburgo, celebri Saxoniæ Inferioris ciuitate, à Tillio & Pappenhemio, Cæſaris & Ligiſtarum Ducibus, obſeſſa, expugnata, & incenſã, incolis ferè omnibus ad internecionem deletis: Iohannes Georgius, Saxoniæ Elector, edoctus, quantæ vires eſſent concordiæ, legationibus & fœderibus omnium Principum ac Statuum Euangelicorum auxilia, ad commune hoc patriæ incendium extinguendum, Lipſiam exciuerat. Poſt excidium Magdeburgicum Cæſar nullum amplius fortunæ proſperum afflatum expertus

pertus eſt. Tillius, datum ſibi belli titulum aduerſus Saxoniæ Electorem gratulatus, Electoratum ipſius hoſtiliter inuaſit, & rapinis, incendiis, ſtupris, aliiſque immanitatis generibus immaniter ſæuiit; diuerſa loca vi cepit: Lipſiæ vniuerſum exercitum admouit, poſt modicam reluctationem, 6. Septembris die, Anni 1631. oppidanos ad deditionem compulit. Quæ res illi cauſa exitii fuit. Hac enim ſæuitiæ macula cæterarum victoriarum famam infuſcauit. Sereniſſimus Elector Saxoniæ, qui videbat ſe, ſuaſque ditiones itidem peti, per Arnhemium, caſtrorum Præfectum, cum Sereniſſimo Rege Sueciæ agi curauit, vt ſibi quantocius opem ferret. Adunatis igitur Saxonicis & Suecicis exercitibus, prælium ingentibus animis, haud procul à Lipſia, ſeptimo Septembris die, committitur. Tillius habebat milites pleroſque veteranos, & multarum victoriarum gloria præfulgentes; vt non tam milites, quam magiſtros militiæ electos putares. Itaque nemo Cæſareanorum in prælio illo Lipſenſi fugam, ſed victoriam cogitauit, nec in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit. Pulſa primum Saxonum acies, paulatim ceſſit. Mox ſuccurrentibus Suecis, Saxones in prælium redeunt,

& fa-

& facta impreſſione, Cæſareanos, quos fugiebant, fugere compellunt. Tanta virtus animorum fuit, vt cum paulò ante ſalutem deſperarint, mox non deſperarint victoriam: quæ poſtremum Sereniſſimi & Inuictiſſimi Regis Sueciæ fuit. Tamdiu certamen anceps fuit, quoad campo cederet Tillius. Exinde cædes Cæſareanorum ſecuta eſt: in quorum caſtris multum æri, cæterarumque opum inuentum. Suecis in pugnam euntibus magna alacritas animorum fuit. Ab equitibus pugnatum eſt tanta virtute, vt hinc viros, inde ceruos fugaces putares. Qui huic prælio Lipſenſi interfuerunt, pro certo affirmant, pugnam ante vndecim annos propè Pragam in Albo monte commiſſam, cum eo nequaquam conferendam. Nam hic ad minimum quindecim millia ab vtraque parte, tam in loco pugnæ, quam in fuga occubuiſſe. Incredibile quantum hæc victoria apud omnes nationes Inuictiſſimo Regi Sueciæ gloriæ dedit. In exercitu vero Cæſaris, Imperio Romano, & Aula Cæſarea, diuerſi motus animorum fuere. Alii quippe iniuſta ſeruitute oppreſſi, ad ſpem ſe libertatis erigebant: alii tædio militiæ Cæſareanæ, remiſſam ſibi expeditionem gaudebant. Amicos quoque

que Cæſaris, tam ſubita mutatione rerum, haud mediocris metus ceperat, reputantes, nunc magis prouocatum & irritatum Sereniſſimum & Potentiſſimum Regem Sueciæ, nunc Germaniam nondum perdomitam, nunc Saxonem, & Brandeburgicum, Electores, cæteroſque Principes, & Status Euangelicos, Lipſiæ Confœderatos, fidei dubiæ: qui omnes ſi pariter à Cæſare deficiant, reſiſti nullo modo poſſe. Hic rerum humanarum circulus eſt, qui rotatus, eoſdem ſemper fortunatos non ſinit.

Tillii introitus in Saxoniam quam terribilis, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit. Sereniſſimus Rex Sueciæ, cum acceſſione virium Saxonicarum fortior ad alios tranſiret, & proxima quæq; victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, fortuna Lipſenſes prælii perculſum iam Cæſaris exercitum, nullo negotio paſſim fudit & fugauit. Inde inſtructo paratoque exercitu, bellum ſumma celeritate tranſtulit in agrum Würtzburgenſem; vt quem venire incolæ non ſenſerant, videre ſe vix crederent. Vrbs Herbipolis, primaria Franciç Orientalis ciuitas, ad Mœnum nobiliſſimum amnem ſita eſt in medio Germaniæ, habetque arcem eximiam in ſummo montis cacumine, non ſolum adſpe-

adſpectu iucundam, verum etiam fortiſſime munitam: atque inter hanc arcem ac ciuitatem labitur egregius ille fluuius Mœn⁹, ita tamen vt ciuitas & arx ea ponte coniungantur. Audito aduentu Regis Sueciæ, Epiſcopus Herbipolenſis, Franciſcus Hatzfeldius, recens electus, oues ſuas deſeruit, & facto per Francofurtum itinere, Moguntiam, inde Coloniam Agrippinam ſe contulit.

Sereniſſimus Rex Sueciæ, ſubacta Herbipoli, & vniuerſa Francia Orientali in poteſtatem redacta: Hanouiam & Francofurtum ad Mœnum occupauit: Inde facto cum exercitu per pontem Francofurtanum itinere, & traiecto admirabili ſtratagemate Rheno, Hiſpanos Oppenhemio, Electoralis Palatinatus hodie, olim Imperii oppido expulit, Moguntiam deuicit, quæ ad Rhenum, Principem Germaniæ fluuiorum, in vmbilico Germaniæ, aut veteri termino inferioris à ſuperiori ſita: prima eſt Archiepiſcopalis Germaniæ Eccleſia, ex VVormatia translata. Rebus proſperè ſuccedentibus, totum ferè Inferiorem Palatinatum, exceptis primariis ciuitatibus, Heidelberga & Francothalio, legitimo ſuo Domino, Regi Friderico, Electori Palatino, reſtituit. Equidem vero Sere-

niſſimi, Potentiſſimique Domini, Suecorum, Gothorum, Wandalorum Regis, GVSTAVI ADOLPHI, Principis Pii, Iuſti, Clementis, ideoque Victorioſi, Aſſertoris Euangelicæ Religionis, Vindicis Libertatis Patriæ, bellicas glorias, quamuis æterno carmine merito cantandas, vel illuſtribus Panegyricis celebrandas, vel cum Maximis omnium temporum Heroibus, Machabæis, Conſtantinis, Theodoſiis, Carolis, comparandas; vel Hiſtoriis ad omnem poſteritatis memoriam commendandas, Tullio alicui, Liuio, Tacito, Curtio, aut Suetonio, relinquo: quantumuis & hi fortè cum ſumma eloquentiæ copia minus dicturi eſſent, quam ille geſſerit. Deo tamen bene iuuante, iubeo Lectorem beniuolum, totius belli Bohemo-Germanici Hiſtoriam, non tralatitie deſcriptam, à me expectare.

Dum hæc ad Moguntiam, & in Inferiori Palatinatu fiunt, Sereniſſimus Rex Fridericus, Elector Palatinus, ab Inuictiſſimo Rege Suecię reuocatus, poſt decennalem exilii patientiam, Hagæ Illuſtriſſimis & Potentiſſimis Belgii Ordinibus Fæderatis valedixit: factoque per Weſtphaliam, Haſſiam, & Wetterauiam itinere ſub initium huius Anni 1632. die

die 8.18. menſis Februarii, Hanouiæ Illuſtrem ac Generoſiſſimum Comitem, Dn. Philippum Mauritium, eiuſque matrem, Inclytam viduam, Catharinam Belgicam, Auraicæ Principem, piis gratulantibus omnibus, ſalutauit: inde Francofurtum ad Regem Sueciæ, ſaluus & incolumis, peruenit. Ita vt alta premere Deus; ita preſſa rurſum protollere conſueuit.

O Deus, qui paruo nos momento reliquiſti, in miſerationibus magnis tuis iterum congrega pios ſubditos in Palatinatu. Tuere Pellam hanc Palatinam. Serua Eccleſiam tuam pauperculam, quæ in turbine nunc verſatur. Defende ab omni iniuria tam corporali, quam ſpirituali, fideles ſeruos tuos Sereniſſimos Reges, Electores, Principes, & Status Evangelicos: vt libertate Germaniæ vindicata, Palatinatus etiam Electoralis in veterem gloriam refloreſcat! O Deus fac illos participes gratiæ illius, quam olim ſeruo tuo Moſi largitus es. Viuat, viuat, viuat Rex & Elector Fridericus, cum Sereniſſima Coniuge, Regina Eliſabetha, & tot dilectiſſimis liberis, Celſiſſimoque fratre ſuo vniceunico, Domino Ludouico Philippo, Duce Simmerenſi, atque Illuſtriſſima Electoriſſa vidua matre, Loy-

ſa Iuliana: floreat tota Domus Palatina. proſpere agat Palatinatus, augeatur Eccleſia! Hæc vota, deſideria, ad felicis reditus tui in patriam initia, Rex Friderice, vniuerſi Pii Euangelici ferunt: vt nos Palatini, ob ſinceram fidei Confeſſionem patria iniquè ab hoſtibus pulſi, Maieſtatem Tuam fauſta acclamatione comitantes, redire tandem queamus ad ſua ſinguli tentoria, læti & hilares animo de toto illo admirabili bono, quo Deus affecit Te Regem Fridericum, ſeruum ſuum; & Palatinatum Electoralem, Populum tuum, Amen.

Finis Hiſtoriæ Palatinæ.

MAN-

MANTISSA

Ex MARQVARDI FREHERI Curiæ Archi-Palatinæ quondam Vice-Præſidis, & Conſiliarij Nobiliſſimi

ORIGINVM PALATINARVM COMMENTARIO.

COMITIS PALATII DIgnitas quæ antiquitus fuerit apud Romanos & Francos: item de Curopalate, & Maiore Domus.

I.

NE vel de Palatio, vel de Comitiua dignitate rem ſatis notam altius repetam, hoc tantum dicam, Romanos principes varii generis adminiſtros, cum equeſtris ordinis & militares, tum togatos & iuriſperitos à conſiliis ſecum habuiſſe: omnes

initio *Comites* dictos, & *in Comitatu Principis verſari*. Eoſque tanto plerunque numero, vt ipſa Principis aula & reſidentia *Comitatus* dici cœperit, & *ſacer Comitatus*, qui in Codice paſſim occurrit, & Lampridium, Marcellinum, alioſque. A quo deinceps *Comitatenſes* & *Pſeudocomitatenſes* dicti.

Et illi quidem Comites fuerunt: de quorum variis generibus conſulat, qui volet, Lazium *lib.* 2. *de Rep. Roman.cap.*11. At Palatinorum nomen latius patebat, quo veniebant omnes non tantum comites, ſed etiam inferiorum ordinum miniſtri, quotquot non tantum Principi in conſilio vel aula operam nauabant, ſed etiam præfectis & comitibus ipſis apparebant & ſeruiebant; vſque ad illos adeo etiam, quos *tineas & ſorices Palatij* Imperator quidam vocare ſolebat. Coniunctim autem *Comites ſacri Palatij* inter cæteras aulicas dignitates habitos, argumento eſt titulus XXXIV. Cod. lib. 1. *De officio Comitis ſacri Palatij* (quem tamen Cuiacius legit, *De officio Comitis ſacri patrimonij*) & tit. XIII. lib. XII. Cod. *De Comitibus & archiatris ſacri Palatij*. Et Palatii etiam decurionatum legimus apud Ammianum lib. XX.

Porro Germanæ gentes Latinis prouin-

uinciis potitæ, Franci, Gothi, Longobardi, æmulatione Romani ſplendoris flagrantes, priſcam etiam regiminis formam & aulæ dignitatumque pompam retinuere ſtuduerunt. Vnde factum eſt, vt non modo aliqua ex parte Romanæ leges & inſtituta (tantum nimirum quantũ & illorum idioma) ſed etiam officiorum & dignitatum illarum florente imperio florentium vmbræ apud illos perdurauerint. Germani ipſi adhuc hoſtes, nonnunquam honorarias quaſdam dignitates à Romanis per amicitiam aſſumere non dubitabant. Ipſe olim Arminius, eiuſque frater Flauius, Romana ſtipendia meruerãt. Clodoueus Francus, & Theodoricus Gothus patriciatum ab Anaſtaſio Imp. ſibi tributum non reſpuit, vt ipſe meminit: *apud Caſſiodor.* 8. *variar. Sic ſe magnorum beneficia ſemper extollunt, vt quibus imperare nequeunt, iura venerationis imponant.* Ita Theodato & Vitigi Gothorum regibus, & aliis quibuſdam, patriciatum Iuſtinianus contulerat. Et Carolus Magnus Francorum Longobardorumque rex, quaſi tanto faſtigio aliquid accedere poſſet, inſuper *Patricius Romanorum* diu audiit. Ita ergo victores ipſi tandem prouinciis occupatis, Romanas dignitates, *præfectos, patricios, præſides, con-*

 ſules,

ſules, cancellarios, Comites denique libenter vſurparunt: quaſi aut maioribus titulis honeſtari, aut illam Reipublicę formam in melius producere non poſſent. Totumque regnum Francorum, vt olim Romanum in prouincias præſidat[9], præfecturas, ita ipſum deinceps in Comitatus & Epiſcopatus diuiſum fuiſſe legimus. Et Comitum quidem proprium fuiſſe officium ius dicere, ſiue adminiſtrare iuſtitiam, vt Epiſcoporum res ſacras fideique diſciplinam curare, Anſegiſus ſubinde inculcat.

Nominatim autem (vt ad rem veniamus) Comitiuam Palatii Gothos in Italia rerum potientes retinuiſſe, teſtis eſt apud Caſſiodorum *li. 7. variar. cap. 5.* formula *Curæ Palatij* (quam perſimilem dignitatem Comitiuæ Palatii fuiſſe probabile faciemus) vbi eximius illi hic honos tribuitur, vt *aurea virga decoratus, inter obſequia numeroſa, ante pedes regios primus videatur incedere; vt vel ipſo teſtimonio vicinitatis ſuæ agnoſcatur Rex illi palatia cõmiſiſſe.* Eius mentio eſt in l. 1. C de Comit. & tribun. ſchola. lib. XII. *Inter quos Comites etiam ſacri ſtabuli, & Curæ Palatij numerantur.* Corippus in Iuſtino II.

Par extans curis, ſolo diademate diſpar,
Ordine pro rerum vocitatus Cura Palati.

Curo-

Curopalatem corruptè Aula Græca dixit, vt apud Luitprandum legimus, & Georgium Codinum in notitia officiorum Conſtantinop. Longobardi ſuum quendam non Comitem, ſed *Rectorem Palatij* habuerunt, cuius meminit Paul. Warnefrid. *3. hiſt. Longobard. cap.* 1. *Hic cum (vt ſuperius diximus) ſub Iuſtino adhuc Cæſare palatium regeret.* Franci in ſua Curia, qui hoc officium gereret, *Domeſticum* primitus dicebant, vt didici ex Venantio Fortunato ita ſcribente ad Condam Domeſticum:

Inſtituit cupiens vt deinde Domeſticus eſſes.
Creuiſti ſubito, creuit & aula ſimul.
Florebant pariter veneranda palatia tecum:
Plaudebat vigili diſpoſitore domus.

Quem magiſtratum altera etiam illa & æmula Byzantii Aula habebat, *μέγαν δομεστικὸν*: & omnino pleraque officiorum nomina communia Græcis & Francis, vt & comitem ſtabuli hi ſuum, (cuius mentio in d.l.1.) illi Κοντοσαύλον, quem Noticia Græca officiorum definit, *κεφαλὴν τῶν ῥογατόρων φράγγων*. Hic ergo Domeſticus idem cum Palatino: & vt hic à *Palatio*, ita ille à Domo regia, à qua & *Maior Domus*, & *Comes domus regia* dictus eſt. Quin magna varietate, & *Maior Palatij*, & *Comes domus Regis*, & *Comes Palatij Prin-*

cipis, & *præfectus* aut *præpoſitus* aut *rector Palatij regij*, & *gubernator Palatij*, & *Princeps regiminis aut Palatij* ſubinde nominatur apud Aimoinum Monachum, Eginhardum, & alios. Sed & *ædilem Palatij* lego apud Wandelbertum *in mirac. S. Goaris, cap. 30. vbi vero ſurrexit, ad abbatem & clariſſimum virum Gerungum, olim Palatij ædilem, nunc Monachum conuerſus.* Cuius ampliſſimam in aula & palatio iuriſdictionem, ingentem auctoritatem, ſummam poteſtatem, & ab ipſo Rege proximam fuiſſe, idem Aimoinus & alii Franci ſcriptores indicant: vt Præfecto prætorio apud veteres Romanos propemodum comparari potuerit. Certe non tantum inter officiales & palatinos cæteros cognitionem eius propriam fuiſſe, ſed & ſubditorum quorumuis deſideria audiuiſſe, cauſaſque quaſi ſacra vice examinaſſe illum conſtat. Walafridus Strabo: *Quemadmodum ſunt in palatiis Prætores vel Comites Palatij, qui ſæcularium cauſas ventilant, ita & illi quos ſummos Capellanos Franci vocant.* Eginhartus de Carolo M. ita ſcribit: *Si Comes Palatij litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine eius iuſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introducere iuſſit, & veluti pro tribunali ſedens lite cognita ſententiam dixit.* In ipſius Caroli M. capitulari.

lari ita legimus *lib.3.cap.77. Neq; vllus Comes Palatij noſtri potentiores cauſas ſine noſtra iuſſione finire præſumat: ſed tantum ad pauperum, & minus potentium iuſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.* Quinimo apud primos Francorum reges, cum ipſi ignauiores eſſent, & curam regni propemodum totam negligerent; ſummam imperii vniuerſam penes Palatii præfectos, qui *Maiores domus* dicebantur fuiſſe; & regni adminiſtrationem, omniaq; quæ vel domi vel foris agenda ac diſponenda erant, Præfectum aulæ procuraſſe. Eginhardus & Paul. Warnefridus meminerunt. Quod & Cedrenus ſcriptor Græcus retulit, Maiorem Dom' προέοικον vertens: ἔχειν δὲ προέοικον γνώμην τοῦ τε βασιλέως, καὶ τοῦ ἔθνους εἰς τὸ διοικεῖν πάντα τὰ πράγματα. Addit Eginhardus: *Hunc honorem non aliis à populo dari conſueuiſſe, quam iis qui & claritate generis & opum amplitudine cæteris eminerent.* Vt non fallatur, qui apud diuerſos populos in eodem dignationis gradu, Latinos *præfectum prætorio*, Græcos *Curopalatem*, Longobardos *rectorem Palatij*, Francos *maiorem domus* (quem & *Comitem Palatinum* Hunnibaldus promiſcue vocat) fuiſſe exiſtimet. Et omnes hi vt à Rege proximi, ita in tam facili & lubrico tranſitu, vt non ſemel inſtantibus

regnorum vicibus à Regibus ad hos ſceptra tranſlata fuerint: vno pro multis Pipini exemplo.

Hic honoris gradus cum apud Francos eſſet tantus, per κατάχρησιν quandam *Palatini* etiam abſolute dicti ſunt procerum ſummi & à Rege proximi: vt Rolandum illum & Rinaldum Oliueriumque expeditionis ſacræ in Saracenos comites, *Paladinos* non tantum ſcriptores vernaculi, & Arioſtus poeta Italus, ſed etiam Græcus homo Laonicus Chalcocandeles nominat. Sed & apud Hincmarum Remenſem epiſcopum *Palatinos* pro proceribus dictos inuenio: *Oſtendens quod de ordinando Epiſcopo non Regis vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione diiudicatio, deinde terreni principis conſenſio.*

Francis igitur, potiſſimis Romanorum ſucceſſoribus, dignitatis Palatinæ origo maximè debetur: poſt quorum imperium cæteræ etiam gentes, Sueui & Saxones id nominis retinuerunt, vt apud Luitprandum, Witichindum, Friſingenſem alioſque ſubinde occurrit. Guntherus Poeta in eo exprimendo diuerſis modis ludit, vt lib. V.

Hermannusque ſacra Comes inclytus aula.

Et

Et poſtea:

Ille Palatinæ cuſtos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare Comes——

Quomodo & in epitaphio Henrici Palatini Schœnaugiæ olim ſcriptum fuit:

Princeps magnificus, Comes aulæ, gloria Rheni,
Iunior Henricus——

Et ex his apparet, verum eſſe quod *Ciſnerus de Othone III. Imp. p. 22.* ſcripſit, *Palatinos Comites non modo Comites cæteros dignitate antecelluiſſe, ſed ab iis quorum* Palatio *præfuerunt, proximum locum obtinuiſſe*: P*alatini vero Rheni inter* Palatinos *ſupremum gradum fuiſſe*. Quæ res quomodo proceſſerit, deinceps exponemus.

DE DIVERSIS GENERIbus Palatinorum: & unde dictos putent Palatinos hodiernos. Vbi de Palatio Treuerenſi, & Capellatio, aliiſque locis.

II.

Mirabiliter ſurgere, procedere, & variare ſolent dignitatum & nomina & munera. Comites principio dicebantur apud Germanos veteres & Romanos principes, qui principem ſuum ſectarentur,

tur, & ad lătus eius verſarĕtur. Vel etiam, qui legatos Principis, magiſtratus, & Iudices prouinciales ſectarentur, eiſque aſſiderent, vt Papinianus auctor eſt. Ex horum ordine cum plerumque ſumerentur ii qui ad prouincias regendas mittebantur, factum eſt vt rectores illi deinceps *Comites* nominarentur: & comites, non iam Principis à quo aberant; ſed prouinciæ, quam ipſi cum Comitiua dignitate gubernarent, vt *Comitem Africa, Tingitania, Comitem littoris Saxonici per Britanniam, Comitem Britannia, Italia, Argentoratenſem*, in Noticia iam tum ſub Honorii & Arcadii imperio legimus. Apud Frãcos ſane, Comites erant iudices ordinarii, qui ius per pagos dicebant: qui & *Graphiones* dicti, quæ vox in noſtro idiomate permanſit. Gregoricus Turonicus de S. Nicetio: *Nam vidi ego quodam tempore Baſilium presbyterum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem vrbem his diebus poteſtate iudiciaria gubernabat.* Idem de B. Gregorio Epiſcopo: *In Comitatu poſitus regionem illam per X L. annos iuſtitia comitante correxit.* Tandem creſcente ambitione, Comites etiam honorarii facti, qui neque Principi adeſſent, neque regionem aut comitatum haberent; ſed tantum meritis ſuis, aut Principis gratia

vmbra-

vmbratilem eam dignitatem titulotenus conſecuti. Ita etiam cũ Comites Palatini initio eſſent, qui (vt diximus) aulæ & palatio præeſſent; ex eorum ordine cœperunt in primarias prouincias mitti: eadem prorſus ratione, qua Præfecti prætorio ex aula & palatio in prouincias mitti cœperunt, & Oriens etiam, Illyricum, Africa ſuos præfectos prætorio accepere, vt ex Noticia & Codice *libr.* 1. *Tit.* 26. *& ſeq.* diſcimus. Ita enim & à priſcis Francorum regibus Clothario, Sigeberto, aliis, aliquando Maiorem domus ſiue Palatii Comitem prouinciis regniſq; particularibus, Auſtraſiæ, Burgundiæ, Neuſtriæ, tanquam proregem quendam, præfectum fuiſſe legimus. Atque ita diuerſi Comites Palatini nati, diuerſarum familiarum & nominis, qui extra aulam diuerſis prouinciis præeſſent, & cæteros Comites, id eſt, iudices illa dignitatis Palatinæ prærogatiua præcederent. Donec tandem eo peruentum, vt honorarios etiam quoſdam Comites Palatinos Romani Principes, & horum æmulatione Pontifices ſibi alligerent & crearent.

Hæc origo dignitatis Palatinæ ſuperioris ſæculi ſcriptoribus, & noſtris etiam hominibus bona ex parte ignota, in miros errores illos impulit, dum Palatino-

rum.

rum noſtrorum Rheni principum originem inueſtigant. Fuerunt enim qui putarent, & increbuit error, eos à palatio Treuerenſi (in qua vrbe, dum florebat, & Romani & Franci principes non raro aulam habebant) deſcendere. Kyriander in Treueri: *Palatium ciuitatis Treuirorum (vnde quoque Comitum Palatinorum Rheni nomen & originem ſcriptores aliqui deducunt, vt hoc obiter in medio ſaltem relinquam) anno Chriſti M VIII. Adelbero Epiſcopus LXXIV. violenter occupauit.* Sed vetuſtior eſt error. nam & Iordanus Paderbornenſis ita ſcribit: *Hi Archiepiſcopi debent Imperatorem eligere, adiuncto ſibi Comite Palatino. Sic dicto à Palatio quod eſt in ciuitate Treuerenſi: quod olim fuit domus regni, à quo dicebantur Maiores Domus: qui modo dicuntur Comites Palatini.* Idem tamen alibi Pipinum Maiorem domus principale domicilium in Colonia Agrippina loco, vbi nunc eſt monaſterium S. Mariæ in Capitolio, habuiſſe memorat. Petrus de Andlo (auctor non contemnendus) & ipſe ſcribit *lib. 1. de Imp. Rom. ad Frid. III. c. 13. & 16: Pipini Maioris domus regia palatium fuiſſe in Treueris à quo Palatio* (inquit) *Comites proceſſerunt Palatini, indeque nomen traxerunt.* Et alibi: *Sunt primo quatuor generoſi Principes inclytæ proſapiæ ab auo longe producto, & apud Auguſtos.*

guſtos principaliſſimi ſuper quibus Roma num fundatur Imperium. Primus princeps eſt Comes Palatinus Rheni de magno Palatio Treuerenſi. Et ſane domus illa olim Auguſta, nunc Epiſcopalis, nomen adhuc retinet. Die Pfaltz. Si modo Palatium iſtum hodiernum idem eſt cum illo vetere: de quo me dubitare cogit Scheckmannus ſcribens; Medoualdum Epiſcopum Treuerenſem palatium Dagoberti Regis in vrbe, quod Horreum dicitur, rogatu Mathildis reginæ conſecrata S. Mariæ Deiparæ virgini Eccleſia vertiſſe in cœnobiū ſanctimonialium, quibus Irminam Dagoberti filiam præfecerit matrem. Quidquid ſit, ab illo magno (vt Andlouius vocat) palatio diuerſum adhuc eſt palatium minus, quod *palatiolum* vocatur, de quo Kyriander, loquens de Adalberone Epiſcopo: *Palatiolum Iulii Cæſaris, caſtrum iuxta Treuerim, tunc temporis ſitu & vetuſtate collapſum & inhabitabile, multis ſumptibus reſtruxit.* Et infra in Iohanne III. *Palatiolum, quod eſt Auguſta Treuerorum ſuburbanum oppidum ad Moſellam, cum arce & aula Pontificali magis operibus munire inſtituit.* De eo loco ita ſcribunt Ortelius & Viuianus in Itinerario: *A Treueris ſecundo flumine Moſella nauigantibus ad medium fere milliare, oppidulum eſt & arx, vulgo*

Pfaltz,

Pfaltz, quaſi palatium dicas, in ſiniſtra ripa: in dextra duobus circiter miliaribus pagus Reol, veteribus Rigodulum erat. Quinimo præter dictum illud palatium, & palatiolum, eſt adhuc ditio integra in diocœſi Treuerica, continens aliquot caſtra, oppida, villas, præfecturas, cum clientelis & vaſallagiis ſuis, inter Confluentes & Andern; cum iuxta Rhenum & ad Moſellæ ripam qua monaſterium Meiefeld ſitum, nec non ex altera Rheni ripa quædam complectens: quæ ditio ab antiquiſſimis vſque temporibus Palatinorum propria fuit, Pallentiæ maioris & minoris titulo groſz vnd klein Pellentz / nuncupata (à qua & ipſa *Palatinos* dictos nonnulli autumant) deinceps circa annũ Dom. MCCCL. ſub Archiepiſcopo Balduino Lutzelburgenſe Henrici VII. Imp. fratre, à Palatinis Eccleſiæ Treuerenſi donata, & ab eadem feudali titulo recepta, poſtmodumq; generoſis Comitibus à Virnenburg ſub feudi nomine conceſſa. De qua & infra aliquid dicemus. Sed (vt eleganter Munſterus ait) hic potius eſſet Palatinatus Moſellæ, quam Rheni.

Alii vero à loco quodam & caſtello ſito in ipſo Rheni aluco, è regione Cubæ, ꝙ hodie ſpeculæ vice eſt, & etiamnum die Pfaltz vocatur (olim tamen & ſuo nomine

Pfaltz

Pfalzgrävenſtein dictam reperio), Palatinos noſtros dictos autumant: quos quidem olim ea parte, in caſtro vicino Stalecke habitaſſe non ignoro. Meminiſſe loci eius videri poſſit Guntherus IV. Ligurini:

-- Hermānusq; ſacræ Comes inclytus aulæ,
Cuius erat tumido tellus circūflua Rheno.

Quem in locū Spiegelius ſcholiaſtes ita annotat: *Non ignoro Irenicum tradere, Palatinis nomen inditum eſſe à Palatio, loco Rheno circumdato, quem nos Pfaltz appellamus, eiuſque proximo verſu poetam meminiſſe. Ego autem Cubam oppidum intelligo, quod ea tēpeſtate ſedes Comitum Palatinorum Rheni fuerit. Nam quorum hodie regia Heidelbergū eſt, nulla eis prorſus parebat ditio earum regionum, quas nunc poſſident.* Hæc ille.

Qui altiſſime ad antiquitatem aſcenderunt, ſedem & originem Palatinorum referunt ad veterem locum Capellatium ſiue Palas, Ammiano Marcellino nominatum in Iuliano: *Cum ventum fuiſſet ad regionem, cui Capellatii, vel Palas nomen eſt, vbi terminales lapides Alemannorum & Burgundionum confinia diſtinguebant, caſtra ſunt poſita: ea propter vt Macrianus & Hariobaudus germani fratres & reges ſuſciperentur impauidi.* Cuius loci indicinam primo debemus Beato Rhenano, qui & hoc ſuum inuentum pluries inculcat: & ad-

& adſtipulatores deinceps inuenit Heroldum, & alios magni nominis viros. in quibus etiam Leunclauiũ noſtrum, qui ad Ducem quondam Chriſtophorum Friderici F. Palantinum (vt ipſe eum indegetat) ſcribens: *Sic veſtra Palas*, inquit, *vnde glorioſum Palantinæ familiæ nomen, nota iam hac appellatione de Romanis quoque hiſtoriis amplius duodecim ſæculis, nimirum ab Iuliani vſque Auguſti imperio: hæc igitur aliquando te principem ſuum florentem inſigni ſapientia, virtute, poteſtate, ſubiectiſſimo ſtudio colet.* Quod & Ortelius, ſummus Geographorum, qui Capellatium iſtud in ipſo hoc puncto terræ, quod inhabitamus, collocauit, in Theſauro Geographico ſecutus eſt. Non nos, qui & ſitum Capellatii iſtius nulli præterea auctorum nominati, obſcurum incognitumque habem⁹, certe huic regioni minus conuenire iudicamus (quæ enim hic loci vicinitas cõfinitaſque cum Burgundionibus fingi poteſt?) & vetera illa ſub Romanorum imperio locorum noſtratium nomina dudum exoleuiſſe, nec ſub Francorum regno durauiſſe ſcimus: nec quemquam ſub illis Comitem Capellatii, aut Palantidos terræ vel pagi (quomodo eum appellaturi erant) legimus. Et vero (vt eleganter Munſterus ait *lib.* 3. *Coſmograph. ca.* 350.)

350.) ſi à Palante regione ortus eſt Palatinatus Rheni, & veteris nominis fontem retinet; vnde ergo nati ſunt *Palatinatus à Scheirn, VVittelſpach, Dachauu; item ab Andechs, Vallay, & à Tubingen:* addo & *Palatinatus Saxoniæ*, & alii? Deinde etiam (vt idem ſubiicit) compertiſſimum eſt, nedũ illis temporibus antiquis, ſed vel ante quadringentos annos principes Palatinos neque caſtra neque oppida, aut præſidia vlla, in hac regione vbi hodie habitant tenuiſſe. ſed intra hos annos quidquid locorum iuxta Rhenum habent, vel emiſſe, vel armis aut aliis rationibus adquiſiiſſe. Nam (vt Spiegelius ſuperiori loco, & Munſterus *lib.*3 *cap.*351. vere notat) poſt Rhenum tum ærario Cæſaris vectigalem, municipiaque Imperii, locaque cœnobiarcharum & antiſtitum, præſertim Moguntinenſis, Spirenſis, Wormatienſis, in illis partim dominabantur Sueuiæ principes (vt & in Francia Oriẽtali, & comitatu Alſatienſi) partim Comites Liningenſes, Eberſteinianique, tum alii quidam reguli ſua tenebant loca, velut Imperatoris beneficiarii. Ut iam certo certius ſit, neque ab illo Capellatio, neque ſpecula Rhenenſi, neque Treuerenſi aut palatio, aut palatiolo, Palatinos noſtros nomẽ ſuũ ſortitos: non deniq; ab alio palatio, q̃ cui

cui ſeruiebant & cæteri Palatini, nimirum regali & imperiali.

Eſt ergo Palatinatus merum nomen officii & dignitatis, quod Imperatores Germani inſtituerunt, vt alia ei conſimilia. Et vt à Burgo ſiue caſtro præſidioque factus eſt Burggrauius, à Marcha vel limite Marggrauius, à Landa vel prouincia Landgrauius, à Centena Centgrauius, (ne & Gograuios, & Dychgrauios, alioſque id genus addam) ita & à palatio vel curia Pfaltzgrauius, *Pfalntzgreve*, vt veteres ſcribebant. Tales etiam Pfaltzgrauii & Palatini diuerſis in regnis diuerſi fuerunt & ſunt, & deinceps demum à ſpeciali ditione nomen & differentias ſuas, quibus internoſcerentur, acceperunt. Ita habuit Francia Occidentalis ſeu Gallia ſuum *Comte Palatin de Troyes*, *de Blois*, *de Champaigne*: Et Hungariæ regnum atque Poloniæ habet adhuc ſuos: & Germaniæ regnum ſuos Palatinos Habſpurgenſes, Tubingenſes, Wittelſpachenſes (ex quibus fuit ille Otto cæſor Philippi Regis, non è noſtris) Schirenſes: addo & Palatinos Burgundiæ. Imo ſola Saxonia habuit quinque Palatinatus, vel (vt illa vocabat) Palantias, de quibus ita auctor Speculi: *Quinque ciuitates quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inueniuntur, in quibus Rex legitimis*

debeat

debeat curiis præſidere. Prima dicitur Grona: Werliz ſecunda, quæ modo in Goslariam translata eſt: Walhauſen tertia: Alſtede quarta: quinta Merſeburg nuncupatur. In ea ſeptem feuda vexillorum ſunt definita, Ducatus Saxoniæ, & Palantiæ, &c. Quinimo plus eſt, quod idem auctor ſcribit paulo ſuperius: *Qualibet prouincia Teutonicæ terræ ſuum habebat Palantzgrauionatum, Saxonia, Bauaria, Franconia & Sueuia: quæ antequam à Romanis ſuperabantur, regna fuerũt, à quibus ipſa in Ducatus nomina fuerunt permutata. Attamen Illuſtres in vaſallos, & vexillorum feuda obtinuerunt, quæ ipſis per Imperium iam ſunt ſubtracta.*

Denique cum tot genera Palatinorum fuerint, familiis & ditionibus diſtincta, (qui tamen omnes præter noſtros exoleuerunt, aut nominibus mutatis, aut etiam familiis intermortuis) noſtri Palatini inter cæteros eo emicuerunt, quod non ab vna aliqua arce aut ditione, ſed ampliſſima voce ab ingenti illo tractu principis fluuii, Palatini Rheni, vel ad Rhenum (vt Germanice verterunt) dicebantur Pfaltzgraffē bey Rhein. Vt non iam à Palatio aliquo, imo non tam à Palatio vllo, quam ab ipſo Rheno ſignanter dicti videantur: quorum nec proprium nomen aut eximia dignitas hæc fuit, quod Palatini,

ſed

ſed quod ad Rheni vtramque ripam Palatini fuerint. Cuius rei quæ ratio & origo ſit, iam exponemus.

DE RHENO FLVVIO, LImite Romano. Comes Rheni olim. Palatini Rheni vnde ſignanter dicti. Pagi Rhenenſis Comes. Rheno illabentia flumina præcipua.

III.

RHenus fluuius antiquiſſimis ſcriptorum incognitus, nec Heſiodo inter Oceani Thetidoſque filios nominatus, etiam cum innoteſcere cœpit, tanquam remotiſſimus, & ſolis occaſui vicinus apud Græcos habitus eſt. Vnde eum *iberum* vocat Nonnus XXIII. Dionyſiacon:

Ῥῆνος Ἴβηρ βρεφέεσσι κορύσσεται ἄλλα δικάζων
Καὶ κρυφίην ὠδῖνα διαχθίζων τοκετοῖο
Κτείνει ξεῖνα γένεθλα——eadem forma (vt obiter elegantem locum illuſtrem, Goropii coniectura procul exploſa) qua Ouidius *Heſperium* vocat. II. Metamorphoſ.

Sors

Sors eadem Iſmarios Hebrum cum Strymone ſiccat,
Heſperioſq; amnes R*henum ,* R*hodanumque,* P*adumque,*
Cuiq; fuit rerum promiſſa potẽtia Tybrin.

Sed deinceps Græcis Romaniſque fines ſuos proferentibus ; à bellacibus Germaniæ populis iam tum Alexandro formidatis nimium notus, Germaniæ proprius amnis , & cum fratre ſuo Danubio limes imperii ad Septentrionem , terminuſque fatalis victoriarum Romanis fuit , quem excedere non magis quam Parthicum Perſicumve poſſent.

Claudianus de bello Getico:

Prominet Hercinia confinis R*hetia ſilua:*
Quæ ſe Danubii iactat R*heniq; parentem;*
Vtraq; R*omuleo prætendens flumina regno.*

Et in nummis veteribus , Germaniæ exprimendæ pictus Rhenus Danubiuſque pater viſitur , eadem forma qua Tiberis, Nilus, Euphrates. Ad hunc ergo limitem perpetua Romanorum cum noſtris bella, excurſiones quotidianæ , variæque Martis vices , quarum vel Pauli IC. locus *l.* 11. *D. de euiction.* teſtis eſſe poteſt : *L. Titius in Germania trans* R*henum emit , & partem pretii intulit. Cum in reſiduam quantitatem heres emtoris conueniretur , quæſtionem retulit dicens , Has poſſeſſiones ex præcepto princi-*

pali partim diſtractas, partim veteranis in premia adſignatas. Eam ob cauſam Romani perpetua ad eam ripam legionum præſidia diſpoſita habebant, caſtella etiam & ſpeculas locis oportunis impoſitas, & his magiſtratus præfectos: Lucanus lib. 1.

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppoſiti petitis Romani, Rheniqué feroces
Deſeritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Hinc Iulium Tutorem Treuirum, ripæ Rheni præfectum ſub Veſpaſiano, apud Tacitum legimus. Et poſteriore æuo Principũ, in Gallica Rheni ripa Dux Mogontiaci reſidens, latiſſimam iuriſdictionẽ habuit (vt ex Noticia Imperii apparet) non tantum in ipſa ciuitate Mogontiaco, ſed toto illo tracto, ſub quo & hæc loca erant: *Saletio, Taberna, Vicus Iulius, Nemetes, Alta ripa, Vangiones, Bingium, Bodobrites, Coca, Confluentes, Antonacum*. Quin & Comitem quendam Rheni (ita dictum) fuiſſe, colligunt aliqui ex conſtitutione Valentiniani ad Iouinum magiſtrum equitum *in l. 9. C. Th. de re militari: Tam Duces quam etiam Comites, & quibus Rheni eſt mandata cuſtodia, ſinceritas tua protinus admouebit, vt neque regalibus neque legatis ſua milites iumenta ſuppeditent, &c.* Vt & Danubius ſuum Comitem habuiſſe videri

poſſit,

poſſit, ex Sidonii Apollinaris panegyrico Anthemiano:

——Comitis ſed iure recepto
Danubij ripas & tractum limitis ampli
Circuit, hortatur, diſponit, diſcutit, armat.

Vix abſtineo dicere, talem aliquã dignitatem apud Francos permanſiſſe probabile eſſe; quippe qui ex Sicambrorum gente primulum progreſſi, Rheni indigenæ & accolæ fuerint, eoque peruaſo præſidia Romana profligarint, ripam Gallicam inuaſerint, & ipſam Galliam Belgicam Celticamq; latiſſime occuparint.

Neque hoc de Rheno omiſero, vt olim inter Romanos & Germanos limes fuit; ita longo poſt tempore Imperio ad Germanos translato, iterumque inter Caroli Magni poſteros diuiſo, eum ipſum amnem regnum Franciæ ab Imperio, ſiue Franciam Occidentalem & Orientalem diſterminaſſe. Itaque Ludouicum iuniorem Pii F. Germaniæ Regem, *trans Rhenenſem* Hincmarus Remenſis Epiſcopus in Epiſtolis vocare ſemper ſolet. Et Frodoardus in vita Fulconis: *Fulco litteras dirigit Imperatori Carolo, Regis Ludouici Trans-Rhenenſis filio, pro tutela & defenſione regni Francorum.* Ita & Arnolphum Imp. idem Frodoardus vocat: *Arnolpho Regi Trans-Rhenenſi litteras mittẽs pro cauſa Re-*

gis Caroli, quem paruulum adhuc vnxerat in Regem.

His cognitis, videre mihi videor, quibus ex partibus velutique elementis hæc dignitas Palatinorum ad Rhenum ſit conflata. Nam vt Palatinos ipſos ex veteri & legitima Pipinorum proſapia, qui apud Francorum primos reges Merouingos præfecturam palatii ſeu prætorii Cogmitiuam geſſerunt, perpetua ſerie deſcendere conſtans eſt opinio, & hiſtoricorum fide aſtruitur: ita eoſdem iam tum ad Rheni ripas cultiſſimas, ab ipſis eius oſtiis in infima Germania qua ſe in mare Germanicum effundit, ad fontes vſque propemodum, longe lateque imperaſſe, argumento ſunt quæ Palatinæ veteris familiæ propria & patrimonialia (vt ſic dicam) hæredia ditioneſque fuerunt, & adhuc bona ex parte iuris Palatini manent, partim ab ipſis adhuc poſſeſſa, & per præfectos adminiſtrata, partim aliis Principibus, Comitibus, reguliſque beneficiario iure conceſſa, de quibus à clariſſimo Hub. Thoma Leodio (qui ex illa regione oriundus me melius de his differere potuit) dicta non repetam. Et hanc illorum ditionem, Rheni mæandris ambitam & irrigatam, forte potius reſpexit Ligurini auctor illo verſu:

--H er-

—Hermannuſque ſacræ Comes inclytus aulæ,
Cuius erat tumido tellus circũflua Rheno.
In Vbiis quoque & Sicambris illos fuiſſe, Chronica illorum docent: quin & Sigeburgum monaſterium famoſum ab illis fundatum. Multa quoque alia Epiſcopis & Abbatibus ad Rhenum ab illis tributa. Bachararum oppidum, cum impoſito caſtello Stalecke, iam tum anno Domini M C XC. Conradi Palatini Comitis ſedem fuiſſe, è diplomatis didici. Et ſequentibus temporibus, vt ſunt familiarum ſua incrementa, altius fines ſuos protulerunt: adeo vt circa annum Domini M C CXX. (quo tempore per matrimonium Ottonis Ludouici F. Bauariæ Ducis, cum Agnete Henrici Palatini F Ducatus Bauariæ cum palatinatu Rheni coaluit) Palatinos Heidelbergæ ad Nicrum reſediſſe inueniamus.

Illud negare non poſſum, quod vere eſt ab Irenico & Munſtero notatum, *palatinatus Rheni* appellationem (nam de re ipſa, id eſt familia pariter & ditione Palatinorum, nihil conceſſero) non ita eſſe veterem, nec apud vllum ſcriptorem de temporibus Carolorum inueniri: ſed poſt Imperium demum ad Germanos translatum (id eſt Ottonum tempora, &

electores inſtitutos) Palatinos ad Rhenum, prius fere inauditos, inclaruiſſe; vtpote tũ munere electorio auctos. Quod cum perpendo, in eam ſententiam venio, nulli quidem hactenus obſeruatam, ſed mihi valde arridentem; *Palatinum Rheni ad differentiam quidem cæterorum, ſed maxime Palatini Saxoniæ dictum fuiſſe.* Cum enim Imperium Romanum in duo regna, Lombardicum & Teutonicum eſſet diuiſum; & hoc rurſus duplici iure regeretur, Francico & Saxonico, quorum hoc tractum Saxonicum vſque ad mare Balthicum, illud tractum Rheni, Sueuiam, Franconiam Orientalem, & Bauariam (omnia à veterib⁹ Francis ſubacta) complectebatur: hinc factum eſt, vt duo etiam principales Palatini haberentur, Saxonicus & Rhenenſis. Ita enim placuit hunc à tractu Rheni, tanquam antiquiſſima, optima & nobiliſſia Germaniæ parte, potius quam cæteris, denominare. Vnde etiam eſt, quod hi duo Palatini, velut proximi à Rege Teutoniæ, eo abſente diuiſis inter ſe ad modum prædictum limitibus vice ſacra Imperium totum gubernant. Quod à maioribus ſine dubio ita receptum, Carolus Quartus Imp. confirmauit *Bulla aurea c.* 5. *Quoties ſacrum vacare continget Imperium, illuſtris Comes Palatinus*

latinus Rheni ſacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni, & Sueuiæ, & in iure Franconico, ratione principatus ſeu Comitatus Palatini priuilegio, eſſe debet prouiſor ipſius Imperii. Et poſtea: *Et eodem iure prouiſionis illuſtrem Ducem Saxoniæ ſacri Imperii Archimarſchallum frui volumus, in illis locis vbi Saxonica iura ſeruantur* (hæc enim paſſim Sueuiæ & Rheno opponi, in illorum Speculo videmus) *ſub omnibus modis & conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum.*

Et hinc nimirum Palatinorum Rheni origo nobis deducenda eſt: non à pago Rhenenſi, qui blandiens error viro erudito, & cui certe primam illuſtrationis ſuæ gratiam familia Palatina debet, Huberto Thomę impoſuit: vt cum in antiquis memoriis legeret, Cancorem Rhenenſis pagi Comitem cœnobium Laurisham fundaſſe, deque ſuo dotaſſe, putaret hunc inter primos auctores Palatinorum Rheni habendum.

Atqui longe diuerſa ſunt pagus Rheni, qui & *Rinechgovve* dicebatur (de quo infra ſuo loco dicam) & Palatinatus Rheni. Comites pagi Rhenenſis, Cancor ille, eiuſque ſucceſſores, nonniſi Comites erant: at noſtri illi ſupra Comitiuam ſimplicẽ, Palatina inſuper dignitate, quæ iura Principis continet, illuſtres. Et vt ab

illis pagi Rhenenſis Comitibus forte illi aut illorum maiores fuerint, qui *Rheingraffen* nominantur (hodie commixta proſapia cum Sylueſtribus & Hirſutis Comitibus) noſtri certe Palatini celſiorem originem & ampliorem ditionem ab omni antiquitate habuerunt: qui & initio alibi quam in illo pago ſederunt & regnarunt, & deinceps præter pagum Rhenenſem, in cæteros pleroſque vicinos pagos atque adeo comitatus, iuriſdictionem ſuam ampliſſime extenderunt.

Nam quæ ad Rheni vtramque ripam caſtra ſunt & oppida, etſi pleraque & Romanam originem referant, & optima ſint, non tamen ſola Palatinorum fuerunt: ſed etiam illabentes Rheno minores fluuii, Moſella, Nauus, Mœnus, Nicer, bona ex parte eos dominos acceperunt. Sane iuxta Moſellam ampliſſimum tractum, quæ *pagus Meinefeld* olim quoq; dicta obtinuerunt, ibique cœnobia fundarunt, & *Pallentia* ille ipſe locus nomen adhuc retinet, Pellentz. Imo in ipſa Treuerorum Auguſta Palatium illud vetus, Romanis Franciſque principibus habitatoribus nobile, diu inſederunt, cum poteſtate aduocati Eccleſiæ Treuerenſis, atq; etiam præfecti vrbis, vt ex Kyriandro diſcimus. Iam ad Nauum, die Nahe (Tacito

Naua

Naua eſt) qui ad Bingium Rheno miſcetur, totum illum tractū, qui *pagus Nachgevve* dictus, cum tempore acceperunt. Nonnulla quoque ad Mœnum, & ad Nicrum pleraque.

DE AMPLISSIMIS DIgnitatibus familiæ Palatinæ: Archidapiferia aulæ, eiuſque inſigni globo crucifero; electione Regis & Imperatoris; vicariatu in tractu Rheni; & cognitione in ipſum Imperatorem.

IV.

IMperium Romanum, quod olim à Senatu populoque, ſæpius à militibus dabatur, poſtquam in ſtirpe Carolina aliquandiu hereditarium fuit, ea deficiente rurſum ad electionem rediit. Eligebant autem Principes, quos Germania multos varioſque habebat, & in his etiam antiſtites; & ſine diſcrimine, quotquot Comitiis adeſſe volebant. Primæ tamen partes eſſe ſolebant potentiorum, & qui officia in aula geſſiſſent. Quomodo fere & apud Græcos in imperio Orientali electionem Imperatoris modo conſenſu Se-

natus, & Patriarchę, modo volũtate Thematum ſiue legionum hiſq; præfectorũ, modo ſuffragiis ſenatorum & patriciorũ, modo etiam extra ordinem factionibus theatricis, aliiſq; peioribus modis factam in eorum hiſtoriis legim⁹. Apud noſtros etiam nõ raro, cum diuerſis principũ ſtudiis & factionibus duo eligerentur, & vtroq; imperium arripiente ſuoſq; aſſeclas inueniente ciuilibus diſcordiis Reſpublica varię iactaretur; tandem optimo planeq; diuino conſilio, ad ſchiſmata & turbas euitandas, viſum eſt facultatẽ electionis ad paucos eoſque primarios referre. Qua in parte cũ eccleſiaſtico ordini primæ deferrentur, inter quos triũ antiquiſſimarum & nobiliſſimarum eccleſiarum antiſtites non tantum honore & potentia cæteros vincebant, iuxta verſiculos:

Treueris ætate, ſed rerum proprietate
Gaudet Agrippina, ſed honore Moguntia prima.

verum etiam Imperii Cancellariatu per prouincias diuiſo iam inde fungerentur (eam ſiquidem inſtitutionem circa Ottonis M. tempora ortam, ex ipſorum Principum diplomatis ſe obſeruaſſe ſcribit Onuphrius) commodum & decorum viſum eſt, hiſce totidem collegas & conſortes ex ordine Principum politicorum, & quidem

dem eos qui officia aulica primaria gererent, adiungere. In officiis prima habebātur *Dapifer* & *Pocillator*, qui Domeſtici & architriclini, *Mareſchallus* qui præfecti p̄torio; *Camerarius*, qui Quæſtoris antiqui ſpeciem gerebat. Quorum primis duobus corpus atq; adeo ſalus Principis, ſecundo aula & ſatellitium eius, tertio fiſcus, theſauri & ſacræ largitiones creditæ eſſent. Hæc autem officia antiquitus non erant certis familiis aſſignata, nō certe his quibus modo ſunt propria: vt vel ex vno loco apparet. Luitprandus ſub Conrado Rege ait potentiſſimos principes fuiſſe, Arnoldum in Baioaria, Burcardum in Sueuia, Euerhardum Comitem in Francia, Giſilbertum Ducem in Lotharingia. De iiſdē Wittichindus ita ſcribit; narrās, inaugurationem Ottonis primi: *Diuina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat Rex ad palatium, Duces vero miniſtrabāt. Lotharingus Dux Giſilbert⁹, ad cuius poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat. Eberhardus menſæ praerat: Sifridus vero Saxonum optimus & à Rege ſecundus, eo tempore procurabat Saxoniā.* Vides hic Frāciæ Orientalis Comitē menſæ miniſteriū & dapiferatū geſſiſſe, quod gen⁹ exempla & alia plura in Hiſtoriis occurrunt. Eandem dignitatem etiam Byzantini Cęſares

in ſua aula non poſtremo loco habuerũt, vt apud Georgium Codinum ſiue Curopalatem legimus. Et his ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης eſt, qui Witichindo *menſæ miniſtrator*, *Dapifer* nobis.

Vnde apparet quam & vetuſta & nobilis in vtroque Imperio illa functio ſemper fuerit, & quanta maieſtas Imperatorum Germanicorum etiam hac in re eluxerit, qui non homines vulgares & plebeios ſuis miniſteriis, non pueros delicatos ſuis tricliniis, ſed principes viros adhibebant. Neque principes ipſi ſuæ dignitati indecora illa miniſteria habebant, aut ideo ſeruorum inſtar à Cæſaribus habebantur: vt ſcurriliter Iohannes Bodinus *lib.1.Reip.c.9.p.*179. nugatur: *Les princes Electeurs*, inquit, *portent les qualites de varlets domeſtiques, comme bouteilliers, eſcuiers, eſchanſons de l'Empereur.*

Hæc dignitas deinceps, quo tempore ſeptem Electores, ſiue ab Ottone III. Imper. (vt communis eſt ſententia, quam hoc loco non labefactabo) ſiue alio fuerunt inſtituti, Palatino Principi ita aſſignata eſt, vt Marſchalci officium Duci Saxonico, Camerarii Marchioni Brandenburgico, pincernæ tũ Duci poſt Regi Bohemiæ: nimirũ vt nõ amplius perſonis dignitates eſſent cõceſſæ & mutabiles, ſed fami-

ſamilias ipſas & in his primogenitos iure perpetuo ſequerentur. Andreas Witichindus ſcribit Ottonem III. anno Domini DCCCCLXXXV. Quedlinburgæ Comitia celebraſſe, & inter cæteros interfuiſſe Henricum Ducem Boiariæ Imperii dapiferum, Conradum Sueuiæ Ducem Camerarium, Enzelinum Comitem Palatinum Rheni pincernam, Bernonem Ducem Saxoniæ & Lunæburgi mareſchallum. Cum ergo prædicta officia Imperii tum adhuc variarent & eſſent temporaria, Otto illa (vt diximus) diſtribuit & perpetua fecit, & vt penes eoſdem & ſolos illos eſſet ius & poteſtas eligendi Romanum Imperatorem, ita vt officia illa & ſuffragii ius adamantino nexu iungerentur, conſtituit. Quo quidem anno id ſancitum, certi nihil afferri poteſt: hoc tamen aſſeueratur, defuncto Ottone illo III. Henricum ſecundum (qui & Claudus dictus, & in Sanctorum numerum relatus) ſecundum Ottonicam illam ſanctionem deſignatum. Qui etiam Comitatu Bambergenſi ad ſe deuoluto, poſtquam eum in Epiſcopatum erexiſſet, & eximiis priuilegiis & reditibus ornaſſet & dotaſſet, pro ſummo affectu quo locum proſequebatur, grandius ei tribuere nil potuit, quam vt quatuor principes il-

los Imperii officiales, eiſdem officiis & miniſteriis Epiſcopatui illi ſuo præficeret & adſcriberet. Qui & in hunc vſque diem ea in feudum inde recognoſcere ſolent. Itaque qui multo recentiorem illam inſtitutionem faciunt, vt etiam ad Rodulphum Habſpurgenſem, vel Carolum adeo quartum referant, audiendi non ſunt: Cum iam tum Albertus abbas Stadenſis, qui ſub Friderico II. Imp. ſcripſit annales ſuos, electores illos eodem ordine enumeret. Sed & veteres extant verſiculi, iam tum apud Marſilium Patauinum, qui ſub Ludouico Bauaro ſcripſit, & alios antiquiores legendi:

Moguntinenſis, Treuerenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperij ſit cancellarius horum.
Eſt palatinus dapifer, Dux portitor enſis,
Marchio præpoſitus Cameræ, pincerna Bohemus.
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſæcula ſummum.

Ab eo igitur tempore Palatinus, qui in familia ſua primogenitus fuit; vel à primogenito primo loco deſcendit, officium hoc propriè geſſit: & in titulis ſuis olim *ſupremum Sacri Romani Imperij dapiferum*, hodie vero *Archidapiferum* ſe inſcripſit, Deß heiligen Röm. Reichs oberſter Truchſeß / *vel*: Ertztruchſeß. Quo defun-

fungendo quæ eius ſint partes, tã in inauguratione Imperatoris, quam in Comitiis Imperii, aut curiæ celebratione Imperiali, latè Bulla Caroli IV. præſcribit. Nec poſſum hoc loco inderiſum præterire errorem Italorum quorundam ſcriptorum, vt M. Antonij Coccii Sabellici, atque adeo Alciati, qui ordinem Imperii deſcribentes aiunt, Palatinum Imperatori præferre clypeum, Saxonem enſem. Quos etiam alii exotici ſcriptores ſecuti ſunt; decepti (vt puto) forma inſignium Palatinorum veteri, in quibus duobus clypeis, vni Palatino, alteri Bauarico, Elector Palatinus tertium addebat, rubrũ totum & vacuum: donec Fridericus II. Palatinus Elector illi pomum illud aureum crucigerum, de conceſſione Imp. Caroli V. inſeruit; vt imitatione collegarum ſuorum Saxonis & Brandeburgici, & ipſe illud quod Imperatori de ſolemnitate præfert, in inſignibus ſuis oſtenderet. Id autem eſt non ſcutum (quod nuſquam legimus, nec audiuimus factitatum) ſed globus ille Imperii aureus, cum cruce impoſita: qualem & Græci Imperatores manu ferre ſolebant, vt apud Codinum, & in epigramate quodam de ſtatua Iuſtiniani, & apud Byzantinos ſcriptores legimus, & nu-

miſ-

miſmatis eorum videmus: quem μῆλον & illi vocabant, & qui Imperatori illud præferret, μηλοφόρον: cuius Themiſtius in oratione quadam meminit. Hic globus inter inſignia & ornamenta Imperii Romani, quæ *Regalia* vocantur, βασιλικὰ κειμήλια, ἐπίσημα καὶ σύμβολα, quibus Imperator inauguratus inueſtiebatur, ab omni antiquitate vel primo loco habitus eſt. Quem ita deſcribit Glaber Rodulphus: *Venerabili papa Benedicto ſedis apoſtolicæ viſum eſt inſigne Imperiale, quod prius diuerſis ſpeciebus figuratum fuerat, fieri admodum intellectuali ſpecie: idque præcepit fabricari quaſi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis quibuſq; gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri. Erat autem inſtar huius mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere perhibetur: vt ſiquidem illud reſpiceret princeps terreni imperij, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quam vt dignus haberetur viuificæ crucis tueri vexillo. In ipſo etiam diuerſarum gemmarum decoramine, videlicet Imperij culmen plurimarum virtutum ſpeciebus exornari oportere* Et Godefridus Viterbienſis parte XIX. vbi de Regalibus ornamentis:

Aureus

Aureus ille globus, pomum vel palla vocatur,
Vnde figuratum mundum geſtare putatur.
Quando coronatur, palla ferenda datur, &c.

Et addit:

Crux ſupereſt pomo, cœli ſuper inſita dono.
Suſcipe corde bono Rex, quæ tibi myſtica promo.
Teque ſedente throno, proſpice quid ſit homo.
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata crucis tibi ſint reuerenter habēda.
Seruulus eſto Dei, qui tua ſceptra regit.

Vt autem iure familiæ Palatinæ eius primogenitus Imperii eſt ordinarius & hereditarius dapifer: ita vi & iure huius officii, quo Imperatori viuenti menſam miniſtrat, illo etiam mortuo ſucceſſorem ſuffragio ſuo ei eligit. Nec iam mirari quiſquam debet, quod aut Comes in Electorum numerum relatus, atque adeo cæteris collegis, illiſque Principibus maiorum gentium prælatus ſit, quod Onuphrius facit: aut quod minus potentibus in Imperio electura commiſſa fuerit, omiſſis potentioribus, vt Bauariæ, Sueuiæ, Lotharingiæ, Brunſuici Ducibus, vt Munſterus putat. Nam & ſupra demonſtrauimus, quando Comitiua Palatii cæteros non Comites, ſed etiam Principes

honore

honore antecelluerit: quanta etiam Palatinorum ad principes Germaniæ fluuios Rhenum, Moſellam, Nauam, Nicrum, potentia fuerit; quamque præclaris inſuper clientum & vaſallorum maiorum ſubſidiis fuita & ſtipata. Cui accedit, quod cum primæ tribuerentur Archiepiſcopis illis ad Rhenum reſidentib. non abs re Palatinus, qui & vicinam intermixtamque illis ditionem habebat, & vicariatum Imperii ad Rhenum & in confinibus partibus gerebat, illis adiunctus eſt, quod & ad concordiam inter illos fouendam (quam adhuc fraternitate quadam tuentur) & Imperii quietem, atque etiam vires. (quibus in Rheni teloneis, aliiſque oportunitatibus multum momenti poſitum) conſeruandas id plurimum facere videretur.

Quin nec illud aliquis miretur, cur poſt electores Archiepiſcopos, quibus religionis & eccleſiæ reuerentia Principes libenter ceſſerunt, poſtque Regem Bohemiæ (cuius dignitatem & ſublimationem recentiorem eſſe conſtat) Palatinus primus ordine, & ad dextram Imperatoris collocatus, cæteriſque & ipſis maiorum gentium principibus antepoſitus fuerit. Qui cogitet, ſaltem ob generis prærogatiuam Palatinos, vtpote ſolos è Fran-

è Franco ſanguine & Carolina proſapia reliquos, aliquid præ cæteris habuiſſe. Obſeruaui ipſe è veteribus diplomatis Lotharii, Conradi, Ottonum, Henricorum, Fridericorumque; in enumeratione Principum qui rei geſtæ interfuerint, poſt Epiſcopos, Palatinos primo loco ante alios vel Auſtriæ vel quoſcunq; Duces collocari ſolitos. Eum ordinem qui inter Principes habitus, in Electoribus etiam ſeruari conſentaneum fuit. Iam & Palatina præfectura ſeu Comitiua prętorii, proxima à Rege ipſo (vt ſupra explicauimus) dignitas fuit. Dapiferia quoque qua vna cum Rege Bohemiæ epulas Auguſtas curat, tãto & Mareſchalli & Camerarii munere maior; quanto maioris apud Regem meriti & fiduciæ, corpus & ſalutem eius, quam ſatellitium aut fiſcum ſibi creditum habere. Vicariatus quoque ad Rhenum, nobiliſſimam Germaniæ partem & Romanis principibus libenter habitatam, longè honeſtiſſimus: & amplior quoq; latiuſq; patens, quam Saxonicus. Quantum denique illud, quod ipſius Imperatoris ſummique Principis non alius quam hic ipſe Iudex eſſe potuit? De quibus etiam aliquid dicendum eſt.

Et de vicariatu primo Imperii, quem

hic in tractu Rhenenſi, & Francia Orientali Sueuiaque vniuerſa, Imperatore abſente vel ſub interregno gerebat, dicam quod mihi ſemper viſum eſt; illud vi & iure Palatinæ præfecturæ & Maioratus Domus, quæ mandatam à Rege cognitionem habebat, vel eo ceſſante vſurpabat, deſcendere: eaque etiam ratione factum, quod nonniſi hi duo Palatini, Rhenenſis & Saxoniæ (qui & ipſe olim *Palatini* titulo gaudebat, vt ex Witichindo aliiſque diſcimus) totius Imperii vicariam gubernationem diuiſis inter ſe limitibus meruerint. Cum enim Imperium Romanum, quale tunc erat, in duo regna eſſet diuiſum, Lombardicum & Saxonicum, in Italia quidem quos vicarios complures Imperator habuerit, & quomodo ſub interregno vicariatum Pontifices ſibi vſurparint, non eſt huius loci commemorare. Teutonicum autem cum duplici iure regeretur, Francico & Saxonico, quorum hoc tractum Saxonicum ad mare Balthicum & Sarmatiam, illud tractū Rheni, Franciam Orientalem, & Sueuiam, (ſub quo nomine etiam Bauariam Auſtriamque complectebatur; factum eſt, vt duo illi Palatini veteri inſtituto & peculiari muneris ſui conditione, abſente vel mortuo Imperatore, vice ſacra re-

gnum

gnum totum Teutoniæ (quod κατ' ἐξοχὴν *Imperium* vocari ſolet) gubernarent. Quod à maioribus proculdubio ita inſtitutum Carolus IV. *Bulla aur. ca.* 5. Imp. in Comitiis Imperii confirmauit, & alii etiam Cæſares tam ante quam poſt illum peculiaribus diplomatis, vt & alia regalia, Palatinis principibus renouari ſoliti ſunt. Denique ab hoc vicariatu natum eſt & illud priuilegium, quod Palatini à longo tempore quæſitum & à Cæſaribus confirmatum habent, vt loca & dominia Imperii à Cæſaribus alienata & oppignerata ipſis eodem pretio reluere & redimere liceat.

Denique à Palatina Comitiua veteri hoc etiam ſingulare & eximium priuilegium deſcendere videtur, quod vt in aula regio & prætorio ampliſſima in omnes cognitione, nulloque penitus exempto præfectus Palatii iudicabat; ita ipſe Princeps, ſi ab aliquo conueniri ſe pateretur (neque enim bonus Princeps ſe ſupra leges & Iuſtitiam omnem extulerit) coram hoc ſolo ſe ſiſtere dignaretur. Quod & ipſum ſummi honoris argumentum penes Palatinum Rheni (ſed ſolum, excluſo Saxonico) in Germanico Imperio remanſit, confirmatum à Carolo IV. Imp. his verbis: *Et quamuis Imperator ſiue Rex*

Roma-

Romanorum ſuper cauſis, pro quibus impetitus fuerit, habeat (ſicut ex conſuetudine introductum dicitur) coram Comite Palatino Rheni Sacri Romani Imperij archidapifero electore principe reſpondere: illud tamen iudicium Comes ipſe Palatinus non alibi præterquam in Imperiali curia, vbi Imperator ſeu Romanorum Rex præſens extiterit, poterit exercere. Conſuetudine ait ante ſe introductum, id eſt vſu antiquo. Et ſanè vetus hoc inſtitutum eſſe etiam indicat Ius Saxonicum.

Finis Originum Palatinarum.

IN-

INDEX PERSONARVM & Rerum.

A.

ACademia Bononienſis 18
Academia Heidelbergenſis. 178. 179. 181. 281
Academia Ingolſtadienſis 101
Academia Ticinenſis, & Lutetiana 18
Academiæ Neoſtadianæ Profeſſores præcipui. 347
Adalgiſus, Deſiderij, vltimi Longobardorum Regis filius. 19
Adolphus, Comes Naſſouius, Epiſcopus Moguntinus. 229
Adolphus Naſſouius Cæſar. 80. 81. 172. 173
Adolphus Simplex, Elector Palatinus. 176
Agnes, filia Cunradi Palatini, transfert Palatinatum Rhenanum ad Domum Guelphicam. 137. 138
Agnes, filia Henrici Saxonis, vltimi Palatini priſci, Palatinatum Rhenanum affert Othoni Illuſtri, Electori Palatino. 79. 84. 140. 141. 142. 143. 156
Albertus Straubingenſis, Stephani Fibulati, Ducis Bauariæ frater, Comes Hollandiæ. 85. 90. 91
Albertus Dux Bauariæ, Alberti Straubingenſis filius. 91. 92

Alber-

Albertus Pius, Bauariæ Dux, Regnum Bohemiæ oblatum repudiat. 103. *& ſeqq. Eiuſdem liberi.* 108
Albertus Sapiens, Dux Bauariæ. 108. 109
Albertus V. Dux Bauariæ, Gulielmi filius, Alberti Sapientis Nepos. 111. 112
Albertus, Dux Bauariæ, Maximiliani frater. 134
Albertus Vrſus, Marchio Brandeburgenſis. 61. 66
Albertus, Marchio Brandeburgicus. 97
Alcuinus, præceptor Caroli Magni. 17
Alexander, Palatinus Comes, Dux Bipontinus. 196. *Eiuſdem liberi.* 197
Alexandri Magni exclamatio. 1
Alphonſus Magnanimus, Arragonum Rex. 309
Ambergenſe pœdagogeum. 288
Ambroſius Spinola Palatinatum inuadit. 381. 384
Andreas Presbyter Ratiſponenſis. 7
Anhaltini Principes, à quo deſcendant. 70
Antonius, Dux Brabantiæ. 93
Apelles. 2
Apianus, celebris Mathematicus. 8
Aquisgranenſis baſilica. 24. 26. 29
Aquitania. 18. 19
Arnolphus, Comes Dachuni. 38
Arnolphus Comes, Arnolphi Cæſaris præfectus militiæ in Nordmannico bello. 47

Arnol-

Arnolphus Imp. 31
Arnolphus Malus, Bauariæ regulus. 32.33. 34.47
Arnolphus, Arnolphi Mali, Bauariæ reguli filius. 34.35.36.37
Aue tinus, Boiorum Liuius. 7
Auguſtanam Confeſſ. proprio chirographo, & ſigillo ſubſignat Fridericus III. Pius Elector Palatinus. 290
Auguſtulus Imperator. 16
Auguſtus, Princeps Neoburgicus. 211
Auguſtus, Saxoniæ Elector. 296
Auſtria fit Ducatus. 62

B.

BAbo, Comes Abenſpergenſis. 56
Balthaſar oſſa, Pontifex Romanus. 219
Bamberge ſis Epiſcopatus fundatur ab Henrico III. *Imp.* 52
Bardevvicum, oppidum antiquiſſimũ. 71.73
Bauaria diuiditur in Superiorem & Inferiorem. 79
Bauaria, in prouinciaformam redacta. 12.13
Bauaria, Regnum olim florentiſſimum. 8.9
Bauaria vaſtatur ab Hungaris. 33.36
Bauaria vaſtatur ab Henrico Cæſare, Friderici II. Imp. filio. 77
Bauariæ Reges. 11
Bauariæ Duces, ex familia VVittelſpachia. 73. *& ſeqq.*
Bauariæ Ducatus à Saxonibus, Sueuis, &

Auſtriacis tenetur. 37. & ſeqq.
Bauariæ Ducatus, & Electoralis Palatinatus connubio coniunguntur. 141.143
Bauariam poſſident Caroli Magni poſteri, vſque ad Othonem I. Imp. Saxonem. 31
Bauaricæ Hiſtoriæ Synopſis. 7. & ſeqq.
Bauaricas res qui deſcripſerint. 7
Bauaricum bellum. 102.243.244
Beatrix, filia Ducis Poloniæ, Vxor Ludouici Bauari Imp. 85
Bellum Bauaricum. 102.243.244
Bellum Bohemicū. 116. & ſeqq. 373. & ſeqq.
Bellum Colonienſe. 113.114.351
Bellum Moguntinum. 229. & ſeqq.
Bellum Palatin. 132.133.134.378. & ſeqq.
Bernhardus, Princeps Anhaltinus, Alberti Vrſi filius, fit Elector ac Dux Saxoniæ. 70
Bertha, vxor Caroli Magni. 22
Bertholdus, Arnolphi Mali, Bauariæ reguli frater. 32.33.35.47
Bibliotheca Palatina Pontifici Romano dono mittitur. 133.281.456.
Bipontini Duces, & Comites Veldentiani. 195. & ſeqq.
Birckenfeldenſes Principes Palatini. 214.215
Bogislaus, Dux Pomeraniæ. 71
Bohemicum bellum. 116. & ſeqq. 373. & ſeqq.
Boleslaus Bohemus. 51
Boleslaus Sarmata. 52
Bononienſis Academia. 28

Boqui-

Boquinus. 291.298
Brabantia, Burgundiæ adiicitur. 91
Bretta, patria Phil. Melanchthon. 404.405
Bucquoius Comes. 116.117.119.123
Burgundia adijcitur Brabantia. 91

C.

Cancor, illuſtris Rhenenſis pagi Comes. 149
Carinthiæ Ducum proſapia intercidit. 86
Carolus Martellus. 15
Carolus Magnus. 11.147.148.150
Caroli Magni vita. 14. & *ſeqq.*
è *Caroli Magni proſapia Soli Palatini Comites reliqui.* 3.6.7.14.147.148
Carolomannus, frater Caroli Magni. 16
Carolus IV. Imp. 48.88
Carolus V. Imp. 111
Carolus IX. Rex Sueciæ. 327
Carolus, Princeps Birckenfeldenſis. 214. *Eiuſdem liberi.* 215
Carolus Pugnax, Dux Burgundiæ. 91.94
Carolus, Marchio Badenſis, capitur à Friderico Victorioſo, Electore Palatino. 231
Carolus, Marchio Durlacenſis. 296
Caſimirus, Dux Pomeraniæ. 71
Caſimirus, Marchio Brandeburgicus. 313
Caſp. Colignius, Galliæ Admiralius. 301, 302
Caſparus, Dux Bipontinus. 195
Caſpar Oleuianus. 291.299
Catecheſis Palatina. 292

Chriſtianus, Princeps Anhaltinus. 128
Chriſtianus, Dux Brunſuicenſis, & Epiſcopus Halberſtadenſis. 412.413.414.417
Chriſtiernus II. Rex Daniæ. 270
Chriſtophorus, Comes Palatinus Rheni. Rex Daniæ, Sueciæ, & Noruuegiæ. 186.187
Chriſtophorus, Comes Palatinus Rheni. Friderici III. Pij Electoris filius, in prælio occumbit. 320.328
Chriſtophorus, Marchio Badenſis. 246
Chriſtophorus, Dux VVurtembergicus. 292
Chriſtophorus Gevvoldus, Conſiliarius Bauarus. 5
Chuno, Dux Bauariæ. 56
Ciſnerus. 457
Cœnobium Furſtenfeldenſe. 167.169
Collegium Sapientiæ Heidelbergæ fundatur. 272.273
Colloquium Maulbrunnenſe. 292
Colonienſe bellum. 113.114.351
Comites Palatini priſci. 135. & ſeqq.
Comites Schirenſes, & VVittelſpachii. 57. & ſeqq.
Comites Palatini ſoli è Caroli Magni proſapia reliqui. 3.6.7.147.148
Comitum Palatinorum res geſtas qui deſcripſerint. 3.4.5.6
Comites Veldentiani, & Duces Bipontini. 193. & ſeqq.
Comites de VVolfratshauſen. 39

Comi-

Comites Erpacenſes originem ducunt ab Eginhardo, Caroli Magni genero. 151
Comitum Lovvenſteinenſ proſator. 241.252
Concilium Conſtantienſe. 282.283
Concordiæ liber. 349
Confeſſ. Auguſtanam proprio chirographo & ſigillo ſubſignat Fridericus III. *Pius Elector Palatinus.* 290
Conradus, Comes de Valeia. 38
Conradus I. Imp. 32.33
Conradus, filius Henr. IV. Imp. Dux Bav. 57
Conradus Saliquus Imp. 55.56
Conradus III. *Imp.* 59.60.61
Conradus, Frid. Barbaroſſæ Imp. frater, conſtituitur Comes Palat. Rheni. 62.136.137
Conradus Epiſcop. Moguntinus, & Salisburg. 40
Conradus Guelpho, ex Duce Bauariæ fit Monachus. 59
Conſtantienſe Concilium. 282.283
Cunegundis, vxor Henrici III. *Imp.* 53

D.

DAlburgius, Epiſcopus Vangionum. 259
Dauid, Dux Bipontinus. 195
Dauidis Parei prognoſticon. 60
Deſiderius, vlt. Longobardorum Rex. 11
Dietherus Iſenburgius, Archiepiſcopus Moguntinus. 229
Ditsbergenſis arcis obſidio. 405.406
Duces Bauariæ diuerſæ familiæ. 41 *& ſeqq.*

Duces Bauariæ ex familia VVittelſpachia. 73. & ſeqq.
Duces Bipontini, & Comites Veldentiani. 195. & ſeqq.
Duces Simmerenſes, & Spanheimenſes 1[illegible] & ſeqq.

E.

Eberhardus, Arnolphi Mali, Bauariæ reguli filius. 34.[illegible]
Eberhardus, Francorum Dux. 3[illegible]
Eberhardus, frater Conradi I. Imp. Bauariæ præficitur. 33
Eginhardus, gener Caroli Magni. 15[illegible]
Electoralis palatinatus, & Ducatus Bauariæ connubio coniunguntur. 141.14[illegible]
Electores palatini ad Rhenum, ex familia VVittelſpachia. 156. & ſeqq.
Electores palatini ad Rhenum, poſt Rupertum Romanorum Regem. 216. & ſeqq.
Eliſabetha, vxor Friderici I. Electoris Brandeburgici. 98
Eliſabetha, Regina Britanniæ. 349. 35[illegible]
Eliſabetha, Iacobi Magni Britanniæ Regis filia, Friderici Regis Bohemiæ, & Electoris palatini coniux. [illegible]
Eliſabetha, filia Georgij Diuitis, Bauariæ Ducis. 101.102.249.250
Eliſabetha, Caroli VI. Regis Franciæ vxor. [illegible]
Eliſabetha, Siciliæ Regis filia, vxor Stephani Fibulati, Bauariæ Ducis. 9[illegible]

Epiſcopatus, à Carolo Magno fundati. 24
Epiſcopatus fundati ab Henrico III. *Imp.* 52
Epiſcopatus Spirenſis. 387.400
Ericus, Foroiulienſium Dux. 13
Erneſtus, Dux Bauariæ, filius Iohannis Monacenſis 102
Erneſtus, Dux Bauariæ, Epiſcopus Saltzburgenſis. 109.110
Erneſtus, Dux Bauariæ, Archiepiſcopus Colonienſis. 113.114
Erneſtus Fridericus, Marchio Badenſis. 326
Erpacenſes Comites, originem ducunt ab Eginhardo, Caroli Magni genero. 151
Ezelinus, Comes Palatinus Rheni. 151

F.

Ferdinandus I. *Imp.* 280
Ferdinandus II. *Imp.* 116.117
Ferdinandus Conſaluus de Corduba. 385.394.415.417
Ferdinandus, Dux Bauariæ, Archiepiſcopus Colonienſis. 134
Francia Orientalis, & Occidentalis. 20.21
Francicum Imperium Caroli Magni [illegible]
Franciſcus Sickingenſis Nobilis [illegible]
Francothalium obſidetur ab Hiſpanis. 39[illegible] 395.450 451.
Freheri Origines Palatinæ. 5
Fridericus Barbaroſſa Imp. 9 37.61 65.66. 6[illegible] 9 71.72.73
Fridericus II, *Imp.* 75 76

Fridericus Auſtriacus. 77.78
Fridericus Pulcher, Auſtriæ Dux, Alberti Cæſaris filius. 82
Fridericus Landshutenſis, Dux Bau[illegible]
Fridericus I. Victorioſus, Elector Palatinus 4.100.222.226.*& ſeqq.*
Friderici I. Victorioſi, Electoris Palatini [illegible] *geſta, deſcripta à Trithemio, & aliis.* [illegible] 237
Fridericus, Victorioſi Electoris Palatini filius. 240.241
Fridericus II. Sapiens Elector Palatinus. 255 266. *& ſeqq.*
Fridericus III. Pius Elector Palatinus. 19[illegible] 284. *& ſeqq.* 330.331.333.343.345
Fridericus IV. Sincerus, Elector Palatinus. 353.362. *& ſeqq. Eius liberi.* 369 370
Fridericus V. Elector Palatinus, Rex Bohem. 117.128.133.371. *& ſeqq.*
Fridericus Cynonotus, Dux Simmerenſis, & Spanheimenſis. 189.19[illegible]
Fridericus Caſimirus, Dux Bipontinus. 209
Fridericus, Saxoniæ Elector. 246
Furſtenfeldenſe cœnobium. 167.169

G.

GAleacius, Mediolani Dux. 183
Gebhardus, Hirſpergenſium Comes. 158
Gebhardus Truchſeſius, Archiepiſcopus Colonienſis. 113 [illegible]
Georgius Diues, Dux Bav. Dominus Landshuten-

hutenſis, & Ingolſtadienſis. 101.102.243. 249
Georgius Palatinus, Philippi Electoris filius, Epiſcopus Spirenſis. 255.256
Georgius, Dux Simmerenſis, Friderici III. Pij Electoris Palatini frater. 192.193
Georgius Iohannes, Princeps Lützelſteinenſis. 212
Geor. Guſtauus, Princeps Lützelſtein. 213
Georgius Ludouicus, Comes Lovvenſteinius. 407
Georgius, Epiſcopus Mediomatricum, capitur à Friderico Victorioſo, Electore Palatino. 231
Georgius Fridericus, Marchio Durlacenſis. 326.410.411.
Gerhardus ab Eppenſtein, Moguntinus Elector. 161
Germersheimium. 418
Geroldus, Bauariæ præfectus. 13.14
Gevvoldus, Conſiliarius Bauarus. 5
Giſelbertus, Lotharingiæ Dux. 35
Glouceſtrius Dux, Angliæ gubernator. 94.95
Godefridus, Comes Palatinus Rheni. 152
Guelpho IV. Dux Bau. primus ex ea familia 57.58
Guelpho V. Dux Bauariæ. 58
Guelpho VI. Henrici ſuperbi, Bauariæ Ducis, frater. 60.62.63
Gulielmus, priſcus Comes Palatinus Rheni. 152

Gulielmus, Dux Bauariæ, Alberti Sapientis filius. 110.111
Gulielmus, Dux Bav. Alberti V. filius, Erneſti Archiepiſcopi Colonienſis frater. 115
Guntherus, filius Taſſilonis, vltimi Bauariæ Regis. 11
Guſtauus, Rex Sueciæ. 328
Guſtauus Adolphus, Rex Sueciæ. 134

H.

Heidelberga, metropolis Inferioris Palatinatus. 136.137 422. *& ſeqq.*
Heidelbergenſis Academia. 178.179.181.182
Heidelbergenſe pædagogeum. 288
Heidelberga expugnatur à Bauaricis militibus. 132.418 *& ſeqq.*
Heimericus, filius Cancoris, illuſtris Rhenenſis pagi Comitis. 149
Henricus Auſtrius, Leopoldo natus, gente Boius, domo Schirenſis. 50
Henricus Auſtriacus, Leopoldi frater, Dux Bauariæ. 62.65
Henricus I. *Imp.* 38
Henricus Cæſar, Frider. II. *Imp. filius.* 76.77
Henricus Sanctus Imp. ſtirpe an Boius fuerit, vel Saxo, dubitatur. 42. *& ſeqq.*
Henricus IV. *Imp. Dux Bauariæ.* 56.57
Henricus VI. *Imp.* 138.139
Henricus VII. *Lutzelbürgenſis Imp.* 81
Henricus III. *Rex Poloniæ, & Galliæ.* 301. 302. 330

Hen-

Henricus, Bauariæ Dux, Othonis I. *Imper. frater.* 34.35.36.41
Henricus, Hezilo alias dictus, Bauariæ Dux 41.42
Henricus Niger, Dux Bauariæ. 55.56
Henricus Natterburgicus, Dux Bauariæ 81
Henricus Senior, Dux Bauariæ. 81
Henricus Guelpho, Dux Bauariæ, cognomento Niger. 58.59
Henricus Superbus, Dux Bauariæ, & Saxoniæ. 59.60.63
Henricus Leo, Dux Saxoniæ, & Bauariæ potentiſſimus. 9.60.62. *& ſeqq* 141
Henricus, Dux Brunſuicenſis, Elect. Palatinus, filius Henrici Leonis. 138.139.140
Henricus Diues, Dux Bauariæ. 96.98
Henricus, Othonis I. *Electoris Palatini filius, Dux Bauariæ.* 79.80
Henricus Palatinus, Philippi Electoris filius, Epiſcopus VVormatienſis, Vltraiectinus, & Friſingenſis. 256
Henricus Borbonius, Princeps Condæus, Heidelbergæ exulat. 340
Henricus Matthæus, Comes Turnius. 128
Henricus de Merua, Heidelbergenſis Vrbis Gubernator. 404.420
Hermannus, Arnolphi Mali, Bauariæ reguli filius. 34.35.36
Hermannus, Comes Palat. Rheni. 71.152.153
Hermannus Ludouicus, Comes Palat Rheni,

Frideric[illegible] III. *Pij Electoris filius, [illegible] ſubmergitur.* 317. 318. 319. [illegible]
[illegible]eshuſius. [illegible]
Hildegardis, uxor Caroli Magni [illegible]
Hiſtoriæ Bauaricæ Synopſis 7. & [illegible]
Horatius Veerius Anglus. [illegible]
Hubertus Thomas Leodius, familiæ P[illegible]næ illuſtrator. 4
Hungari prælio vincuntur in Bauaria. 38

I.

I*Acoba, filia VVilhelmi, Bav. Ducis, Comitis Holandiæ & Hannoniæ.* 92. 93. 94
Iacobus, Magnæ Britanniæ Rex. 3[illegible]
Iacobus Wimphelingus. 26[illegible]
Immanuel Tremellius. 29[illegible]
Ingelheimium, patria Caroli Magni. 15
Ingolſtadienſis Academia. 1[illegible]
Iohannes, Dux Bauariæ, filius Henrici Senioris. 81
Iohannes, Dux Bauariæ, Epiſcopus Leo[illegible]ſis, Alberti Straubingenſis filius. 9[illegible]
Iohannes Monacenſis, Dux Bauariæ. 9[illegible]
Iohannes, Dux Bauariæ, Ratiſponenſis Eccleſiæ Epiſcopus. [illegible]
Iohannes Erneſtus, Dux Bauariæ. [illegible]
Iohannes Caſimirus, Tutor & Adminiſtrator Electoralis Palatinatus. 113. 114. 322. 324. 328. *& ſeqq.*
Iohannes I. Dux Simmerenſis, & Spanheimenſis. 191

Iohan-

Iohannes II. Iohannis I. filius, Friderici Cynnoti Nepos, Dux Simmerenſis. 192. 307
Iohannes I. Wolfgangi filius, Dux Bipontinus 206. 207. *eiuſdem liberi.* 208. 209
Iohannes II. Dux Bipontinus, Electoralis Palatinatus Adminiſtrator. 208. 268. 369
Iohannes Auguſtus, Princeps Lutzelſteinenſis. 213
Iohannes, Palatinus Comes, Magdeburgenſium Archiepiſcopus 190
Iohannes Palatinus, Epiſcopus Ratisponenſis. 256
Iohannes Caſimirus, Dux Bipontinus. 209
Iohannes Neoburgius, Comes Palatinus Rheni. 186
Iohannes Fridericus, Dux Saxoniæ, & Thuringiæ Landgrauius. 316
Iohannes Wilhelmus, Dux Saxoniæ. 316
Iohannes Valeſius Intrepidus, Dux Burgundiæ. 91. 94
Iohannes, Antonij Ducis Brabantiæ filius. 93
Iohannes Henricus, Morauiæ Marchio. 86
Iohannes Auentinus, Boiorum Liuius. 7
Iohannes Dalburgius, Epiſcopus Vangionum. 259
Iohannes Gutenbergius, Typographicæ artis inuentor. 103
Iohannes Huſſus, Bohemus. 283
Iohannes Syluanus. 299
Iohannes Trithemius, Abbas Spanh. 4. 237

K.

Kelhaimorum vrbs extruitur ab Othone VVittelſpachio Maiore. 74

L.

Ladenburgum oppidum expugnatur à Mansfeldio. 409
Landshutum, ſedes Ducum Bauariæ. 74
Laniena Pariſienſis. 339
Lauriſheimenſe cœnobium. 12.149.150
Leo III. Pontifex. 25.28
Leodius, familiæ Palatinæ illuſtrator. 4
Leopoldus, Bauariæ præfectus. 31
Leopoldus Auſtriacus, Dux Bauariæ. 60
Leopoldus Auſtriacus. 401
Longobardorum Rex vltimus. 19
Lotharius Imp 59
Lôvvenſteinenſiũ Comitũ proſator. 241.242
Loyſa Iuliana, vxor Friderici IV. Electoris Palatini. 369.441.371
Lubecca obſidetur. 71.72
Ludolphus, filius Othonis I. Imp. 35.36
Ludomilla, filia Primislai, Ducis Bohemiæ 77
Ludouicus Pius Imp. 23
Ludouicus Bauarus Imp. 81. & ſeqq.
Ludouicus Romanus, Dux Bauariæ, Marchio Brandenburgenſis. 85.87
Ludouicus Dux Bauariæ, Marchio Brandeburgenſis. 85.86
Ludouicus Barbatus, Dux Bauariæ. 96.97
Ludouicus Gibboſus, Dux Bauariæ. 97.99

Ludo-

Ludouicus Diues, *Dux Bauariæ, filius Henrici Landshutenſis.* 89.99.100.101
Ludouicus, Dux *Bauariæ,* Alberti *Sapientis filius.* 109
Ludouicus Othonis VVittelſpachij filius, D*ux Bauariæ, à Friderico II Imp.* P*alatinatum* R*heni impetrat.* 75.76
Ludouicus Seuerus, *Elector Palatinus,* D*ux Superioris Bauariæ.* 79.159. *& ſeqq.*
Ludouicus Barbatus, Elector Palatinus. 216, 282.283.284
Ludou. Placidus, Elector P*alat.* 222.224.225
Ludou. Pacificus, Elector Palat 262. *& ſeqq.*
Ludou. Facilis, Elector Palatinus, F*rider. III. Pij filius.* 321.323. *& ſeqq.*
Ludou. Comitum Lôvvenſteinenſium proſator, Frid. Victorioſi, Elect. Pal. fili⁹. 24.242
Lud. Philippus, Dux Simmerenſis, Frid. R*egis Bohemiæ, & Elect. Pal. frater.* 322.370.371
Ludou. Niger, Comes Palatinus R*heni, lineã Bipontinam, & Veldentianam propagauit.* 195. *eiuſdem liberi.* 196.228
Ludouicus, Dux Bipontinus, A*lexandri filius* 197.198
Ludou. Philip. Princeps Lutzelſteinenſis. 213
Ludou. Borbonius, Princeps Condæus 336.337
Ludou. Thuringiæ Landgrauius. 154
Luitpurga, vxor Taſſilonis, vltimi Bauariæ Regis. 11
Lupus, Vaſconum D*ux.* 19
Lutetiana Academia. 18

Lutra Caſarea, Keyſers Lautern. 394. 402.403
Lutzelſteinenſes Principes. 212. & ſeqq.
Lyſippus. [illegible]

M.

Magdalena, Iohannis Meinhardi Comitis Goricia coniux. [illegible]
Magdalena, uxor Friderici Landshutenſis, Ducis Bauaria. 96
Magdalena Bauara, uxor Wolfgangi Gulielmi, Ducis Neoburgici. 131
Manhemium caſtrum exſtruitur, à Friderico IV. Electore Palatino, & capitur à Tillio. 366.367.440. & ſeqq.
Mansfeldius Comes. 124 132.391. & ſeqq.
Maximilianus I. Imp. 91.241.242.243.245 246.247
Maximilianus II. Caſar. 293.296.300 304.311
Maximilianus, Dux Bauaria. 115. & ſeqq. 392.393. & ſeqq.
Marcus Velſerus, Boiorum Tacitus. 7.8.[illegible]
Margaretha, uxor Philippi Electoris Palatini. 101.248
Marquardi Freheri Origines Palatina. [illegible]
Maria Anna, uxor Ferdinandi II. Imp. 135
Maria Brabantina, uxor Ludouici Seueri, Electoris Palatini, decollatur. 162.[illegible]
Maria Valeſia, hares Burgundia & inferioris Germania. 92

Ma-

Maria, vxor Friderici III. Pii Electoris Palatini. 313.314.315
Maulbrunnenſe Colloquium. 292
Mauritius Chriſtianus, Friderici IV. Electoris Palatini filius. 370
Mechtilda, filia Adolphi Naſſouii Imp. 82
Megalopurgenſium principū familia origo. 68
Michael Obentraudius, Nobilis Eques Palatinus. 384.385.401
Mingelsheimenſe prælium. 409
Moguntinum bellum. 229. & ſeqq.
Monaſterium Lauris heimenſe. 149 150
Mosbachium, vrbs olim Imperialis. 403
Mosbacenſes Palatini. 187.188.223.224

N.

Neoburgici Principes. 210. & ſeqq.
Neohuſianum pædagogeum 288
Neoſtadianæ Academiæ Profeſſores præcipui. 347
Neoſtadianæ vrbis deſcriptio, & obſidio. 397.398.399.416.417
Neuſerus. 299
Nicer fluuius. 422.423
Nicolaus V. Pontifex. 83
Nicolaus Ciſnerus. 4.5.7

O.

Obentraudius, Nobilis Eques Palatinus 384.401
Olevianus. 291.299
Otho I. Imp. 34.35.36.38 41

Otho II. Imp. 41
Otho IV. Cæſar, frater Henrici Electoris Palatini. 138.139
Otho, Dux Sueuiæ & Bauariæ. 41
Otho, Dux Bauariæ, & terrarum in Saxonia ad Viſurgim. 57
Otho, Dux Bauariæ, Rex Hungariæ. 80
Otho Bauarus, Elector Brandeburgicus, familiæ VVittelſpachiæ tertius & vltimus 89
Otho I. Comes Schirenſis. 83
Otho II. Comes Schirenſis. 38
Otho III. Comes Schirenſis. 39
Otho IV. Comes Palatinus VVittelſpacenſ. 39
Otho V. VVittelſpachius, cognomento Maior, Bauariam recuperat 9.37.40.70.73.74.140.141
Otho VI. VVittelſpachius, cognomento Minor, frater Maioris. 40
Otho VII. VVittelſpachius, Philippum Imp. in arce Bambergenſi interficit. 22.40
Otho I. Palatinus Rheni, Septemuir, Dux vtriuſq; Bauariæ. 75 77.78.79.140.141.142.143.156.157.158 (& ſeqq.
Otho Henr. Magnanimus, Elector Pal. 279.
Otho, Mosbacenſis Palatinus, Electoralis Palatinatus Adminiſtrator. 187.217.224
Otho, Dux Brunſuicenſis, & Luneburgenſis. 139.

P.

PÆdagogeum Heidelbergenſe, & Neohuſianum. 288.289

Palatini Comites ſoli è Caroli Magni proſapia reliqui. 3.6.7
Palatinorum Comitum origo & dignitas. 145. & ſeqq.
Palatinæ origines Marquardi Freheri. 5
Palatinatus Rheni ad Bauariæ Duces transfertur. 75 79.84.141.143
Palatinorum gens priſca. 135. & ſeqq.
Palatinorum antiquorum ſedes. 136
Palatini Electores ad Rhenum, ex familia VVittelſpachia. 157
Palatini Electores ad Rhenum, poſt Rupertũ Romanorum Regem. 216. & ſeqq.
Palatini Mosbacenſes. 187.188.223.224
Palatinum bellũ. 132.133.134 378. & ſeqq.
Pariſienſis Academia. 18
Pariſienſis laniena. 339 (uocatur. 272
Paulus Fagius, Argentorato Heidelbergam e-
Petrus Boquinus. 291
Petrus Piſanus, præceptor Caroli Magni. 17
Philippus Imp. interficitur ab Othone VVittelſpachio. 22.40 (243. & ſeqq.
Philip. Ingenuus, Elector Palat. 102.109.242
Philippi, Electoris Palatini, numeroſa ſoboles. 249. & ſeqq.
Philippus, Dux Bauariæ, Epiſc. Ratiſponenſis, Maximiliani frater. 134
Phil. Bellicoſus, Comes Palat. Phil. Elect. nepos, Ruper. Virtuoſi fili⁹. 247.250. & ſeqq.
Phil. Palat. Epiſc. Friſingenſis & Naumburgenſis. 249.

Philippus Ludouicus, Princeps Neoburgicus. 210. eiuſdem liberi. 211
Philippus Audax, & Philippus Bonus, Duces Burgundiæ. 91.93
Philippus Senior, Landgrauius Haſſiæ. 290
Philippus Apianus, celebris Mathematicus. 9
Pipinus, Francorum Rex 11.6
Pipini, & omnes Caroli M. maiores, ex Francis Germanis orti ſunt. 148
Pragenſe prælium. 124. & ſeqq.
Pribislaus, Henetorum Dominus. 67
Principes Neoburgici. 210. & ſeqq.
Principes Lutzelſteinenſes. 212. & ſeqq.
Principes Palatini Birckenfeldenſes. 214. 215
Prælium Mingelsheimenſe. 409
Prælium Pragenſe. 124. 125 126
Prælium VVimpinenſe. 410. 411

R.

Ratiſpona capitur ab Othone I. Imp. 36
Reges Bauariæ. 18
Rhenus fluuius. 422
Richardus, Cornubiæ Comes, Romanorum Rex. 138
Richardus, Dux Simmerenſis, Frider. III Pal. Electoris Palatini frater. 193. 194. 362
Rolandus, Palatinus Comes, Caroli Magni ex ſorore nepos. 147
Rotgardus, Foroiulii regulus. 19
Rudolphus Habſpurgenſis Imp. 161
Rudolph. Auſtriacus, Alberti II. Imp. fili⁹. 87

Rudol-

Rudolphus Elector Palatinus, Ludouici Bauari Imp. frater. 82.84.95.171. *& ſeqq.*

Rudolphus II. Cæcus, Elector Palatinus. 176. 177

Rudolphus Agricola, inſignis D*ialecticus.* 259

R*upertus* R*uffus, Elector Palatinus,* A*cademia Heidelbergenſis fundator.* 177.178. 179

R*upertus Iunior, cognomento* D*urus & Tenax, Elector Palatinus* 180.181

R*upertus* C*lemens, Elector Palatinus,* R*omanorum Imperator.* 82.*& ſeqq.*

R*upertus Virtuoſus,* P*hilippi Electoris Palatini filius.* 102.243.244.249.250

R*upertus Palatinus,* A*rchiep.* C*olonienſis, Fr. Victorioſi frater.* 222

R*upertus* P*alatinus, Epiſcopus* A*rgentinenſis.* 189.190

R*upertus, Princeps Lutzelſteinenſis.* 212

R*utgangus, Metenſis* E*ccleſiæ* A*rchiep.* 149

S.

S*Ampſon* D*ux Bipontinus.* 196

Sapientiæ C*ollegium Heidelbergæ fundatur.* 272.273

Schirenſes C*omites.* 37.*& ſeqq.*

Sickingenſis Nobilis 262.263

Sigefridus C*omes* P*alatinus ad Rhenum.* 152

Sigiſmundus Imp. 129

Sigiſmundus, D*ux Bauariæ.* 108

Simmerenſes & Spanheimenſes D*uces,* C*omites* P*alatini* R*heni.* 191.*& ſeqq.* *Span-*

Spanheimenſes, & Simmerenſes Duces, Comites palatini Rheni. 193
Spinola, palatinatum inuadit. 581.584
Spirenſis Epiſcopatus. 387.400
Stephanus, Hungariæ Rex. 55.56
Stephanus, Dux Bauariæ, frater Othonis Regis Hungariæ. 81
Stephan. Fibulatus, Dux Bauariæ. 85.90.91
Stephan. Ingolſtadienſis, Dux Bauariæ. 96
Stephanus, Dux Bipontinus, & Comes Veldentianus, duas diſtinctas ſtirpes produxit: Simmerenſem, & Bipontinam. 187.187
Syluanus. 299.300

T.

TAdæa, vxor Stephani Ingolſtadienſis, Bauariæ Ducis. 96
Tampierus Comes. 121
Taſſilo, vltimus Bauariæ Rex. 11.12.16.21.31
Theodo, Bauariæ Rex. 11
Theodo, filius Taſſilonis, vltimi Bauariæ Regis. 11.12.16
Thomas Eraſtus, Medicus. 299
Ticinenſis Academia. 18
Tilemannus Heshuſius. 281
Tillius Bauarici exercitus Generalis. 593. & ſeqq.
Tremellius. 291
Trithemius, Abbas Spanheimenſis. 4.237
Turimbertus, frater Cancoris, Rhenenſis pagi Comitis. 149

Type-

Typographica ars quando inuenta fuerit. 183
Tyrolenſis Comitatus eripitur Bauaris. 87. 87

V.

V*Andali, fidem Chriſti amplectuntur.* 64. 65
Varifarius Aquitaniæ princeps. 18
Vaſconia. 19
Veldentiani Comites, & Duces Bipontini. 195. & ſeqq.
Velſerus, Boiorum Tacitus. 7. 8
Vicariatus Imperij ad Comites Palatinos pertinet. 154. 155
Vlricus, Halberſtadienſis Epiſcopus. 69. 71
Vlricus, Comes VVirtembergicus, capitur à Friderico Victorioſo, Electore Palatino 231
Vrſinus Theologus. 291
Vtilo, pater Taſſilonis, vltimi Bauariæ Regis. 11

W.

VV*aldemarus, Daniæ Rex.* 71
VVeinsburgenſis oppidi obſidio memorabilis. 60. 61
VVenceslaus Ignauus Imperator. 181. 182. 183
VVernerus, Schirenſis Comes, Arnolphi Mali Nepos. 37. 38
VVerslaus, Henetorum Dominus. 67
VVilhelmus, Dux Bauariæ, Comes Hollandiæ 85. 90
VVilhelmus, Comes Hollandiæ, Alberti Straubingenſis, Bauariæ Ducis filius. 92. 93

Wilhelmus Dux *Bauariæ*, *filius Iohannis Monacenſis.* 102
Wilhelmus, Dux *Bauariæ*, Alberti *Sapientis filius.* 109.110.111
Wilhelmus, Dux *Brunſuicenſis*, & *Luneburgenſis.* 158
Willegiſus, Archiepiſcopus *Moguntinus.* 49
Williuvinda, mater Cancoris, Rhenenſis *pagi* Comitis. 149
Wimphelingus, *Philippo* Electori *Palatino familiaris.* 260
Wimpinenſe prælium. 410.411
Witekindus Saxo. 22
Wittelſpachii Comites, *ſiue Palatini.* 37. & *ſeqq.*
Woldemarus, ultimus Marchionum *Brandeburgenſium*, è *ſtirpe* Alberti *Vrſi.* 85.86.87
VVolfgangus, Dux *Bipontinus.* 198. & *ſeqq.* *eiuſdem liberi.* 204.205
Wolfgangus Gulielmus, *Princeps Neoburgicus.* 135.211
Wolfgangus Palatinus, Dux *NouiFori*, *Philippi Electoris filius.* 256.257
VVolfratshuſii Comites. 39

Z.

ZAcharias Vrſinus. 291
Ziſca, Bohemorum Dux *fortiſſimus.* 129

Finis Indicis Hiſtoriæ Palatinæ.

A0114738I3

L 298.